MEDITATÆ CONCORDIÆ IN UNA RELIGIONE

Pars tertia; Continens

PROTESTANTIUM MALE REFORMATORUM

ABSOLUTAM

REFORMATIONEM

EX SCRIPTURA S.

ET VET. ORTHOD. ECCLESIÆ INTERPRETAtione: ab ipsis Protestantibus agnita, & recepta:

PER

R.P. JACOBUM MASENIUM
SOCIETATIS JESU,

SVMMIS EVROPAE PRINCIPIBVS

IN COMITIIS ROM. IMP.

Cum certa ac facili conciliandi ratione proposita,

Et præcipuis Protestantium Academiis, ad subscribendum, vel contradicendum

oblata.

Beati Pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Matth. 5.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM Bibliopolam
sub Monocerote 1661.

Paulus Apostolus 2. Cor. 13. v. 11.

IDipsum sapite. pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

Micipsa Rex Afr. ad filios moriturus;

REgnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam Concordiâ res parvæ crescunt; discordiâ maximæ dialbuntur. *Saust. de bello Iugurth.*

AUGUSTISSIME
CÆSAR

Potentissimi Principes, illustrissimi Imp. Rom. Comites ac Barones, inclytæ Respub. & Urbes.



ESIDERATÆ per Germaniam Europamque universam in Religione Concordiæ viam modumque, tam certum irrefutabili veritate, quàm facilem exequendi ratione, exhibemus. Cui si vos operi opem, pronamque voluntatem defertis, neque Deus benevolus, neque successus secundus est defuturus: cùm illis hæc methodus conciliandi principiis subnixa sit, quæ neq; Protestantes honestè possint; neque Catholici debeant prudenter adversari.

Ostendo paucis. Protestantium querela est, quòd Romani in rebus, ad fidem salutemque necessariis, Christianos à Scriptura S. ad Ecclesiæ judicium arbitriumque avocent: Romanorum contra, quòd Protestantes ad scripturam ita provocent, ut fideles ab Ecclesiæ judicio & observatione abducantur. Dabimus utrisq; in hac methodo quod volunt, tam Protestantibus quàm Catholicis, ne quæ esse possit causa detrectandi. Scriptura S. ubi claram certam definitamque promit sententiam, pro fundamento fidei, & regula normaque, ut loquuntur, conciliationis futura est: ubi incertum atque indefinitum sensum adferet (quod ferè ex partis utriusque dissensu patebit) ad veteris orthodoxæque Ecclesiæ interpretationem conclusionesque vertemur, quæ duplici ex capite privatis nostrorum erunt præferendæ, tum quod primis seculis, ab ipsis haustæ Apostolis eorumque discipulis & cum ipsis scripturis S. traditæ, longè majorem præstent securitatem;

tum quod illius ſint Eccleſiæ, cujus in rebus fidei hac ætate controverſis ſententiam erroris ſubſtantialis non damnamus, adeoque æquiſſimum ſit, ut illi in ambiguo ſcripturæ ſenſu primas deferamus: neque quiſquam tam amens eſſe poſſit, ut in conſequentiis ex S. Scriptura deducendis, earumque interpretatione, tam probatos Eccleſiæ Doctores ſibi ſtatuat poſtponendos. Denique ubi de ipſa etiam orthodoxæ Eccleſiæ ſententia controvertetur, ipſorummet Proteſtantium unà cum Catholicis ſentientium confeſſione lis tota finietur.

Conſiſtet itaque noſtra conciliandi ratio in principiis utrimque conceſſis, atque extra diſputationem poſitis, ibuntque ante omnia delecti hujus collationis arbitri, in jurata coram Deo ſynceræ mentis ſuffragia, & ſancta fide pronuntiabunt: cuinam ex oppoſitis diverſarum religionum articulis productæ in obvio claroque ſenſu ſcripturæ maximè patrocinentur. Quod ſi omnium, vel ſaltem plerorumque (cum in multitudine unus alterve diſſentiens nullus debeat haberi) conſtet ſententia, nihil ulterius hic erit inquirendum. Si ambiguis ſuffragiis, & vacillantibus ſententiis res ſuſpenſa maneat, ad propriam interpretationem, ſive ex fontibus, ſive ex rationibus petitam (ut quæ implicata fallaxq; eſt) non erit veniendum; ſed, ut dixi, ex Veteri orthodoxaque Eccleſia per eandem ſcripturam, incorruptius ex ipſis deprompam fontibus, & certius intellectam, rurſum in ſuffragia eundum erit, Theologis utriuſq; partis eaſdem recitantibus. Quæ ſi nondum ad plenam definitionem (quod rarò futurum eſt) ſuffecerint, ipſa adverſarum partium, de eodem Patrum ſenſu, producta confeſſio, totam neceſſariò, apud æquos judices, controverſiam abſolvet.

Erit itaque ab hac conciliatione submovendum, quidquid longis ambiguisq; disputationibus intricatum est, atque ab aliorum, qui scholis non insveverunt, ingenio judicioque submotum; ita ut quivis secularium etiam Principum, aliorumque fidelium huic queat conciliationi arbiter atq; æstimator adesse. Cùm enim Deus res fidei salutisque tam in expositione arduas subtilesq; esse noluerit, ut vulgi ad has ingenium penetrare non posset, æquum erit hāc à nobis controversiam sic exponi diluiq;, ut omnes assequantur. Ita ipsi quoque utriusque partis summi Proceres, fraude omni Sophistarum submotâ, præcipuum huic conciliationi pondus, expensis ultro citróq; sentētiis, & veritate facilius perspectâ, adferēt.

Neque diu ambigua hæc disceptatio esse poterit, cùm dubiis ubique rejectis, iis tantùm quæ certiora sunt, insistetur: quorū sententia nunquam ex utraq; contradicentium parte, ita par esse poterit, ut quæ veritatem tuetur Ecclesia non emineat, & tanquam sol sub nube latens æquis arbitris non illucescat.

Nec de novis fidei religionisq; decretis nobis laborandum est, quasi orthodoxa unquam Ecclesia à veritate excidisset (quæ nescio an sanorum hominum cogitatio possit videri) nec quærenda à nobis Ecclesia est, cui ab hæreticis (quos oportet ad probationem fidelium esse) nihil queat sub specioso rationis & scripturarum titulo objici; sed hoc agendum est, ut illam deprehendamus, quæ majoribus subnixa veritatis suffragiis, inter sexcetnas oppugnantium hæreses inconcussa hactenus, in perpetua ejusdem doctrinæ propugnatione stetit. Atque ad hanc inventam, sepositis odiis & æmulatione, tanquam communem salutis aram est confugiendum. Jam dudum Protestantes ex S. literis Patrumque

etiam ſuffragatione, quantum licuit, ſuos articulos, citra interpretationem quoque, firmare conati ſunt, in ultima parte *corporis & ſyntagmatis Confeſſionum fidei, Genevæ ſæpius edita, quâ omnes Proteſtantium illiſque affinium Eccleſias in harmonia una ſociare nituntur*, huic inprimis labori noſtram hanc *Meditatam Concordiam* opponimus, atq; ad commune nunc orbis judicium provocamus. Tibi ſolũ, Auguſtiſſime Cæſar, vobiſq; Romani Imperii Proceres, ita ſeriò volentibus, operamque & opem huic conſilio præſtantibus, Deo jam dudum ad pacem Eccleſiamque unam revocante, res eſt expedita.

Expendite, per Deum immortalem, qualis quantaque res ſit, quæ vobis proponitur, cum quanta veſtrum omnium gloria, quanta Imperii noſtri utilitate, quanta ſubditorum tranquilitate, quanta formidine hoſtium, quanta ſecuritate vincendi, quanta præſentis æternæque ſalutis certitudine ſit conjuncta. Longum ſit hæc ſingula proſequi, quæ juſti voluminis menſuram implere poſſunt. Non ignoratis in pace Monaſterienſi, totius Europæ conſiliis ſancitâ, hoc præcipuè vobis neceſſarium viſum eſſe, ut ad firmandas publicæ tranquillitatis rationes, de conciliandа religione ſeriæ utrimque cogitationes ſuſciperentur. Unde & illa quæ Eccleſiaſticas res ſpectant decreta, non abſolutis legibus, ſed tantùm valituris ad tempus, dum religionis placita conciliarentur, lata firmataque ſunt. Ut iccirco vi pacificationis illius hæc cura Principibus Imperii Statibuſque in publicis hiſce Comitiis incumbat providendi, num quæ via ratioque ſuperſit, hæc diſſidia religionis, quæ Germaniam Imperiumque ac Europam univerſam jam tot annis diſtrahunt, unâ in fide Eccleſiaque ſociandi.

Et

Et certè ad hoc studium, non tantùm publica vos salus & tranquillitas, cujus gratiâ hæc Comitiorum celebritas instituta est, sed Deus quoque & conscientia impellit, quando illud à vobis officium susceptum est, quo tam præsentem universo Imperio Ecclesiæque bene consulendi opportunitatem non licet præterire.

Neq; dubium cuiquam, rerum politicarum non prorsus rudi, esse potest, in unius religionis concordia, ejusque defendendę studio, rerump. regnorumque quietem ac stabilitatem potissimùm fundari. Cùm nemo, nec Ethnicorum quidem tam improbus hactenus repertus sit, qui non senserit Deo ante homines fidem deberi, & si utraque simul nequeat consistere, hanc præ illa esse negligendam. Ubi igitur religionum oppositarum studia subjectæ imperio nationes consectantur, atque ad illius promovendæ emolumenta cum alterius suppressione incumbunt; statim collidi animos, scindi unitatem, dissensiones nasci, tranquillitatem lædi publicam necesse est. Unde obsecro illa moles gravaminum, quæ hinc atque inde obtrusa, difficilem semper reddit Comitiorum successum, & plures in uno Imperii corpore morbos ostendit, quàm remedia, nisi ab illa, quam tangimus hæresi religionum? quantò igitur satis hoc ab radice malum aggredi, atq; origenem tantorũ incommodorum tollere, quàm in ramis præputandis hærere, brevi in novam perniciem succrescentibus. Reducatur illa pristina Majorum nostrorum in Germaniã Europamq; fides, facilesq; quas ostendo, ad concordiam rationes admittantur, & felicibus Comitiorũ auspiciis, uno ictu centum gravamina amputastis.

Verùm gravius omninò malum est, quod vestris totiusque Imperii cervicibus incumbit, nisi hanc

tam æquâ, proque omnium ſalute conceptam poſtulationem audieritis. Atque utinam vanus hic eſſe vates poſſem! Videtis quanta nobis bellorum tempeſtas jam pridem ab Oriente inſurgens minetur. Senſim illa majori nubium vi cogitur, nec leve fulmen parturit. Juratum illum Chriſtianorum hoſtẽ, immaniſſimumq; Tyrannũ Turcam dico, qui arroganti ſupercilio nos velut canes aſpernatur, dum Chriſtiani mutuis odiis diſſidiiſq; certant, latius invaleſcit, ſenſimque ſine ſen ſumuniſſima Europæ præſidia occupat, ut denique collectis jam abundè ſuis viribus, acciſiſq; noſtris, ad totius Imperi exitiũ prorumpat. Ita dum alii aliorum potentiæ invidemus, dum æmulatione ſcindimur, dum politica, ſed iniqua lance, fidem religionemq; ponderamus, tandem his omnibus conculcatis, Chriſtiani eſſe deſinimus, noſtriſque armamus primùm capitaliſſimum hoſtem opibus, ac denique ſub idem planè impietatis jugum, æquo Dei judicio, compellimur.

Quæ verò præcipua tantæ calamitatis cauſa, niſi cõculcata religio, lacera fides, oppreſſa pietas, diviſa contemtaq; Chriſti Eccleſia? Ex hoc fonte omnis malorum ſcaturigo, neglecta inter Chriſti membra charitas, accreſcens æmulatio, ac diſſipatum ſine conſilio viribuſque Chriſtianorum Imperium, qui pro terræ pugillo, invicem odiis belliſq; mutuis colliduntur, cùm ampliſſima terrarum ſpatia per Aſiã Africam, Europamque orthodoxæ erepta Eccleſiæ Imperioque negligant, his facilè poſſeſſionibus ditandi, ſi prius ejuſdem religionis & charitatis Chriſtianæ vinculo jungerentur. Quæ quidem, ſi vultis, unitas jam in veſtra poteſtate ſita eſt, propius, quàm elapſis aliquot annorum periodis fuerit; poſtquam ferè poſitis ubiq; armis ad civilem pacem conſpiraſtis,

ftis,& ſola tantùm ad firmandam tranquillitatem, vireſq; in unum hoſtem colligendas, optata jam pridè religionis concordia deeſſe videatur. Et quid eſt, cur in hoc tam prompto facilique, ut oſtendam, negotio moras nectitis, cur tot mortalium in hac diſſenſione aberrantium ſalutem, non præſentem modò, ſed & æternam tamdiu negligitis? cur ad majus præcipitium, ad miſerrimam Turcarum ſervitutem inclinatam ruentemque patriam maturo conſilio non ſuſtinetis? Terreat vos Orientis Eccleſiæ ſpectata jam tot annis ante oculos calamitas, ad quam ſola religionis diviſio per Arium introducta, per Neſtorium, Eutychen alioſque hæreſiarchas mille primùm ſectis ac deinde uno ſchiſmate latè propagata, viam ſtravit: donec ſub hac deniq; Turcarum immaniſſima tyrannide & ſecta peſſundaretur. Spectate recens Tranſylvaniæ à bellis incendium, & fumantis etiamnum Chriſtianiſmi buſta, primùm Romano Catholicæ fidei, deinde & Imperio ſubſidioque non imparato obniſi ſunt; nunc quando mutatæ religioni, ſub Auſtriaco patrocinio, malè formidabant, ad Turcicam plures abire ſervitutem, quàm fidem priſtinam redire maluerunt, nec Hungaria procul ab hoc ſtaret præcipitio, niſi potior etiamnum rectè ſentientium pars labantē ejus regni felicitatem utcunque ſuſtentaret. Verbo dicam, mutata & diſſipata in imperiis religio, omnem illorum fortunam ſalutemque evertit, hanc quiſquis lapſantem fulcire volet, ab Eccleſiæ illum inſtaurandæ ruinis ordiri neceſſe eſt. Has cauſas univerſè omnes impellere ad tam ſanctum Concordiæ opus extremo conatu urgendum poſſe, exiſtimarem.

At Proteſtantes in Europa Reges, Principes & Reſp. multò etiā potioribus cauſis urgentur, quorū

 præ-

præcipuas, ſi perinde, ut certæ ſunt, mihi ſine cujuſquam offenſa liceret exponere, triſtem omninò imaginem, illarum, quas partim modò ſuſtinent, partim non vano augurio imminent, calamitatum exprimerem. Sed hæ majoris tabulæ ſpatium requirunt, his anguſtiis non ſatis adumbrandæ. Hoc nunc ſolũ quæro querorque, quid Germaniam, quid Galliam, quid Belgarum gentem tantis antehac tempeſtatibus concuſſerit? Quid Sueciam, Daniam, Poloniã, Hungariam, Tranſylvaniam tam miſerandis motibus quaſſarit? Nolo tam variis, iiſque non ignotis immorari, unius tantùm Angliæ, ex qua ad nos Germanos potiſſimum Catholica religio traducta eſt, recentem propono imaginem, qui fluctus, quæ procellæ ab hoc religionis mutatæ oceano ductæ, nunc in vulgi, nunc in ipſa procerum Regumq; capita detonuere? Spectaculum ſanè triſte tragicarum omninò cædium illa terrarum florentiſſima jam à ſeculo præbuit, admirandam poſteritati in Chriſtiana gente ſpeciem inſanæ crudelitatis datura. Anglici hac de re, & quod mirere, ex ſchola Puritanorum, Doctoris Alexandri Roſſ, in libro de Mundi Religionibus part. 12. fol. 513. editionis Dordrac. ann. 1662. teſtimonium juverit audiviſſe, qui poſt diverſas ſectariorum de fide ſententias ſic, inquit, *Ex his aliiſque impiis opinionibus, quæ hodiedum inter nos tolerantur ac defenduntur, videmus quò prolapſa ſit Chriſti his locis religio, ubi tanta quondam pietate zeloque effloreſcebat. Nos Chriſtianam religionem inter primos Europæos amplexi ſumus, neq; cuiquam populorum devotione ac zelo nos conceſſiſſe, tot templa, cœnobia, ſacraria, collegia, ſcholæ teſtari poterunt. Sed quantum nunc (dolor prô) ab illis mutati ſumus. Quid ſupereſt, niſi mera religionis larva, ipſâ per tot hæreſes & blaſphemias, conſumptâ veritatis ac*

vitæ

vitæ substantiâ! Cum Ieremia jure querar, quod decor & pulchritudo filiæ Sion ablata sit. Et fol. 510. *Babylon nova erigitur, plena impietatis, ignorantiæ, & blasphemiarum. Hi fructus sunt & consequentiâ ex S. Scripturarum lectione per ignorantes improbosque spiritus tentata.* Quæ cum adeò manifesta sint, ut ex ipsorum Protestantium confessione habeantur; quin ad illam nos recipimus Ecclesiæ unitatem, à quâ tam manifesta discessione quidam avulsi sunt; ut totius orbis judicio ac suomet proprio, primùm discedentes, tanquam schismatis autores, jam pridem convicti sunt? Quin viam hanc ad reditum apertam omnibus, & ad ipsius veritatis explorationem omninò securam amplectimur? Si in S. Scripturæ diffidemus sententia, poterimus certiores constantioresque, quàm veteris orthodoxæ Ecclesiæ Patres, scripturarum habere ambiguarum interpretes, ac pro veritate & concordia securius, quàm in illius Ecclesiæ, de scripturæ sensu, judicium concedere; cujus autoritatem utrimque reveremur, sanctitatemque ac sanitatem doctrinæ agnoscimus?

Ad hoc igitur cum æquè facilem ac certam omnibus viam aperiam, cùmque totius etiam politicæ tranquillitatis stabilitatem in hac concordia sitam esse, quàm paucis, tam veris argumentis ostendam, per Deum vos, salutemque vestram ac tot mortalium subditorum obtestor, nolite cum tanto periculo omnium, rem in manu vestra positam, & à vobis, si temerè neglecta fuerit, in extremo judicii die exposcendam, contemnere. Si negetis, vestræ esse curæ religionis negotia suscipere: at tamen vestri erit muneris tranquillitati consulere publicæ, quam nemo est, qui ignoret sine religionis concordia diu non posse consistere. Et verò hac de causa vestro in

corpore

corpore non minus Ecclesiastici , quàm seculares censentur Proceres, quibus curæ esse debet, ut sarta tecta servetur Majorum nostrorum, tot seculis propagata religio, aut siquid illa detrimenti acceperit, in integrum restituatur. Hoc sentio, fidenterque affirmo, si Principes Legative quorumcunque regnorum, provinciarum, ac Rerump. suos secum ducant Theologos, tota ab Ecclesia delectos, juratosq; nullius se hominis bonive temporalis gratiâ , sed solius Dei veritatisque orthodoxæ intuitu, suum de hac Concordia Meditata dicturos judicium, jam rem brevi inter meliores (nam sperare omnium consensionem difficile) confectam, optatamque in multis Imperii partibus religionis concordiam postliminiò reductam admirabimur. Et ut labes fuit Germanæ nationis à prisca erga Deum fide primos superiori ætate desciscere, ita futura hæc omninò illustris eorundem est gloria, pedem, ubi offendisse se animadvertit, ante omnes communi Procerum consilio retulisse.

Hæc à frigidis quorundam in Rom. Imperio Ministrorum, qui ex politicâ , & secularis commodi lance omnia ponderant, affectibus sic video excipienda, ut solent, inter Machiavellicæ disciplinæ asseclas, illa excipi, quæ ex jure divino Ecclesiasticoque, juxta Thelogorum placita definiuntur. Qui si meminissent: *Sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum*, & venturum diem illum, quando supremus omnium sedebit arbiter , qui spreti tam salubris consilii rationes deposcat, fortè altius hoc Concordiæ negotium (quo aliud gravius ad hæc Comitia adferri non poterit) ad animum admitterent.

Verùm ille me pseudo politicorum hominum, aliosque huic meo proposito insistentium sensus non

debet

debet retardare, quando (quæ Dei est benignitas) hoc seculum præclarissimos nobis in Germania, utrarumque partium, tam Protestantium, quàm Catholicorum Principes exhibet, qui tam pro illa, qua pollent sapientia, intelligent, quantum ex hac Concordia, & publica Imperii, & privata animarum salus dependeat; tum pro æquitate & charitate, quâ subditorum & proximorum bonum in Christo cōplectuuntur, suum hac in re studium desiderari non patientur. Multos quoque ex parte Protestantium Theologos (à quibus maximum possit obstaculum formidari) fore credimus, qui ab inspectis utrimque scripturis ac rationibus, post tam longā difficilemq; causæ totius ponderationem, denique nihil æquius certiusq; ad veritatem salutemque, quàm quod hisce meis principiis complexus sum, reperient, atque hoc solum exspectabunt decretum Principum, ut cuique suorum impune, & citra rei temporalis familiæque & honoris detrimentum, Meditatæ huic Concordiæ opem operamq; addicere liceat. Quod si, ut par est, universali Comitiorum judicio, ante omnia definitum fuerit; si deinde illo, quo plerique Principum accensi sunt Concordiæ studio, ad hanc deliberationem accesserint, felicem Rom. Imperio hujus tanti negotii successum, boni omnes, divina miseratione freti, audebunt polliceri.

Imitabuntur nationes proximæ, quæ jam nihil admodum habent, quod cunctationem resipiscentibus possit injicere; non Helvetorum, aut Galliarum Novatores, cum, aut vicinos, aut proprios Reges Principesque habeant, ad hanc etiam concordiam invitantes: non Angli tot fluctibus religionum, per asperrimam quamque fortunam exercitati; ut non facilè aliud, nisi in sola fidei concilia-

tione

tione habituri sint remedium: non Hollandi, quando illam, quam per mutatæ religionis præcipitia occuparunt libertatem, jam indultó federum jure possident; non Danii quando regni moderamine jam ad unius potestatem translato, atque in vicina Catholicorum Regum suscepti consortia, nihil habent, quod à religione veteri possit retardare; non Sueci, quando jam regnum nacti liberum, hinc miserâ plerorumq; Regum à conversa religione, citò pereuntium fortunâ; inde generosissimo Reginæ propriæ ad Catholicos transitu, tam malis exemplis terrentur, quàm bonis revocantur: non Hungari, ac Transylvani , aut siqui in Polonia & Prussia restitent, quando longè sibi gravissimam ab hac nube diffidentium tempestatem, à propinquo quaquà versum hoste sentiunt imminere , ut securius in unius sese universalis Ecclesiæ asylum sint recepturi. De bonorum quod attinet Ecclesiasticorũ restitutione, quæ hactenus non paucos terruit, cùm illorum occupatio præcipuum apud plures olim Principes visa fuerit desertæ religionis incitamentum, non magnopere erit laborandum, quando hæc Majorum nostrorum delicta, summus Ecclesiæ Hierarcha, quæ ipsius est sapientia ac humanitas, tanto non volet posterorum onere expiari; ut hinc aliquod cupiat redeuntibus ad fidem orthodoxam objici impedimentum. Hæc multorum relinquentur arbitrio, qui si recipiscant, experturi sunt, nullo suo detrimento Catholicæ aliquid Ecclesiæ impendi. Quod ab ipso proavorum suorum exemplo discere poterunt, quorum qui multa largiti sunt Ecclesiæ, fuere ditissimi; qui plurima subtraxerunt, multarum rerum inopiâ sunt occupati. Opes Deo semel consecratæ, profanum nunquam ditabunt ærarium, ærugo sunt, unde cetera

consu-

consumuntur. *Quærite primo regnum Dei, & cetera omnia adjicientur vobis*. Regnum autem Dei est, in unitate & Concordia.

Quocirca Apostolum ultimo vobis loco suasorem adhibebo. *Siqua*, inquit ad Phil. 2. *consolatio in Christo, siquod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes*.

Verùm quando illa est multorum in errore pertinacia, aliorum in fide etiam orthodoxa frigus, ut verear, ne hoc Pauli meumque votum à plerisque rejiciatur; hoc tamen pro Concordia susceptum à me studium Deo opt. Max. ejusque in Christo fundatæ Ecclesiæ ex animo dedico consecroque: tum verò Protestantium in Europa Academiis, Ecclesiisque, & singulatim quidem, Genevensi in Gallia, Oxoniensi in Anglia, Leidensi in Hollandia, Hafniensi in Dania, Upsaliensi in Suecia, Wittenbergensi & Helmstadiensi in Saxonia, Rostochianæ in Mechlenburgo, Regiomontanæ in Prussia, Marpurgensi in Hassia, Heidelbergensi in Palatinatu, Basileensi in Helvetia, aliisque quæ dignum aliquod in Europa nomen promerentur, ea lege offero, ut huic Concordiæ Meditatæ, vel subscribant, si probetur; vel si improbetur contradicant; sed paribus, quibus à me profecta est conditionibus. Hoc est, primò ex sola Scriptura S. sine discrimine sententias omnes in eadem materia loquentes admittendo: ne aliquam tantum amplecti, reliquam aspernari scripturam videantur, Poterunt etiam brevi dissertatiuncula (cui tamen vis nullla probandi in suffragiis tribuatur) scripturam obvio in sensu, si lubeat, illustrare, ejusque energiam complecti. Deinde ad Patrum ex eadem scriptura oppositam nobis partem clare defenden-

ſendentium interpretationes concluſioneſque ex Apoſtolica inſtitutione ductas erit progrediendū. Quod ſi qui Patres extra Scripturam S. loquantur, ſuffragii in hac cauſa jure carebunt, niſi noſtrorum quoque Doctorum conſenſione, eam quam Proteſtantes depromunt ſententiam, loquantur. Imò ubicunque dubia erit, etiam ex S. literis ducta Patrum ſententia, nemo illius ſuffragatione tenebitur, niſi adverſæ partis confeſſione de ſenſu Patrum conſtiterit. Denique licebit adverſariis, ſiquid à nobis in allegatis ſententiis erroris, ignorantiâ certè non malitiâ commiſſum, ex chriſtianæ modeſtiæ legibus ſignare atque expungere; ac poſtremò totius Eccleſiæ, aut ſaltem illius, in qua verſatur Academiæ judicium approbationemque adjungere, citra quam, decretum nobis eſt, privatorum hominum judicia cenſuraſque aſpernari & juſto vindicare ſilentio.

Quod ſi Proteſtantes, ex deſperata ſuæ religionis cauſâ, hoc chriſtianæ de ſua fide inſtructionis detrectent officium, teſte Deo, atque orbe univerſo, illos provocamus, ad reddendam innóvatæ abs ſe religionis ac repudiatæ hujus Concordiæ æquiſſimam rationem, & univerſè quidem Academias, quas diximus, ſingulas, quibus illud Petri Apoſtoli curæ futurum ſperamus: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea, quæ in vobis eſt ſpe.* 1. Petr. 3. v. 15. niſi itaque deſperent, aut ſubſcribendum, aut contradicendum eſt ſingulis. Ita denique ex hac ſententiarum collatione, niſi indignè ab illis tractetur, pulchrior emerget veritas, & pervicaces in errore, vel ſuo convicti ſilentio, vel iniquitate reſponſi, proprio ſeipſos calamo condemnabunt.

Hac in Nomine SS. Trinit. & Eccleſiæ Chriſti

I. M. S. I. offerebat

AD REFORMATIONEM

ABSOLUTAM

PRÆMUNITIO I.

Brevis ratio absolutæ Reformationis, & irrefutabilis eiusdem vis & via ad Concordiam, cum ridicula quorundam refutatione, exposita.

CUm ad sacram jamdiu Scripturam, tanquam judicem, normamque rerum credendarum absolutissimam Protestantes ceterique Acatholicorum provocarint, ideoque tantum imbecillitati eorũ, communique pacis ac salutis bono indultũ a me fuerit, in utraq; *Meditata* hujus *Concordiæ* parte; ut primùm universè ex sola Scriptura S. religionis orthodoxæ articulos illos, de quibus potissimum controvertimus, proposuerim: deinde parte altera sigillatim Augustanæ Confessionis articulos, per appositum oppositumque erroribus Dei Verbum reformaverim: nunc illi quoque Protestantium Ecclesiæ, quæ Genevensi Confessioni adhæreseit, idem operæ beneficiique, ex Christiana charitate impendendum censui, tantò quidem elaboratiori studio, & remedio ad concordiam salutemque illorum potentiori, quantò morbus aberrantium est gravior, & curatio difficilior. Quanquam πανχρηστον esse cupiam, & universorum saluti mederi.

1. Exhibeo Reformationem igitur, qualem postulant, ex norma regulisque scripturarum ita compositam, ut humana hinc absit interpretatio, atque illæ, quæ possunt fallere, ex ratione nostra ductæ consequentiæ. Nam utrumque horum, cùm ad Dei verbum, tanquam regulam ultimam expendendum sit, neque humanum quicquam, divinæ norma fidei censeri possit, in solis purisque Dei verbis sententiaque, omni hominum commentatione submota, est subsistendum. Unde fit, quod nulla

hactenus Protestanrium Confessio lucem viderit, quæ purè ex verbis sententiaque scripturarum concinnata regula veræ religionis esse queat. Nunc verò cum res eò reciderit, ut provocatoribus ad hanc solam normam, vel parendum sit, exhibito Dei verbo, quod pro Judice regulaque suæ fidei jactatum hactenus est; vel error in quo versantur, dum lutum ferro, in hac statua, id est humana commenta divinis miscent oraculis, propalam agnoscendus: spes est plerosque salutis & concordiæ studio ad mentem veritatemque redituros, nisi cum pertinacia non cedendi turpiter perire, quàm gloriosè, suo se bono victos, maline fateri.

2. Quia verò hic boni homines vertiginem patiuntur, & cũ ad normam scripturarum vocantur, ad interpretationes, & consequentias transeunt; ubi deinde his etiam urgentur, ad scripturam rursus, tanquam clarissimam, ac postremò etiam suæ restimonium conscientiæ abeunt: cuius iterum securitatem ex verbi Dei interpretatione arcessunt: ex obscuro hoc circuitu in magis apertam lucem censui protrahendos. Quod ratus sum fieri potentius non posse, quàm si orrhodoxæ, & ab iisdem agnitæ Ecclesiæ usitatam interpretationem, expressamque à Sanctis Patribus Scripturæ S. sententiam, juxta postulatum ipsorummet Protestantium in prooemio Confessionis Francofurtensis, exponerem.

Neque enim quisquam, opinor, tam amens futurus est, qui pluribus unus, & tam antiquis novus, tam universè probatis, suspectus ipse, tam propinquis Apostolorum discipulis, ipse Lutheri aut Calvini posthumus, tam sanctis doctis, honoratisque omni retro ætate, per Catholicam Ecclesiam, hominibus, suam ausit interpretationem opponere, ac præferre de scriptura controversa sententiam. Quod si quis tamen adeò, vel arrogans vel temerarius repertus fuerit, hic ex fructu hujus pugnæ nihil præter ignominiam, & manifestæ hæreseos notam est relaturus. Sed nec solos illi in hac arena objecturus sum Patres, gladio divini Spiritus ex tradito Dei verbo armatos, verum illam ipsam quam proferunt, scripturam sacram, ut primò videant, quam insulsa quandoque interpretatione, hanc ex originalibus quæ hodiedum extant, linguis producant; deinde quã stultum sit, illis extorquere conceptam velle de scriptura sententiam, qui nisi testarentur aliquod nobis superesse Dei Verbum, nulla, nisi ex usu tradita, fides consisteret.

3. Verum quando nullæ Patrum munitiones tam firmæ sunt, quas

quas aliquando non tentet, si minus perfringat obnitentiũ audacia. Sive, cùm illa Patrum ex S. Scripturis ducta argumenta (nam aliis extra scripturam, ut magis illimitatis vagisque, ac nostro etiam proposito minus appositis ferè censui abstinendum) nonnulli diversis quoq; interpretationibus elidere conẽtur: ipsorummet postremò testimoniis Protestantium utendum duxi, quæ sibi adversantem Patrum sententiam candidiore calamo profiterentur. Ut, nisi jam frontem pudoremque omnem exuerint Adversarii, confessæ veritati ultra resistere nequeant; sed cogantur manus oblatæ porrigere Concordiæ, suumque errorem, & apertum salutis præcipitium detestari.

4. Quæ de Patrum erroribus, humanisque judiciis sæpe fallẽtibus hic obtenduntur, fallaciæ sunt, quibus adversarii, sub ficta ad scripturas provocatione, ad suum nos judicium, multò magis fallibile conantur abstrahere. Siquid Patres errarunt, jam à veteri orthodoxaque signatum Ecclesia, horum testimoniorũ, neq; fidẽ subit, neque autoritatẽ imminuit. De his Scripris sententiisq; agimus, quæ neque vetus, neque recens ante Lutherum Ecclesia damnare comperta est, quæ tot seculis, conciliis, hominibusq; probata, jam sectariorum censura nequicquam perstringuntur. Hæc tanta constantia temporum, tanta fidelium consensione, tanta nationũ ingeniorumq; diversitate, tanta totius Ecclesiæ veneratione firmata convellere, non hominis ratione consilioq; utentis, sed quidam Satanæ potius, ex orco in hunc orbem erumpentis, mihi furor esse videtur.

Et quid est, quod in usu humani sermonis, interpretationis licentia, cùm obniti decretum est, nequeat utcunq; enervari, quò imperitiori saltem vulgo recti species aliqua (ut in blandis persuaderi facile est) obrendatur? Etenim, ut res quæque subjecta sermoni, variis constat partibus, sive rei naturam, sive adjuncta spectes, & hinc causas, inde effectus respicit: ita vix quicquam reperitur tam omni ex parte descriptum expressumque, quod aliis aliisque sensibus, aut inflecti, aut restringi, aut ampliari, aut traduci per figuram nequeat: ut nisi de hac sensuum limitatione, vel extensione constet, vix quisquam de sententia loquentis scribentisque judicare infallibili veritate possit. Quare tutissimum hic est, per suffragia plurium, conspirantesque in eundem finem sententias ex S. haustas literis incedere, illorum præcipuè, qui oriente toto atque occidente divisi, eodem se ex fonte, unde scriptura manavit, genuinum eius sensum ostendunt depromere.

5. Postremò, ut irrefutabilis planè esset, hæc ultima Reformatio, inexpugnabili Traditionum in Ecclesia Catholica veritate firmavi. Ideoque hanc ex clarissimis S. Scripturæ, Sanctorumque orthodoxæ Ecclesiæ Patrum testimoniis, ac denique manifesta Adversariorum Confessione aliquantò prolixius exhibui. Quin etiam si & ipsæ Traditiones deficerent, ipsaque orthodoxa Ecclesia, in sensuS scripturarum definiendo esset fallibilis, tamen illius adhuc judicio in rebus fidei controversis standum, invincibili demonstratione evici, ut jam nemo nisi desperatæ salutis queat resistere.

6. Quod si tamen quibusdam Protestantium hic nondum satisfecero. Agant illi & Reformationis suæ causas, tū ex scripturis S. tum ex patribus verbi Dei interpretibus, tum denique tam manifestis nostrorum de antiqua Ecclesiæ fide testificationibus vincant; cedemus ubi id fecerint, citra interpretationem & commenta propria. Nos tamen ubi victores compertissima, quam prodimus, veritate, agnoverint, æquum erit, ut ad ovile, unde malè aberrantes divulsi sunt, postliminiò se recipiant. Opponemus scripturas scripturis, sententiam sententiæ, Patrūque utrimque suffragia colligemus. Ubi potiora hæc numero atque autoritate reperta fuerint, ibi certiora statuemus esse orthodoxæ Ecclesiæ vestigia, ejusque nos gremio in pace concordiaque securi credemus. Neque unius hæc res judicio, quamvis calamo possit, erit absolvenda, Plurium etiam Academiarum nationumque censura & approbatio deposcitur, sive opponendi studio, sive componendi gratia hic labor tractetur. Jā enim suos huc Satan emissarios, rabulas, & calumniatores protinus destinabit, qui cavillis, mendaciis, conviriisque omnia lacerent discerpantque, ut quod veritate & æquitate expugnari posse desperat consilium hoc nebulis ejuscemodi, velut magica incantatione objectis, saltē obscuretur. Quocirca earum, quas potissimum hac in re arbitras ex parte adversaria deposcimus, Academiarum nomina in fronte proposuimus, ut hæ saltem ex iis quæ ejusdem professionis sunt, hinc Augustanæ, inde Reformatæ ternatio minimum numero comprehensæ, ad hujus Concordiæ vel approbationem, vel correctionem, sententiam conferant, omnium consensione firmatam. Ita enim & solidiori veritate res agetur, & illa calumniandi intemperies, à quâ honesti plerumque ingenuique abhorrent animi, hac in causa, facilius declinabitur. Quanta verò æquitate hoc nitatur postulatum, intelligent omnes, quotquot norunt totius Ecclesiæ Romanæ sensum

sensum approbationemque ita nostris impressam scriptis, ut si qui nostrum ab illa in articulis fidei deflexerint, publica damnatione perstringantur, ideoq; iniqua prorsus nostra conditio futura sit, si ut primum adversariorum quisp am, non probatas a sua Ecclesia nobis opponat sententias, huic nos existimemur responsionem debere: quando unius hominis correctionem suscipere (qualis plerumque de honore magis suo, quam veritate solicitus, ubi rationes deficiunt, ad calumnias vertitur) labor inutilis futurus sit.

7. Iam intelligo Genuensem quendam in Germania emissarium, sed si eius spectemus scripta, scurram magis, quàm ingenuum scriptorem, & furiæ propiorem, quam homini, in me fabam cudere: quem scribunt, suis quoque symmystis ob putentis arrogantiæ maledicentiæq; genium detestabilem. Talis igitur si in hanc Meditatæ concordiæ machinam bos incurrat, nihil quidem actum est aliud, quàm ut ostendat fœnum se gerere in cornibus, mihique & cuivis opinor rectè sentienti risum magis, quàm bilem moturus est, licet sua ipse in bile mergatur & innatet.

8. Illudere huic etiam Concordiæ visus quidam Saxoniæ Superintendens ex Seyda est, M. Jodocus Schlaff, *in Responsione ad Instrumentum pacis Ecclesiasticæ Laubenbergeri.* Ubi circa finem, primam Meditatæ Concordiæ partem hâc censurâ perstringit. „Extra scopum, inquit, dubiis, latis, ambiguisque ex scriptura „coacta verbis hæc Confessio vagatur, atque utrique passim re„ligioni locum facit, non Lutheranæ minus, quàm Papisticæ. „Summa rerum non tangitur, nedum definitur. O Domini, „propriis nobis in cunes involandum est, ut constet de victo„ria. Equidem scire pervelim, unde hauserit Masenius quod Lu„therani verba phrasesque articulorum fidei è S. literis censeant „ducendas? quod Ecclesiæ Doctores, Patresque & Traditiones „damnandæ sint? quod quisque privatorum interpretationem „suam, pro verbo Dei substituat? Item impressa ab illo Concor„dia, & ut jactat Ratisbonæ ante quinquennium cusa, ab uni„versa Lutherana Ecclesia approbata sit? quod Episcopi Suecici „Joannis Matthiæ scripta, ut *oliva septentrionalis & alia*, Evan„gelicæ Ecclesiæ sit confessio? videtur hic Iesuita aliquantò in„tempestivius has merces obtrudere. Iesuitarum somnia veri„tatem non faciunt.

Ita D. Sclaff, somno ut apparet nondum excusso, qui cum veteri Dormitantio Hieronymum hic posset excitatorem mereri.

Nam in Mea isteConcordia evolvenda tam oscitanter versatus est, ut plures lapsus, quam lineas reliquerit. Egone de Lutheranis statui, *quod verba phrasesque articulorum fidei tantum ex S. literis ducendas censeant*, cùm ad consequentias simul doceam confugere, *suamque* (ut ipse fatetur) *interpretationem pro Verbo Dei substituere?* Id fatebor equidem ad primum illos teneri, qui pro sola norma scripturam S. agnoscunt, sed nunquam facere, cùm humanas propositiones & consequentias eidem commiscent. Obligationem igitur in illis agnosco, non voluntatem. Iterum, quod *Ecclesiæ Doctores Patresque à Protestantibus damnentur*, nullibi abs me traditum est, quin contrarium potius, *quod Scripturam S. juxta veteris Ecclesiæ Sanctorumque Patrum sensum usurpari postulent*, in procemio Confessionis Francofurtensis ostendi. Sed, quod inconstantes sint, & ad scripturam eosdem examinent, proque suo illos judicio, aut repudient, aut admittant, nec ipsimet mecum poterunt inficiari. Tertiò, *quod Ratisbonæ ante quinquennium hæc cusa sit Concordia*, nec mihi per somnium quidem in mentem venit, quòd Francofurti in Comitiis Electoralibus ab utriusque partis hominibus vulgata sit, etiamnum & typographi, & exemplaria testari poterunt. Quartò, *quod Episcopi Matthiæ scripta Confessionis loco Lutheranis esse censeam*, D. Schlaff phantasma, non meum est. Autoritate scriptoris vestri usus sum, quam magnus Suecorum Rex proceresque regni, suo in oblato hoc scripto, patrocinio dignati sunt, & autoritate munivere. Ut cum illam Jodocus noster explodit, ostendat quantum ab his ejusdem Confessionis Scriptoribus Concordiæ consensionisque nobis sperandum sit: & quàm justè nihil illorum scriptis tribuendum sit: nisi Ecclesiæ totius approbatione, ut nobis consuetum est, firmentur: Cùm citra hoc, mutuâ sese damnatione in rebus fidei quoque perstringant. En oscitantiam verè dormitantis hominis, qui sua Jesuitis somnia & deliria appingit. Et quis speret cum privatis tantæ perversitatis Scriptoribus, hac in causa, quicquam rectè peragendum, qui merissimis rem totam figmentis confundunt. Iam quod palmarium est, hic homo suam suorumque prorsus causam, dum malis artibus vult tueri, nobisque tradit, quando fatetur, *quod hæc Confessio utrique religioni locum faciat*: nam si Romano Catholici articuli in hac Scriptura S. contineantur, qua mente ac fronte negant, nostræ religionis sibi adversantia placita in S. literis comprehendi? qua discedunt à nobis conscientia? qua audacia inferunt reformatio-

tionem? Si poteſt in noſtro hæc ſenſu ſcriptura accipi, etiam debet; quia antiquitate, ſucceſſione, traditione, uſu perpetuo, ac poſſeſſione illius ſententiæ vincit. Eliminari non poteſt, niſi à ſcriptura contrarium ſenſum demonſtrativè neceſſarium evincente. Si dicant, quod Lutheranorum articuli hinc etiam capi poſſint; oſtendant pari certitudine, quod etiam debeant: aut ſi id nequeant, (ut omnino impoſſibile eſt) cauſa exciderunt. Porrò falſiſſimum eſt, utrique religioni in adductis S. literarum teſtimoniis locum fieri, nam ſic, vel ſcripturam Deumque ipſimet ſibi contradicere neceſſum fuerit; vel nos, ſi illa conſentiant, temerè, inter oppoſitas partes, ſententiis pugnantibus digladiari. Quid videtur D. Schlaff, poteſtne fieri ut Deus ſibi contradicat? Si neget, intelliget opinor denique pugnantes in S. Scriptura opiniones rectè fundari non poſſe. Ideoque qui Catholicæ in ea agnoſcit Eccleſiæ ſententiam, oppoſitam Proteſtantium ex eadem velut neceſſariam non poſſe eruere. Tantum modò D. Jodoco, & quibuſdam aliis, eodem, ut ſperem, collyrio ſanandis, reponere placuit; & hæc auctarii loco ſubnectere; ut paucis appareret, quanta futilitate argumentorum, adverſus Concordiæ noſtræ rationes inaniſſimè luctentur. Et quod nulla Academiarum ad ſubſcribendum, vel contradicendum ex Scriptura S. ad quam ſolam tot annorum decurſu provocarunt, certiſſimo victæ conſcientiæ indicio, appareat; ſed privati tantùm ſcriptores, nulla ſua Eccleſiæ autoritate muniti, ex ſuis nos latibulis, non amore, ſed odio veritatis infeſtent.

PRÆMUNITIO II.

Alienam à vera ratione & ſalute viam nonnulli Proteſtantium in Polonia, Helvetia, & Haſſia, ad ſyncretiſmum verius; quam Concordiam religionis ingreſſi, nobis conſultius acceſſuri ſunt.

Concordiam plures olim, atque hodiedum Proteſtantium inter ſe moliuntur, ut tot diverſis, quibus illorum indies Eccleſiæ ſcinduntur, religionibus remedium aliquod afferant; ſed plerique ſyncretiſmum pro vera religionis pace inducunt. Conjurata non ad ſalutem, ſed plurium interitum concordia eſt. Fide humana magis, quam divina ſociantur.

Iam dudum eſt, quod Harmoniam Confeſſionum Helveti &

Genevenses vulgarint, quibus utriusq; per Europam religionis hinc Lutheranæ ac Bohemicæ; inde Calvinianæ & Zvvinglianæ homines adversus Romanam Ecclesiam, communi federis vinculo sociare conantur. Quo studio illi, qui se Reformatos dici volunt, Calvinistæ inprimis occupantur; non quod Lutheranorum sententiis faveant; sed ut sensim hac Concordiæ illectos specie, a propriæ Confessionis articulis abstractos ad se traducant. Quo quidem artificio (*ut prona semper in peius via est*) tantum profecerunt hactenus, ut integras ad partes Lutheranorum provincias traduxerint. Duplici id potissimum viâ obtinuerũt: altera per inclinationem sententiarum, quales de cœna, de prædestinatione, de baptismo, pœnitentia, usu imaginum, aliisque circumferuntur diversæ, ut persuadeant in fundamento fidei se nequaquam disfidere, altera, quod hac concordiæ imagine occupatos devinctosque suis partibus, sensim sine sensu, & pacis studio, & libertatis majoris illecebra in idem secum præcipitiũ abstrahant, unde difficilior omnino, quam ex Lutheranismo ad synceram veritatem orthodoxamque Ecclesiam receptus sit.

1. Ut exemplis rem tradamus, Articulum de cœna Domini tam ad fallendum accommodis verbis concipiunt, ut qui illum legant, de veritate præsentis Christi in pane Corporis ambigere vix possint, quorum tamen deinde mentem si pressius executias, intelliges, non nisi de præsentia per fidem apprehensi Christi illos sentire ac loqui, quæ nihil in pane, aut calice ponat, aut mutet, sed in solo tantum capite sit apprehendentis: ut nihil magis de verè præsente Christo in Sacramento possideat, quam quivis fide viva credens in Christum extra Sacramentum. Quam obsecro crassa & detestanda hæc ludificatio est? Vicissim Calviniani non erubescunt præcipuis quandoque suæ religionis articulis renuntiare. & parti contrariæ suffragari; ne tot sectis à se mutuò divellantur. Verùm infelices ejusmodi Conciliatores non intelligunt, hac se via non minuere, sed augere schismata. Cum symmystæ plerique has uniones, quæ sic dispensant in articulis ad fidem necessariis, detestentur. Itaque in statione persistant, reliquis in novas sectas. & articulos rerum credendarum jurantibus Celebre hoc nomine illud est Synedrion Sendomiriense, quod Anno M. D. LXX. 14. Aprilis inter nonnullos Augustanæ Majoris Poloniæ, & Helveticæ minoris, denique Bohemicæ Confessionis Ministros, eo fine modoque coaluit; ut hi, qui se Reformatos ex Helveticis dicunt, hunc Confessionis Saxonicæ articulum de cæna, baptismo & pœnitentia admiserint.

Baptiſmus & cœna Domini ſunt pignora & teſtimonia gratiæ, quæ de promiſſione & redemptione nos commonefaciunt, & oſtendunt beneficia Evangelii ad ſingulos pertinere, qui his ritibus utuntur, &c. Item, nec admittuntur illi ad communionem, niſi prius à Paſtore, aut Collegis ejus auditi ſint, & abſoluti. In hac exploratione interrogantur, & erudiuntur rudiores de tota doctrina ac deinde abſolutio promulgatur. Docentur etiam homines Sacramenta eſſe actiones divinitus inſtitutas, & extra uſum inſtitutum res ipſas non habere rationem Sacramenti, ſed in uſu inſtituto in hac communione verè & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum, & verè exhiberi ſumentibus corpus & ſanguinem Chriſti. Teſtari Chriſtum, quod ſit in eis, & faciat eos ſibi membra, & quod abluerit eos ſanguine ſuo, &c.

Hæc ex Confeſſione Saxonica, pro Concordiæ illius præcipuo fundamento ſunt collocata. Viciſſim ex ſuis dicti Reformati Confeſſionibus hunc articulum Conſenſus n. 18. inſeruerunt. *Ceremonias & ritus Papiſticos ſenſim auferendos & omninò rejiciendos eſſe cenſemus: ut exorciſmum, imagines idololatricas, Sanctorum reliquias, uſum ſuperſtitioſum candelarum, conſecrationem herbarum, vexilla, cruces aureas & argenteas, ac his ſimilia: ne per illa verbũ Dei profanetur, & ne Antichriſto patrocinari videamur.*

Hoc Synedrion deinde per Synodos pleniores, ut Cracovienſem anno 1573 Petrovicenſem 1578. & Wladislavienſem 1583. confirmatum auctumque eſt.

2. Mirum tamen videri jure poterit, quid obſtiterit, quo minus fratres illi Polonici tam ſtudioſi Concordiæ Harmoniam Confeſſionum apud Helvetos editam admittere hac ultima in Synodo detrectarint. Sic enim loquuntur Art. 4. *De Harmonia Confeſſionum Evangelicarum (pio ſtudio & ſolerti labore apud Helvetios nuper edita) in eam ſententiam itum eſt. Siquidem nos in Polonia & Lithuania, &c. divino favore habemus certam Concordiæ noſtræ normam ac vinculum conſenſum Sendomirienſem, & quo tanquam vexillum pacis in unum Domini exercitum conjuncti feliciter utimur. Proinde iſti harmoniæ ceteriſque concordiæ formulis ſubſcribere ac eas in noſtras Eccleſias inferre, ſupervacaneum eſſe cenſemus.*

Ut ſtupendum ſit, quâ fronte Helveti ac Genevenſes, ita publico orbis judicio illudere non vereantur, quâ mente illam paſſim ceteri Reformati nominis affectatores Harmoniam auſint admittere, in qua (ut aliqua memorem) ſine baptiſmo ſalus infantibus alibi adſtruitur, alibi negatur. Miſſa, Confeſſio, imagines Sanctorũ alibi tolerantur, proſcribuntur alibi. Chriſtus

 alicubi

alicubi pro omnibus : alicubi pro solis electis mortuus est. Adeò tamen Harmonia dissonans, adeo discors Concordia Protestantium toto orbe plurimis jam annis vulgata , tam dissimilia unum in fasciculum Evangelicæ, si fas est, pacis unionisque colligat : non tam ut idem sentiant, quàm ut idem in fide sentientes Catholicos oppugnent. His Apostolum hortatorem ad Philip. 3. Propono *quicunque perfecti sumus, idem sapiamus & in eadem permaneamus regula* : *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebā vobis, inimicos Crucis Christi*, ipsi eligant quibus malint accenseri, mihi hoc loco severius non lubet arbitrari.

3. Non tamen abs re fuerit cognoscere, quod recens hac in re Concordiæ monstrum Marpurgenses & Rintelenses Theologi, illi Calvinistæ, hi Lutherani (ignoscite si displiceo, quando alia distinctionis magis propria non reperio vocabula, neque quenquam tam ingratum suæ Reformationis autoribus futurum putem, ut eorum nomen erubescat) procuderunt. Serenissimus Hassorum Princeps Wilhelmus, spe subditorum in una religione ad quietis publicæ emolumentum jungendorum, hos locis utrisque ad amicam tractationem Cassellas exciverat anno 1661. ad principium mensis Julii. Hi rationibus ultrò citroque agitatis, certa denique lege in unam coaluêre Ecclesiam, quæ hactenus illis fidei fundamentis nondum satis innotuerat. Unde paucis, ex edita ejusdem anni *Relatione Colloquii* Cassellis apud Schadevvitzium, cum utriusque partis subscriptione, lubet illius Concordiæ meminisse.

Primo quidem, in articulo de S. cœna, inter partes utrimque convenit, spiritualem manducationem Corporis Christi ad salutem omnino necessariam esse, per actum veræ fidei, prout fertur in Christum Crucifixum, sibique eum cum omnibus meritis applicat. Theologi tamen Marpurgenses ritum fractionis panis , non quidem ad essentiam Sacramenti, sed tamen ad integritatem ejus, propter Christi exemplum & mandatum, necessarium ducebant, quam necessitatem Rintelenses non agnoscebant.

Quod ad oralem manducationem Corporis Christi attinet; quæsitum fuit : an Corpus Christi in usu Sacramenti, una cum pane comesto, in ore uniuscujusque sumentis , tam fidelis , quam infidelis ἀδιαςάτως *præsens sistatur: Et Theologi quidem Rintelenses affirmativam: Marpurgenses verò negativam defenderunt. Quoad momentum verò convenit , quod controversa ista quæstiones, sive asserta, sive negata ipsum salutis fundamentum non evertant. Cum utrimque in confesso sit, in utriusque partis Ecclesiis, non obstante illa dissensio-*

dissensione, usum Sacramenti, secundum Christi institutionem, sine substantialium additione, vel detractione, integrum & illibatum manere.

De hinc de Prædestinatione, gratia & libero arbitrio inter collocutores pluribus actum. Convenit inter utrosque post hominis lapsum, nullas esse nec remansisse in ipso residuas vires, ad bonum spirituale; vel inchoandum, vel peragendum; sed ex divino totum pendere beneplacito. Negabant tamen Marpurgenses primò, quod Deus omnibus & singulis hominibus gratiam suam per ordinaria media conferre paratus sit, adeoque omnes & singulos vocare, convertere, regenerare, justificare, adoptare, & glorificare velit. quod Rintelenses, quamvis non absoluta, conditionata tamen, & seria voluntate Deum velle affirmabant. 2. Negabant Marpurgenses, Rintelensibus affirmantibus, quod gratia conversionis ita se habeat, ut homo in virtute gratiæ Evangelio obsequium præstare, & per connatam malitiam ei resistere, & obicem ponere æque possit. 3. Affirmabant Rintelenses, Marpurgenses negabant, quod prædestinatio secundùm præscientiam perseverantiis fidei facta sit. 4. Quod reprobatio nonnullorum sit facta secundùm præscientiam finalis impœnitentiæ & incredulitatis, Rintelenses affirmabant, negabant Marpurgenses. 5. Quod Christus pro omnibus & singulis hominibus, tam reprobis, quam electis sit mortuus, iisque remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam sit promeritus, Rintelenses similiter affirmabant, negabant Marpurgenses. 6. Quod qui pro præsenti vera fide justificante præditus & in statu gratiæ est, per aliqua peccata à se commissa fide & gratia excidere posset Theologi Rintelenses affirmabant. De electis verò secundùm præscientiam fidei statuebant, eos finaliter excidere non posse, non quod hoc sit impossibile absolutè, sed ex hypothesi divinæ præscientiæ. Contra negativam adstruebant Marpurgenses; ita tamen, non quod absolutè illud, Tò non excidere fide & gratia, *fieri non posset, sed ex hypothesi divinæ gratiæ, quæ est* ἀμεταμέλητ☉ *judicabant tamen utrimque has controversias non inducere dissensum in fundamento fidei, tum quod Pelagiana & semipelagiana dogmata utraque pars aversetur, tum quod regulæ practicæ, quæ justificationem à vera fide suspendunt, inconcussæ maneant, nempè,* qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, *tum denique (ut Marpurgenses addebant) quod hæ quæstiones pleraque, inscrutabilia Dei judicia, & modum divinæ virtutis occultum in homine concernant: sine quorum cognitione multi hominum servari possint.*

De persona Christi sic utrimque convenit, quod Christus Deus sit

& homo in persona unitate, ita ut integrâ manente utraque natura utriusque simul proprietates essentiales salvæ manerent: licet de tota persona in concreto verè & realiter prædicari possent, sed respectu illius naturæ cui competerent. Rintelenses tamen asserebant, quædam attributa divina, quæ ad operandum spectant v.g. omnipotentiam & omniscientiam de natura humana in abstracto, (non quidem, ut intrinsecè, sed denominatione solum extrinseca illi convenientia) prædicari posse; quod hæc, ut principium quo *secundarium, mediante unione, per omnipotentiam divinam, & omniscientiam ubique in Deo præsentem, ipsa licet absens, operaretur, quod Marpurgenses non agnoscebant; sed prædicationes has solùm in concreto de persona fieri volebant, ut homo Christus (non humana natura) omnipotens, & omniscia dici posset. Neutram verò partem hac dissensione fundamentum fidei & salutis evertere statuerunt; quod utrimque sentirent, Christum verum Deum Patri & Spiritui S.* ὁμοούσιον *verum etiam hominem, nobis per omnia, excepto peccato, similem, hæresimque Nestorii, Eutychis, Marcionis, Arii, Photini, Pauli Samosateni, Socini, aliorumque qui vel unius, vel alterius in Christo veritatem sustulerunt, vel unionem earum everterunt, rejiciant: nec Marpurgenses negando communicationem majestatis divinæ personalem unionem dissolutam in Christo velint: neque Rintelenses adstruendo, naturarum confusionem inducere.*

Denique de S. Baptismo utrimque consensere, quod infantes baptizandi sint, ut Christo inserantur & spiritualiter regenerentur, ea tamen necessitate solum, ut non quidem baptismi omissi privatio, sed contemptus Sacramenti tantum non baptizatos damnet. Quæsitum deinde, an fidelium infantes ante baptismum sancti sint, & infans salute excidat, si neglectu culpabili aut contemptu parentum baptismus collatus non sit. Rintelenses ante baptismum sanctitatem non agnoscebant, neglectum contemptumq; talem periculosum censuere, veriti tamen quicquam decidere, statuerunt in defectu Ministri ordinarii laicum administrare baptismum posse: Marpurgenses sentiebant ejusmodi infantes Sanctitatis federalis, non tamen inhærentis censeri participes, vi cujus Spiritum S. in decedentibus è vita regenerationem operari censebant, neque in neglecto baptismo culpam parentum obstare debere, aut necessitatem dari, qua Laicis administratio baptismi concedenda sit. Sed per has controversias à neutra dissidentium parte salutis fundamentum tolli utrimque convenit.

Hæc brevis summa illius Concordiæ, quam illorum penè verbis, sed nonnunquam accisis, atque in compendium redactis exposui.

4. Verum

4. Verum hanc non esse Concordiam, at syncretismum & dissimulationem in erroribus fidei toleratis, tam est manifestum, quam toti orbi cognitum, Confessiones fidei publicas, quibus articulos rerum credendarum vulgo exhibent, has inter se pugnantes sententias, tanquam fide divina credendas, proponere. Hospinianus inter primipilares nominis Reformati, in *discorde sua Concordia* ait Peucerum jure hoc nomine Lutheranis concordantibus noluisse subscribere, *quod*, ut inquit, *hæc opinio*, de præsentia reali corporis Christi in pane, *penitus evertat articulum fidei de vera humana natura assumpta à filio Dei in unitatem personæ, & de ejus naturæ proprietatibus contra ipsius scripturæ consensum, cui articulo insistit fundamentum salutis nostræ. Et quod confirmet & stabiliat nervum horribilis idololatriæ in missa Pontificia, in qua panis consecratus adoratur.* Hæc tamen nostri conciliatores hoc tempore citra nauseam possunt absorbere & concoquere. Verum ex quibus principiis hæc repentina Ecclesiarum hactenus, coram Europa universa, religionis causa divisarum coalescit unitas? An post tot annos primum agnita veritas, quam nec Lutherus, nec Calvinus antesignani vestri potuerunt agnoscere, nec hodiedum tot Ecclesiæ pertinaci in fide dissensione separatæ agnoscunt? Tam pauci hactenus vestrum sunt, qui substantiales vestræ fidei articulos exploratos habuere, ut jam demum sola Hassia, singulari divinitus lumine illustrata, isthæc penetret, tot circum nationibus ad hanc lucem etiamnum caligantibus?

Sed pressius & universè fictam horum Concordiam arguo, damnandamq; orthodoxis Christianæ fidei assertoribus ostendo. Vel enim pugnantes illæ sententiæ, per quas dissident in S. literis continentur, vel extra scripturam assumuntur. Si verbo Dei definitæ sunt, sine illius injuria & divinæ fidei violatione rejici non possunt: Si definitæ non sunt, prævaricatores erunt, quotquot illis pertinaciter adhærescunt, maluntque Ecclesiæ consensum violare, quam humanas fallibilesque opiniones deserere. Iterum, si aliæ sunt fundamentales fidei sententiæ; aliæ iisdem innixæ non fundamentales, erit certa scriptura S. quæ illas à se invicem distinguat, & has minimè necessarias, istas verò omnino esse ostendat, & sine hac distinctione cognita impossibile erit fidelem scire, quid sibi præcisè ad fidem necessarium sit, adeoque salutem, quæ ex hac cognitione dependet, consequi At fundamentales has fidei sententias, neque S. scriptura uspiam definita complectitur, neque quis-

quisquam hactenus certi vulgòque exploratis articulis prodere compertus est, in cujus doctrinam ceteræ Ecclesiæ Protestantium conjurarent, impossibile igitur hactenus communiter adversariis fuit ex hac cognitione suam operari salutem. Denique ex qua, obsecro scriptura conciliatores illi probaturi nobis sunt, in articulo de cæna v.g. ad fundamentum salutis spectare, ut credam in Sacramento hoc esse signum Corporis Christi, non verò, ut credam esse illic corpus Christi? spectare ad fundamentum salutis, ut credam infantes jam in adulta ætate malè rebaptizari, aut iterari baptismum in hæreticis, aut eundem aqua constare, & non igni: non spectare, sive infantes fidelium asseram sine baptismo salvari posse, sive id negem; sive extra baptismum hos sanctos esse, sive profanos affirmem, cum tamen scriptura S. non minus his indifferentibus, quam illis fundamentalibus articulis faveat? Ostendo. Quid hac scriptura disertius est, *caro mea verè est cibus : & hoc est corpus meum*? Quid illa *omnes homines vult salvos fieri, & dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*? 1. Tim.2.v.5. Quid ista, *nisi quis crediderit & baptizatus fuerit, non potest intrare in regnum cælorum*? & tamen oppositum sentire, quod non omnes salvos velit, quodque pro omnibus redemptionem suam non obtulerit, & non baptizatus servari possit, hoc istis censoribus ad fidem salutemque videtur impertinens. Verbo hæc absolvam, (quæ ex professo non refuto, sed obiter solum perstringo) Probent hactenus talem in mundo, hisce articulis definitam, extitisse fidem : aut agnoscant nimium seseridiculos in hoc terrarum angulo reformatores factos esse Lutheranæ simul & Calvinistæ Ecclesiæ, quos, qui salem habent in pectore, etiam symmystæ explosuri sunt.

5. Quare ad paulò solidiorem concordiam, meliusque in S. fundatam literis nobis adspirandum est, aut de salute multorum erit conclamatum, quando tantum *unum ovile & unus est Pastor*. Non quærenda nobis fides & Ecclesia nova est, quæ nunquam fuit, sed vetus Christi Ecclesia quæ semper, quæque supra petram fundata, perpetuaque successione Doctorum propagata ab Apostolis ad nos usque descendit. Quam cum ex solo etiam verbo Dei reperire promptum sit, ad hanc omnibus erit redeundum.

PRÆ-

PRÆMUNITIO III.

Præcipuum artificium, quo Protestantes hactenus Concordiam Religionis impediunt, detegitur, & opposita veritate evertitur.

SI tam avidè cum Romano-Catholicis de Concordia reparanda soliciti essent Protestantes, quam de novitiis sectariorum Ecclesiis inter se per syncretismum colligandis multi laborant, tam horrerent figmenta, quibus Romanam onerant religionem, quam studiose concinant, ut suam tueantur jam dudum pristina in fide, pace atque unitate florerent Ecclesiæ. Sed quando *multis*, qui pro grege Christi excubare deberent, neglectè *dormientibus, venit inimicus homo, & superseminat zizania*, mendacioque contra veritatem, seditionibus adversus reconciliationem manifesto studio patrocinatur: aliorum vel fovetur perfidia, vel fides labefactatur: hinc multorum bonum concordiæ semen spargentium fallitur industria. Quare has inimicorum artes, quibus pacem, quam inter se divisi quærunt, nobiscum dissipare per fictas criminationes moliuntur, paucis detegam, ne concordiæ veritatis studiosi ad hos scopulos malè allisi, conatum omnem successumque evertant. Exitiale adversus Romanam Ecclesiam in omnium animis concitare atq; inflammare odium Adversarii conantur, cumque summa quæque invidiæ vulgique criminationibus facilè pateant, favet impositis fictè criminibus assensus populi, & quos suæ Doctores ductoresque religionis admisit, hos ad errorem odiumque magis promptè, quàm veritatem charitatemque duces consectatur. Porrò illius Religionis proceres, qui rem Catholicam propius norunt, quamvis pleraque hæc figmenta magis, quàm ipsi Ministri Verbi (qui ex libris antecessorum sæpè ignorantes hauriunt) intueantur; tamen ab usurpata libertate, statusque sui ratione; atque inprimis commodorum inde manantium opportunitate ægerrimè divelluntur, præsertim cum & vita solutior, & persuasa quam plurimis omnium etiam diffidentium in uno Christo salus blandissimo lenocinio devinxit. Paucorum itaque malitia, plurimorum inscitia vel dissimulatio pacem hactenus concordiamque in orthodoxa religione per Europam subvertit.

§. 1. Præcipua igitur malevolorum hominum commenta exploremus, quibus Romanam falsò Ecclesiam onerant, ut omnem

omnem cum illa Concordiam intervertant. Primò quid illo crebrius inter sectarios, quid pinguius inconcinniusque figmento est; quod vix quingentis, aut sexcentis annis Ecclesia steterit; cùm subitò omne Christi regnum occupaverit iniquitas, & Antichristus illic sedem erexerit, qui hodiedum præsideat, & tot Christiani orbis Reges & Principes, excæcatos & dementatos omnes, adoratores cum tot regnis & regionibus habuerit donec post tot secula è septentrione denique (à quo omne scilicet bonum) in angulis quibusdam terrarum, per novos quosdam Apostolos verè Evangelicos, qui ex monasteriis ad mulierum thalamos provolarunt, salus in Europam, multis seculis abscondita emersit. Qui illius Antichristi tyrannicum in conscientias imperium esse dictitant, cum à Deo Deique verbo abstractos, mandatis hominum, & suis decretis, veluti divinis, parere jubeat, nubere prohibeat, abstinentiam certorum ciborum imperet, quales erroneos spiritus Apostolus 1. Tim. 4 cavere jussit. Hæc oratio adversariorum, velut tuba Evangelica, omnia pulpita & exedras concionantium replet, hac ipsi ubique libri scriptorum personant. Sed quo veritatis fundamento? Illo scilicet, ut nec ipsi, qui hæc adstruunt, credant sibi. Nam Antichristus juxta illos, vel unus homò est, vel plures. Si unus, quomodo tot Pontifices in unū conflabunt hominem, quomodo Pontifex *hic est Antichristus, qui negat patrem & filium*? 1 Joan. 2. v. 22. quomodo *adversatur, & extollitur super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur*? 2. Thess. 2. v. 4. quomdo à Judæis pro Messia recipitur? Joan 5. v. 43. & 2. Thess. 2. v. 10. quomodo vel *mensibus quadraginta duobus*, vel *diebus mille ducentis sexaginta*, Apoc. 11. v. 2. vel *per Tempus & Tempora & dimidium temporis (sive anni) regnabit*? Dan. 7. v. 25. quomodo terra dehiscente, cum duobus prophetis suis, in abyssum Christo oppugnante absorbetur? Apoc. 19. v. 20. quomodo capitalis ille Christi hostis verum Christi, quod ipsi adversarii profitentur, Evangelium, toto orbe, in gentilitatis tenebris & sub certissimo diaboli jugo posito facit evulgari? Matt. 28. Si plures sunt Antich. jam tolli necesse est totam hanc aliamque scriptur. S. quæ vel unum tantum statuit *hominem peccati & filium perditionis*. 2. Thess. 2. v 3. & 8. vel cum de pluribus loquitur, non nisi Antichristi prodromos hæreticos intelligit, de quibus disertissimè Joannes, *Filioli novissima hora, & sicut audistis, quia Antichristus venit*. Quomodo? an sub Apostolo Joanne jam Pontifex quisquam Romanus Antichristus? Sol-

vat ipse nodum. Nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. 1. Joan. 2. v. 18. & Paulus 2. Thess. 2. *mysterium jam operatur iniquitatis.* quod August. l. 20. de Civit. c. 19. Theodoretus, Sedulius, aliique, de hæreticis dictum interpretantur. Quid quærimus, quinam inter plures Antichristi dicendi sint, quando manifestè hæreticos ejus temporis, non Pontifices designat. Videant igitur, ne tam crassi Pontificum calumniatores suo se naso vellicent, cum tam adipatis figmentis veritatem concordiamque oppugnant, suis facile telis conficiendi: Si aliam modò Pontificum faciem, habitum, dignitatemque, quam in primis Ecclesiæ Rom. Episcopis admireris, aliam quoque Ecclesiam toto orbe fusam totque Regum capita complectentem observare necesse est, ut nisi corpus hoc monstrosum esse volueris, cum reliquis membris ipsum quoque caput supremum crescere debuisse existimandum sit.

2. Mandata hominum Ecclesia Romana adeò detestatur, ut neget ullum fidei articulum his subniti posse: divini solùm spiritus, per Ecclesiam universalem, vocem agnoscat, quâ credit se decipi non posse, sive summus illam Pastor, suo ex consensu, sive collectum sub uno hoc capite Concilium simul enuntiet. Quâ in re juxta humanas divinasque rationes securissimè sanctissimèq; nos in rebus controversis incedere, suis infra locis patebit. Certè ea te solum lege ad hanc Ecclesiæ vocamus concordiam, ut nihil nisi verbum Dei tibi statuas esse divina fide credendum, & si aliud quippiam admiseris, nostra te etiam scias censura perstringendum. Ceterum nuptiæ prohibentur nullis, nisi *eunuchis, qui seipsos, voluntaria devotione, castraverunt, propter regnum cælorum.* Ciborum abstinentiam, pro placanda Dei ira, cum Rege Ninivitano quandoque Ecclesiam præscribere, inter scelera non potest computari, adeoque in his aliisve nihil est, cur in tantam calumniandi rabiem adversarii solvantur, nisi effrenis propriæ linguæ libertas. & profligatæ vitæ malitia. Quibus ab hac causa submotis, facilis erit conciliatio.

3. Est proximum huic commentum memoratu dignum, quo fingunt Romanos à S. Literis, verbo Dei, veraque in Christo fide & justitia avocare, perque operum suorum meritum, Christi operum dignitatem, & merita oppressum ire. Quam verò illa à veritate remota sint, quantumque præ adversariis S. Scripturæ ac verbo Dei, veræ fidei justitiæque in Christo, tum operum ipsius præstantiæ deferamus, manifestum & superio-

ribus hujus concordiæ partibus, & hac ultima quoque futurum est, atque ex illo solo abundè liquet, quod nihil virtutis ac meriti nostris tribuamus operibus, nisi in virtute ac merito operum Christi. Et quis, obsecro, quicquam soli luminis & claritatis derogat, quod simul crystallum aurumque affulgens illustret? Hæc certè utrorumque decus non minuunt, sed extollunt.

4. De invocatione Sanctorum usuque imaginum, quod gravissimis pro concione invectivis, scriptisq; libris audacissimè nos idololatras proclament, quid potest esse indignius? Cũ detestemur ac proscribamus à nostra procul omnes Ecclesia, quotquot ulli creaturæ divinum censent honorem exhibendum; ut tot gentes jam intra seculum ab idolorum cultu ad Christum traductæ argumento plusquam humano demonstrant. Si vel imago, vel sanctus apud nos memoriæ amorisque & observantiæ erga ipsum causa servatur, an iccirco, divino illa honore ac veneratione dignamur? Nunquid & Principes Regesque, in se Dei imagines veneramur, & tamen infra Deum? Qui tam angustæ mentis est, ut inter cultum creaturæ & Deo debitum nequit distinguere, suam prodit stupiditatem, non destruit veritatem. Quisquis es, qui nostris adjungere te partibus desideras scias te nostrum esse non posse, nisi execreris omnem quicunque divinum ulli Creaturæ cultum impendendum putat. Hoc nisi feceris, nobis eris execrandus. Quod si adhuc reformides, ne quid in cultu religioso, vel sanctis Dei, vel imagini tribuas, quod divinum sit, abstine, nemo te cogit, Deum solum venerare; multi cœlum obtinent, qui neque imagines habuêre, neque Sanctos venerati sunt, non est præceptum, sed pietatis consiliũ, ut pluribus Dei amicis stipatus ante thronum misericordiæ implorator procumbas, facilius illis simul intercedentibus obtenturus, quàm solus obtineas. Alia si te pietas magis exstimulet, habes libertatem; tuo bono fruere, sed noli damnare alienũ. Frustra igitur nos accusas, quando, nisi tua malitiâ, non potest apud nos fieri idololatra.

5. Postremò fidelium defunctorum nos curam in sacrificio precibusque suscipere, opus esse jactant ad solum quæstum lucrumque à sacerdotibus excogitatum. Purgatorium itaque indulgentias, & satisfactionis opera figmentum esse, quo multorum culinæ pinguescant, sed Christi passio & satisfactio extenuetur. Plerisq;, fateor, qui hæc pertinaci in nos spargunt convitio, purgatorium non erit metuendum. Verùm ubi illos relicturi sint, qui hinc non plenè purgati, & otiosis saltem verbis onerati

nerati discedent? Quod fieri posse, quis ambigat? ubi hos reponent, quando cælum nihil recipit inquinatum, infernus levibus justorum delictis pandi, nisi crudeliter, non possit? Cùm ergo & Machabæorum nos exemplum, & veteris Ecclesiæ usus ad hoc pietatis officium invitent, non est cur detrectemus. Neque video, cur quisquam id tantopere in Romanis adversetur, quando hoc cuique religionis exercitium liberum relinquitur, modo aliorum erga vita functos pietatem non condemnet. De Sacramentis, satisfactione indulgentiisque nostris, ita sentimus, nihil illa posse nisi in virtute satisfactionis Christi. Non igitur hujus vim adstringimus, sed magis etiã hoc pacto amplificamus. semen suam virtutem in spicis non amittit, sed multiplicat: palmes fert botros, sed in sua vite, majori vitis gloria, & exspectato fructu.

6. Hæc præcipua sunt, quæ ex nostræ fidei articulis, (nam adiaphora non tango) pleno ore librisque acerrimis perstringuntur. In quibus tamen æqui prudentesque rerum arbitri, præsertim illi, qui ex religionis studio suas minimè fortunas vident librati, facilè nobis accessuri sunt, si justus utrimque argumentis rationes dissentiendi ac consentiendi ponderentur. Quod adversæ partis Theologi facturi nunquam sunt, si suorum se proventuum adire periculum, deserta statione, senserint. Unde vix certa spes affulget hujus Concordiæ, nisi gravissimorum ante Principum animi ad hoc studium per Europam inclinentur, citra quos diabolus hoc sibi regnum extorqueri vix patietur.

§. II. Quid si nunc ego absurda quæque, quibus adversariorum sententiæ jure onerantur, producam in medium, suisque momentis expendam, horrerent certè autores ipsi, si dignis hæc lineamentis, velut in tabula, suo quæque colore expressa cernerent. Verum longioris illa res operæ alium justi voluminis Tractatum requirit. Mihi nunc tantum satis erit, quædam tantùm, velut per indiculum designasse summa rerum capita.

Primò. *Quale* obsecrò modestiæ & submissionis specimen est, erga veteres orthodoxæ Patres, concilia adeoq; ipsam universe Ecclesiam, velle illos in rebus credendis ad examen vocare, & tuopte judicio constituere: illorumne; an tua sententia S. Scripturæ conformior sit, & hos, si ita tibi visum sit, tuo damnare judicio, in controversis Scripturæ sensibus, qui non minus genuinum illius sensum, quàm scripturam ipsam proximè ab Apostolorũ ore & manibus exceperunt? An non hoc est

una manu erigere, altera destruere Ecclesiam, eandemq; & orthodoxam fateri, & erroris, cum in fide non sequeris, arguere.

Deinde, quod habes fundamentum tuæ in fide securitatis? provocationem inquis, ad solam Dei sententiam in S. literis propositam, quæ falli non potest, aut fallere. Sed cùm errare, (ut dicis) possit Ecclesia, imò cum tuus etiam qui te huc agit Spiritus, quæ certitudo tibi de hoc Dei Verbo relicta est? Adde, cum hæreticorum plerorumque hoc solo fundamento nixa ac decepta securitas sit, quod, amabo, tibi soli argumentum reliquum est, quo tu perinde ut isti falli nequeas? Quæro igitur, an sapientis sit sibi uni in scripturarum dijudicanda sententia certitudinem polliceri, & plus quàm ceteris mortalium tribubus universis, securitatis vendicare?

Tertiò, qua mente audes symbolum Apostolicum clarissimis conscriptū verbis, disertissimis etiam S. scripturæ fultum sententiis, in his e g. verbis, *descendit ad inferos. ascendit ad cælos* ab usitato obvioq; detorquere sensu, & vel istic per inferos sepulchrum, vel hic per ascensum apparentem solum, non verum quoad substantiam transitum, locique permutationem intelligere? Nonne hæc præcipua antiquissimæ est fidei regula, cum ipsis S literis nata pariq; manu, ac securitate cum illis tradita, ad quam ambiguæ scripturarum sententiæ, juxta regulas bonæ interpretationis, expendendæ essent, & hanc ipsam à nativo quisquam significandi ingenio, suo ausit arbitratu traducere?

Quartò, cum ab illo judicio, quod, in controversis scripturæ sensibus, Ecclesiæ discretivum est, ad vestrum abitis judicium, ubi obsecro rectæ mentis discretio est, quæ nec sibi nimium jubet tribuere, & in ancipiti disceptatione, multis potius, quam uni fidere? Si utraque partium errori obnoxia sit, minus semper censetur esse, quæ plurium consensu, antiquitate præsertim fulcito, nititur. Quisquis aliud statuerit, temerarius est.

Quintò, videant, quantum ab optima regiminis forma, constantique, & convenienti temporum, locorumque omnium disciplina, animorum juxta morumque consensione, sacrorum ritu, Ecclesiarum cura, religionis dignitate, amplificatione fidei, æstimatione legis Christianæ, conjunctorum robore fidelium, communione precum, charitatis latè exercendæ propagatione deflectant, qui sublato visibili in terris Ecclesiæ capite, tam pulchrum robustumque corpus sub diversis capitibus, nunc ecclesiasticis, nunc profanis dissipant ritibus, sacris, moribus, disciplina, studiis dissident, ac nonnunquam omnino

pug-

pugnant Romanæ Ecclesiæ cultum, formamque, & sacrorum ritum eundem in India, & America, in Asia & Europa in Hispania & Gallia reperies. Unam nunc si intres Saxoniam, unde hæc primum dissipatio nata est, pene tot religiones tenumerare dixeris, quot videris Ecclesias, alibi Missa toleratur, proscripta alibi; hic cruces & imagines in templis videas, illic hæc ornamenta exulare omnia, alibi sedentes, stantes alibi cænam admittunt, nonnullis antiquus habitus, ritusque in choro canendi placet; aliis displicet. Sensim tamen ad Calvinismi puritatem deflectitur, qui nihil ad sacra in templis ornamentorum relinquit, sed hæc velut in artium transformat gymnades, ubi inter nudos parietes, cathedram, docentis mensam & sedilia aliquot audientium reperias. Et quis hunc unius credat esse Dei populum; quem juxta unam S. scripturæ regulam disciplinamque moderetur?

Sextò, expendant, quot veræ fidei Ecclesiæque notis destituantur, quot falsæ & heterodoxæ signis deformentur. Alibi de his fusius in meo Augustino disserui, hic solum nonnulla tango. Antiquitas, successio, constansque perpetuitas istius, quæ nunc est, Ecclesia deficit. Si illius reformatæ Ecclesiæ quæ superiori anno in Hassia per unionem conflata est, exemplar ex superioribus quibusque seculis postularem, estne qui se exhibiturum speret talem, quæ eosdem pro fundamento fidei articulos solum admittat, reliquos omnes excludat? De Luthero & Calvino, quid dicam? uterque tanquam Vertumnus, quã uno anno fidem certis definivit articulis, hanc variavit altero, nec est hodie sectariorum quisquam, qui in omnibus fidei cum eodem conspiret articulis. Non jam quæro, ubi hæc ante illos fides totidem necessariis ad salutem articulis latuerit; sed quandoquidem aberratio in ejusmodi articulorum uno damnationem infert; quæro, quo anno à Lutheri & Calvini exortu, illorum fides ultimis fuerit lineamentis absoluta, & suis ad unguem definita articulis? quos qui denique exhibuerit ita circumscriptos, ut addere ac demere quicquam nefas sit, *erit hic mihi magnus Apollo*: Jam majores antehac nostros damnare erroris universos, ac fateri quod Germania nunquam hactenus orthodoxam Christi fidem viderit, quam per Benedictinos latè Monachos aliosque illis hausit seculis, quando jam Antichristum regnasse ferunt, adeoque Patres nostros illius bestiæ adoratores facere, hoc ut horrendum, & impium, sic ab omni ratione sentio esse alienum. Quod si tamen fidem veram illis

concedant, cogentur nostram illi simillimam approbare.

Septimò, manifestum est, quod Acatholici nullam retro ætatem Ecclesiamque ad Apostolos usque, de quorum scripturis & doctrina disputamus, exhibere possint, quæ parem cum ipsis religionem in substantialibus fidei articulis professa fuerit. Nam nec veteris quidem orthodoxæ (ut fatentur) Ecclesiæ Patres eandem sunt fidem professi: siquidem hi, licet per orientem & occidentem sparsi, tantaque regionum & linguarum separatione divisi, Missæ sacrificium, bonorum operum merita, vota monastica, invocationem sanctorum, arbitrii libertatem, Verbum Dei traditum, aliaque id genus conspirantibus ubique animis calamisque agnovêre, ut nec ipsi Lutherani, nec Calvinistæ diffitentur, quemadmodum apud Centuriatores, Cent. 2.3.4.5 6.7.8.9.10. cap. 4. & Calvinum lib. 2. c. 2.3.14. & 16. lib. 3. c 4. & 5. l. 4. c. 12. reperies. Et tamen hos solum nævos vocant antiquorum Patrum, adeoque vel fateri cogentur, his non everti fundamentum, vel certè destrui. Si prius, perperam à nobis discesserunt, nosque idololatras, & meritorum Christi contemptores asserunt: si posterius, nullam in orbe Ecclesiam orthodoxam, secumque in necessariis fidei articulis sentienrem reperient. Quod est seipsos manifestæ perfidiæ & defectionis ab Ecclesia Christi (quam cum Apostolis interi mortuam concidisse nefas sit fateri) non obscurè arguere.

Octavo, cum in rebus Ecclesiasticis, nec ordinis potestas, vi cujus Sacramenta ritè conficiuntur & administrantur, nec potestas jurisdictionis, vi cujus Ecclesia regitur, haberi à Christo & Apostolis nisi per mediatos legitimèque ordinatos & institutos Episcopos hoc tempore possit. Protestantibus hoc loco expendendum relinquo: in nostra, an ipsorum Ecclesia, an in utravis hæc potestas hodiedum reperiatur? si in nostra, cur hanc non agnoscunt, & reverentur, cur ab illa se subduxerunt? si verò relicta non sit, quo pacto Lutherus Calvinusque & majores illorum ab hac ritè ordinati utramque potestatem acceperunt? conferri enim hæc ab illegitimis nunquam potuit; nisi fortè hanc è cælo ad se solos delapsam arbitrentur, quod manifestis mundo prodigiis deberet esse contestatum. Si verò in sola illorum hæc Ecclesia resideat: ex quo ad illam principio, per quam successionem, & antecessores ritè ordinatos ab Apostolis ad se traducunt? an fortè Antichristus ipse è sede Romana summus Ecclesiæ illius administrator, potestatisq; collator,

lator, ad vera Christianæ religionis sacra, orthodoxamque fidei prædicationem, jus virtutemque communicavit? O cæca cæcitas! Jam verò in utrasque Ecclesiis, quæ se mutuò hæreseos damnant, hæc sociare velle, esset Belial cum Christo in eadem sede conjungere. Quam bene Tertullianus de præscript. adversus hæreticos exigit! *Cedant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit autorem & antecessorem.* Quam rectè Paulus Rom. 10. *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Et Heb. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vident igitur Acatholici se omnino à vera Ecclesia ad Babylonicam congregationem transisse, in qua neque veri Ministri, nec legitima prædicatio, nulla sacramenta, nullus ordo, nulla jurisdictio sacra, sed profana & confusa omnia. De Calvino scribit Beza in ejus vita Lausannæ edita *Constat Ioannem Calvinum, antequam Gallia excederet (nullis alioquin Pontificiis ordinibus initiatum) aliquot ad populum conciones habuisse.* Hic igitur, quomodo aliis potestatem tribuit, quam ille, nullo conferente, non est consecutus? Quomodo ullus hactenus apud Calvinistas Baptismus ritè collatus est, aut Sacramentum administratum, cum ipsi hanc Laicis potestatem negent?

Nonò, mirum est, quemadmodum homo prudens sibi persuadere possit, Lutherum & Calvinum homines ventri atque inguini natos, quorum neque vita, neque stylus cum modestia conjunctus est, quique fide castitatis Deo prodita, libidine, aut sacrilega, aut præpostera infames sunt: Apostolos à Deo ad sanctitatem vitæ & religionis mundo tradendam delectos esse. Qui tamen aliud nullum suæ missionis doctrinæq; miraculum reliquere, præter summam religionis libertatem populo facilè persuasam. Quando Monachos & Moniales ab hac vita claustrali, tanquam Deo invisa, alios à privata & singulari confessione scelerum, multisq; sacramentis, tanquam frustraneis aut superstitiosis, universos ab æstimatione meritorum in bonis operibus, & spe mercedis his promissa, ad fiduciam in solis Christi meritis collocandum, vi cujus omnem obtinerent justitiam, tanquam ad rem facillimam acceptabilemque prorsus vulgo, provocarent. Suaderent insuper curam de implendis Dei mandatis esse supervacuam, quod impossibile homini sit illa explere: solam Dei justitiam fide apprehensam ad nostram sanctitatem, cælumque, pari cum Apostolis gloria, possiden-

possidendum sufficere. Tam blanda & amica fides, quem suo lenocinio non abstraheret, præsertim cum speciosis ex S. scriptura sententiis ad veri speciem exculta proponeretur? Verum cum moniti à Christo & Apostolis simus, Matt. 24. & 1. Tim. 4. ac 2. Pet. 3. novissimis temporibus pseudoprophetas in mundum venturos, qui sub Christi nomine suavi doctrinarum illecebra multos abstrahant: de Apostolis verò, posterioribus seculis mittendis, nulla facta sit promissio: quā πληροφορίαν suæ nobis legationis præstant, novi hi testes Evangelici, quos à Christi doctrina multis partibus dissidere, tot nationum consensu, deprehendimus?

Decimò, quam horrenda Acatholicorum doctrina est, qua statuunt mandata Dei homini, etiam in gratiam recepto, esse impossibilia! Potestne à creatura rationali hæc Deo & imprudentia, & injustitia, & tyrannis crudelissima atque irrationalis imputari, ut imperet, velitque hominem facere, quod scit præstari non posse? æternis puniat ignibus, non implentem impossibila hominem? Absit, ut hæc Deo pro nostra salute incarnato velimus imputari.

Vndecimò, omnia opera nostra bona, quæ ex præcepto facimus, ac fidei salutiferæ fructus habentur, adeò esse, tum ex vitiosa radice concupiscentiæ, tum ex imperfectione sua, quà legi non respondent, inquinata, ut non solum nihil præmii, sed tanquam mortifera labe infecta, damnationem ex sua natura mereantur sempiternam: sola tantùm imputatione justitiæ Christi per fidem apprehensæ, velut obtecta, excusationem habeant, tantùm absurditatis horrorisque involuit, ut meritò omnium bonarum mentium execratione sit proscribendum. Ut quid enim à Deo præcipitur, si non nisi scelus est, quod perpetramus? Potestne fieri, ut Deus tale opus inquinatum mandet, quod simul execratur? Aut si hoc non mandat, sed illud, quod perfectum est, irritum, stultum, nullumque mandatum est, cum hoc præcipiat, quod neminem exequi posse cognoscit. Qualis verò hic fidei divinæ fructus dici poterit, qui non nisi abortus est iniquitatis? Jam quid ab illo speres boni operis homine, qui id certus sit, se non posse, ab extremis etiam viribus conatuque, impetrare. Desperandum certè tali necessariò est, cui spes omnis exequendi boni est adempta. *Dices*, spē omnem hoc pacto deponet in divina Christi justitia per fidem apprehensa, quæ tutissima utique futura est spei anchora. *Rectè* id quidem, *at* simul abjiciet omnem curam boni operis, cum

agnos-

agnoscat aliud, quam inquinatum à se perpetrari non posse: quod est in Dei justitia confidentem, desperantemque de sua, omnes laxare frenos libertati & impudentiæ, facere pessima quæque in se, sperare in Christo optima: illius justitiâ omnem suam palliare injustitiam. Fuitne in orbe terrarum ulla gentilitas, turcismus, & atheismus, qui tantam improbitatem in doctrina, ne dicam vita, admitteret, ullamque amplius crederet in orbe superesse homini, aut nomen, aut præmium veræ virtutis? Et quis existimaret hominem ratione præditum sub sole inveniri posse, qui tantam barbariem & ἀπιστίαν meditaretur? Non jam expendam manifestam contradictionem, quâ obedientiam legis uno ore commendant, & destruunt, cùm hinc illam à fidelibus & renatis, tanquam veræ fidei fructum præstari asserant: inde negent, tale quicquam, quod ex natura mortiferè inquinatum est, neque citra hanc labem præstari potest, à Deo esse præceptum. Quis enim hæc monstra eodem in opere conciliabit? Idem ex obedientia legis fieri, & simul ut ex natura sua prorsus inquinatum, pugnare cum lege. Idem opus præcipi, & vetari, esse fructum fidei, & fructum damnationis, bonum, & malum: idque indivisibili sua in entitate, cùm à radice concupiscentiæ vitiosa totum, quantum quantum est, promanarit, simulque in hac eadem operis substantia præceptum sit: aut si præceptũ nõ sit, non possit dici legis obedientia: si præceptum, jam & labes peccati inseparabilis præcipiatur. Quis ad tantam confusionẽ non obstupescat? Postremò ut hujus capitis finem faciam, multa reijcit præsidia adversariorum Ecclesia, quæ Catholici ad salutem amplectuntur, à S. literis tamen commendata, & veteri firmata consuetudine. In quibus inprimis est pœnitentiæ & Confessionis usus, qui ut in scelerum suorum particulari, quãtum licet, enumeratione, atque expiatione non parum habeat difficultatis, multum tamen adfert ad sui confusionem & peccatorum horrorem, emendationem speratam emolumenti. Quòd præsidium, si (ut sentimus) peccatori necessarium ad salutem est, plerique adversariorum illius neglectu salute exciderunt.

Quare expendant obsecro, quanta hinc perversitate Catholicos, non nisi fictis ad vulgi plausum criminibus, onerent; inde errores suos specioso miserationis divinæ, & justitiæ Christi nobis imputaræ titulo obtegant: universè blandâ quadam libertatis illecebrâ, quâ nihil tribuendum meriti præmiique renatorum operibus, dictitant, legis impossibilitatem obtendunt.

dunt;ſecurum tamen ex ſola in Chriſtum fide reddunt credentem,ſibi ſuiſque latiſſimam ad æternum interitum viam ſternunt. Blanda,fateor,& illecebroſa res eſt fides veſtra, quæ ſola ad omnia omnibus ſufficit,qualem nulla antiquitas hactenus molliorem potuit reperire;Sed *momentum eſt quod delectat, æternum quod cruciat*. Stare tam molle lubicrumque regnum quod falſitate tantâ nixum eſt,diu non poterit : aut ad Turciſmum,vel Atheiſmum deflectet ; aut cum antiqua Romana Eccleſia,ſola Catholica,ſtabili ac permanente rurſus eſt conjungendum. De hac verè Auguſtinus lib. 1. de Symb. ad Catechumenos. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua , Portæ inferorum non vincent eam.* Extra hanc igitur , cum ſalus ſperari magis non poſſit, quam à *palmite, qui non manet in vite*, fructus, cumque *Ethnicis accenſendus ſit, quiſquis hanc non audierit*, ut Verbi Miniſtris, ſic Proteſtantium anteſignanis expendendum relinquo , quàm brevem ſuæ libertatis hac in vita fructum percepturi ſint , & quam periculoſæ plenum opus aleæ tractent , quamdiu tam ſalutari Concordiæ, ſimul ac veritati, manus non porrigunt.

Deus pacis & Concordiæ meliorem illis mentem ac ſortem largiatur.

.

CON-



CONFESSIO GALLICA.

Per singulos articulos expensa, & solidè reformata.

Ut origine & dignitate hæc in Ecclesiis Reformatorum Confessio præfertur ceteris, Carolo IX. Galliarum Regi Anno 1561. oblata; ita hanc, post exhibitam in parte altera Augustanam, hoc loco placuit exponere, quibusdam tamen magis disertè sententiam exprimentibus, ex Confessione Generali Helveto-Confederatorum (ut in corpore Confess. edit. 9. Genev. extat) tum deinde Catechismo Heidelbergensi insertis: ne quam graviorem controversiam præterirem.

ARTICULUS I. II. III. & IV.

CRedimus, & agnoscimus unicum Deum, *a* qui sit unica & simplex essentia *b* spiritualis, *c* æterna, *d* invisibilis, *e* immutabilis, *f* infinita, incomprehensibilis, inenarrabilis, *g* omnipotens, *h* summè sapiens, *i* bona *k* justa, & *l* misericors.

II. Hic unicus Deus talem se patefecit hominibus, *m* primùm in operum suorum, tum creatione, tum conservatione, & gubernatione: *n* deinde verò multò clarius in verbo suo, quod quidem initio *o* certis quibusdam visis & oraculis Patribus patefecit: deinde verò iis libris *p* perscribi voluit, quos S. Scripturam *q* vocamus.

III. Tota

a *Deut.* 4. v. 35. & 39. c. 6. v. 4. 1. *Cor.* 8. v. 4. 6. b *Gen.* 1. v. 3. *Ioh.* 4. v. 24. c *Exod.* 3 v. 15. & 16. d *Rom.* 1. v. 20. & 1. *Tim.* 1. v. 17. e *Matt.* 3. v. 6. f *Rom.* 11. v. 33. g *Ier.* 10. v. 6. & 7. *Luc.* 1. v. 37 h *Rom.* 16. v. 27. i *Matt.* 19. v. 17. k *Ier.* 12. v. 1. l *Exod.* 34. v. 6. m *Rom.* 1. v. 19. n *Hebr.* 1. v. 1. & 20. o *Ier.* 15. v. 1. p *Exod.* 24. v. 4. q *Rom.* 15. v. 4.

III. Tota hæc scriptura Canonicis, veteris & novi fœderis libris est comprehensa, quorum hic est catalogus.

Quinque libri Mosis, nempe Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josue, Judices, Ruth, Samuelis libri duo, Chronicon sive paralipomenon libri 2. Esdræ liber unus, Nehemias, Esther, Job, Psalmi, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum cant. Esaias, Jeremias, cum Lamentationibus, Ezechiel, Daniel, Minores Prophetæ 12. nempe Oseas, Joel, Amos Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. Acta Apostolorum, Epistolæ Pauli, nempe ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonienses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, Epistola ad Hebræos. Iacobi Epistola, Petri Epistolæ duæ, Ioannis Epistolæ tres, Iudæ Epistola una, Ioannis Apocalypsis.

IV. Hos libros agnoscimus esse Canonicos, id est, ut fidei nostræ normam & regulam habemus, idque *non tantùm ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multò magis ex testimonio & intrinseca Spiritus S. persuasione, quo suggerente docemur, illos ab aliis libris Ecclesiasticis discernere*, qui ut sint utiles, non sunt ejusmodi, ut ex iis constitui possit aliquis fidei articulus.

§. I. Reformatio att. III. & IV. ex S. Scriptura.

I. CRedimus Ecclesiam Christi in terris esse, quæ, *ut civitas supra montem posita, abscondi non possit, & fundata est supra petram, contra quam portæ inferi non prævalebunt* a, *quæq; columna est, & firmamentum veritatis*. b *Quam qui non audierit, sicut Ethnicus & Publicanus habetur*. c

a *Matt*. 16. v. 18 b 1. *Tim*. 3. c *Matt*. 18. v 16.

II. Credimus quemlibet hanc audientem non errare, quia *fundatus est super fundamentum Apostolorum, & ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. d *Posuit enim in ea Deus post Prophetas & Apostolos Doctores & Pastores in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. e His enim universe dictum. *Vobiscum*

e *Ephes*. 4. v. 13.

biscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. f *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis.* g *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.* h

f *Matt.* 28. g *Ioh.* 14. *v.* 16. h *Ioh.* 16. *v.* 13.

III. Credimus quoque verbum Dei ab eis audientes Spiritus S. gratia donari, illustrari, & confirmari, ut Paulus ait, *vos cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus redēptionis nostræ, &c propterea non cesso gratias pro vobis agens, & memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitione eius, & illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis eius* i

i *Eph.* 1. *v.* 13.

IV. Credimus etiam Ioanni monenti: *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudo prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei, omnis Spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est, &c. Nos ex Deo sumus; qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.* l Qui igitur Apostolos eorumque in Ecclesia successores pluribus suffragiis consentientes non audit audiendus non est.

l 1. *Ioh.* 4.

OBSERVATIO.

HÆc divinarum Scripturarum principia si Reformati sequantur, nobiscum facilè in superioribus juxta sequentibusque articulis convenient. Catholicam Christi Ecclesiam, nunquam per errorem in substantia fidei defecturam utrimque agnoscimus, Hanc verò aliam esse, quàm quæ *in monte posita est*, ad quam gentes undique affluunt, quæ Doctores Pastoresque habet visibiles, quibuscum universè *in æternum maneat Spiritus veritatis*, quos adire in controversiis, & audire tanquam Christum jubemur, nemo Reformatorum ex S. Scriptura verbis evicit hactenus, nemo est evicturus. Non disertis illius verbis, ut manifestum

festum est: nec consequentiis; quia ex præmissa utraque de fide non dantur, ex alterutra hic maximè vanæ sunt. Ut si e. g. sic argumententur: *quod de particulari Ephesina Ecclesia dictum est, hoc de aliis Ecclesiis non debet intelligi*; sed *de Ephesina Ecclesia dictum est* 1. Tim. 3. *quod sit firmamentum veritatis*. Ergo &c. Rursum: *Quod de offensione fratrum componenda dictum, non potest de controversia fidei intelligi*; sed *audiendam esse Ecclesiam* &c. Matth. 18. *de offensione solum componenda dicitur*. Ergo &c. Nam major in his propositio minus falsa est, quàm si de Petro dicatur, *esse eum animal risibile ac sensitivum*, *& hoc non posse de Paulo & Iohanne intelligi*. Planè enim diversum, & hic, & illic esset inferendum. cùm prædicata suis subjectis (nisi identica sint aut convertibilia? quorũ neutrum hic evenit) universaliora esse debeãt. Quare *firmamentum veritatis esse*, de omnibus jure Ecclesiis, quæ Catholicæ sunt, potest intelligi, tanquam prædicatũ commune, & *adire audireque Ecclesiam*, tam in controversiis fidei, quàm morum accipi. Quo igitur pacto in his aliisque nos reformabãt ex S. literis; suamque infallibili scriptura sententiam stabilient adversarii?

Agedum, juxta tam disertam scripturam, quam communi Ecclesiarum suffragio recipimus, Ecclesiam universalẽ, quæ ante & post Lutherum Calvinumque toto orbe nota est, tam de sacrorum librorum canone, quàm controversarum scripturarum sensu ea lege audiamus, ut nostrum illa præcedat, suo pondere & ordine, judicium, Spiritumque veritatis in ipsa revereamur. Ita quoque juxta rationem Deique verbum longè certius judicium nostrum futurum est, quod à *spiritu sapientiæ & revelationis Iesu Christi* directum, nos & in conscientia securos faciet, & tanquam Dei audientes, *à spiritu erroris* liberabit. Evinco per scripturam. *Spiritus veritatis docet omnem veritatem* Ioh. 16. *sed hic in Ecclesia Doctoribus manet in æternum*. Ioh. 14 ergo in illis docet in æternum omnem veritatem. Minor propositio Christi est: cum non ad solos Apostolos, sed eorum quoq; successores spectet. Soli enim Apostoli æternum in Ecclesia superesse non poterant. Iterum, *qui non a: Doctores Ecclesiæ* (Joannem hic intellige, & alios cum ipso Ep̃iscopos) *non est ex Deo, & cognoscitur habere spiritum erroris* 1. Ioh. 4. sed qui scriptum tantùm Dei verbum suo judicio legit & admittit, non audit tales Doctores Ecclesiæ. Ergo ex Deo non est, & cognoscitur habere spiritum erroris. Major Apostoli Ioannis est, Minor propositio tam est certa, quàm compertum Ioannem de se non tantùm,

sed

sed & aliis in Ecclesia Doctoribus, qui, ceteris jam Apostolis defunctis, supererant, locutum esse. Et hi utique à verbo Dei scripto erunt separandi.

Observandum verò est, non prohibere nos scripturarum lectionem, sed suadere peritis etiam: non proprium de libris sensuque scripturæ S. judicium excludere, neque divinum negare spiritum impulsumque credentibus, sed hæc omnia tantũ subordinare Ecclesiæ, quam Christus nos audire voluit. ***Etenim, in unò spiritu, omnes in unum*** (Ecclesiæ) ***corpus baptizati sumus.*** 1. Cor. 12. Dei spiritu non agitur quisquis ab hoc corpore Christi divellitur. ***In hoc enim cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est.*** 1. Ioh 4.

Quod si igitur art. 3. & 4. Confessionis suæ Reformati illâ viâ statuant de libris Canonicis, quâ primùm communis ratio, deinde & accepta ra quibusdam partibus scriptura statuendum esse suadet, tenentur suo Canoni, superius mutilato, adjicere, librum ***Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch & Machabæorum***, tenentur & Lutherani addere Epistolam ad ***Hebræos, Iacobi, Iudæ, & Apocalypsin Ioannis.*** Nam vetus orthodoxa Ecclesia, postquam aliqui Doctores de quorundam librorum authoritate fluctuassent (ut scripturæ S. libri, authenticis præsertim in scriptis, à paucis cũstoditæ, serò multis innotuere) deniq; mentem suam de usitato hodiedum apud Catholicos canone aperuit, per summum Pontificem Innocentium 1. Epist. 3. ad Exuperium cap. 7. circa annum Christi 402. qui illum cum Episcopis Galliæ admisit. Postea verò Concilium Carthaginiense eundem stabilivit Canonem, ejusque toto orbe Christiano sententia hucusque, hæreticis pro more nequicquam convellentibus obtinuit, quam suæ D. Augustinus suffragio, testimonioque lib. 2, de doctr. Christ. cap. 8. signatam reliquit, ac deinde à Papa Gelasio in Concilio Romano, postremò à Tridentino Concilio, ut talis agnita confirmataque subsistit.

Nihil verò habent, quod huic doctrinæ, magis solidum apponant adversarii. Nullum producunt Concilium, quod ad amussim illorum Canonem reddat. Laodicenum enim, quo solo nituntur, plures in Canone censet, quam habeant Lutherani, pauciores quam Calvinistæ libros: nam Epistolam Iudæ & Apocalypsin non complectitur. Omissos verò nonnullos esse, quos in nostro censemus Canone, parũ adversum nos evincit, cùm disertis hos verbis non excluserit, omittere autem non sit negare. Sed nec Hebræis, à Christi adventu, meritò de perfidia suspectis,

suspectis, in censu librorum V. T. niti tutò poterunt, præsertim quando cum illis, ne quidem isto in Canone sentire possunt; cum Esther in Catalogo (qui apud D. Hieronymum est) admittant; librū vero Iob in multis partibus, ut apud Hier. in Procœm. eius est, tom. 3. n. 113. & 114. non agnoscant. Neque ad SS. Patres se tuto Reformati convertent, cum plerosq; iisdem libris, tanquàm authenticis & θεοπνεύστοις usos esse: alios, ante definitum ab Ecclesia Canonem, fluctuasse sententiis constet & neque illi inter se, neque cum Lutheranis & Calvinistis, uti nec hi quidem secum, conveniant. Nullum igitur hinc duci ab aliquo Ecclesiæ consensu, par illi, quod Catholici promunt, argumentum poterit. Origenes, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, Hieronymus Ruffinus librum Esther ponunt in canone: Athanasius de hoc ambigit, Melito & Nazianzenus excludunt. Apocalypsin Origenes, Athanasius, Ruffinus, Hieronymus Canoni inserunt: Cyrillus & Nazianzenus subducunt, Eusebius ambiguam relinquit. Hilarius de Tobia & Iudith hæret, de sapientia & Ecclesiastico Epiphanius, Machabæos Isidorus, Augustinus aliique canonizant, alii cum Iudæis nesciunt. Origenes de Epistola ad Hebræos, de Petri altera, Ioannis secunda & tertia dubius est, quas plerique ceterorum recipiunt. Quibus igitur ex his, adversarii tanquam fundamentalibus assertoribus sui Canonis tutò nitentur; cùm nec singuli planè idem secum sentiant, nec universi? At in uno etiam aberrare S. Scripturæ libro e g. Machabæorum necessarios aliquos fidei articulos poterit evertere, ideoque viam ad salutem impedire. Certè fluctuante sententia de Canone scripturarum, totam fidei ac religionis nostræ molem fluctuare necesse est.

Demus tamen adversariis ex illa sententiarum in veteri Ecclesia diversitate probabilem saltem illis opinionem relinqui: plus enim hinc sibi vendicare cum ratione nequeunt, quid obsecro effecturi sunt? an in probabili opinione, quæ falli potest ac fallere, scripturæ ac fidei stabilitatem aliquam fundare poterunt? De Machabæorum libris pertinacissimè adversum nos contendunt, ne ex illis cogantur admittere orationes pro defunctis, maluntq; hic perfidis Iudæis, quàm Christianis assentiri & tamen Augustinus l. 18. de civit Dei c. 36. monet *Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*, & Isidorus in procœmio lib. Veteris & Novi Test. *Hebræi*, inquit, *non recipiunt libros Tobiæ, Iudith, & Machab. Ecclesia tamen eosdem inter canonicas scripturas numerat.* Quibus obsecro in Canone designando

ſignando crediturus tutò ſum, ſi ſemel ab Eccleſia Catholica diſceſſero? aut ſi hac in re eidem ſecurè aſſentiar, quâ fronte in aliis obluctabor? Quocirca ſic demum Proteſtantes conſtringat, aut concedunt ſe tutò Eccleſiæ Catholicæ in aſſignato per Concilia canone aſſentiri poſſe: aut negant. Si admittunt, jam alius præter noſtrum tutius admitti nullus poterit. Si negant, jam autoritatem majorem traditi Canonis nunquam reperient, adeoque hos definitè S. eſſe ſcripturæ libros nequeunt demonſtrare. Iterum ſi Eccleſiæ aſſentiuntur, vel illius teſtimonio ut fallibili, vel ut infallibili nituntur. Si ut fallibili, errare hoc aſſenſu & ipſi poterunt, ideoque nemo Canoni ab illis præſcripto ſecurè acquieſcet: ſi ut infallibili, jam cum adductis ſupra S. literis & nobiſcum convenient, eâdemque Eccleſiâ & Canone ſcripturarum gaudemus.

At, dicit Confeſſio: *Non tantum ab Eccleſia, verùm multò magis à teſtimonio & intrinſeca Spiritus S. perſuaſione docemur, & dicernere libros novimus.* Quæro igitur, an hoc teſtimonium & perſuaſio, ſit verbum Dei ſcriptum, vel non ſcriptum? Si ſcriptum, ſpectabit ad ipſum Canonem, de quo controverſia eſt, & exhiberi in illo nobis poterit; quod nondum factum, nec futurum eſt. Si eſt verbum Dei non ſcriptum, ſive traditum: jam illud neceſſariò Reformatis tam in ſenſu ſcripturarum, quàm Canonẽ agnoſcendo erit admittendum. Iterum quæro, quale illud dictamen Spiritus Sancti, & teſtimonium perſuadens ſit? nam niſi tale fuerit, quod mihi e. g. dicat Evangelium S. Andreæ & S. Petri non eſt canonicum; Matthæi verò & Lucæ divinum eſt: ſatis ab hoc teſtimonio non erudiar, at tale dari, nondum revelatum eſt. Denique quæro: formeturne infallibile judicium ex hoc teſtimonio per illum, qui inſtruitur; an tantùm fallibile? ſi hoc, ergo ſecurus de veritate canonis non erit per illud fidelis; ſi illud, jam dabitur in quovis homine judex infallibilis controverſiarum. Poſtremò ipſum in ſe teſtimonium, quo nituntur, vel fallere poteſt, vel non fallere: ſi prius, teſtimonium Dei eſſe nequit, quod natura ſua eſt infallibile; ſi poſterius, quomodo igitur hoc teſtimonium, aliud in Anabaptiſtis, aliud in Lutheranis, aliud in Calviniſtis, & quidem contradictoria perſuadet?

Nimirum à privato hoc Spiritu (qui ſæpe falſus cum ſit, *transformat ſe in Angelum lucis*) ad illum Eccleſiæ *ſpiritum veritatis, qui cum illa manet in æternum* tranſeundum eſt. *Probandi ſpiritus, an ex Deo ſint, qui novit Deum, audit Eccleſia Doctores, in* hoc

hoc enim cognoscimus spiritum Veritatis. Pluribus hic non differo, cùm in prima parte Concordiæ tr. 2. hujus spiritus vanitatem non uno argumento discusserim.

Quare hoc universè syllogismo Protestantes à sua religione ad Catholicam Ecclesiam & concordiam salutemque, si hanc ament, reduco.

Qui neque ex communi Ecclesiæ consensu, neque ex Spiritus S. testimonio certi sunt de canone S. Scripturarum; de sua fide & salute securi esse non possunt. Tales sunt Protestantes, non verò Catholici. Ergo, &c.

Concludamus cum Augustino contra Epist. fundam. c 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas,* & erit concordia.

ARTICULUS V.

CRedimus verbum *a* his libris comprehensum, ab uno Deo esse profectum, *b* quo etiam uno, non autem hominibus, ejus nitatur authoritas, cumque hæc sit omnis veritatis summa, complectens quidquid ad cultum Dei, & salutem nostram requiritur, *d* neque hominibus, neque ipsis etiam Angelis fas esse dicimus, quicquam ei verbo adjicere, vel dettahere, vel quicquam prorsus in eo immutare.

a. 2. *Tim.* 2. *v.* 16. 2. *Pet.* 1. *v.* 21.
b. *Ioh.* 3. *v.* 31. c. *Ioh.* 15. *v.* 11. *Act.* 20. *v.* 27.
d. *Deut.* 4. *v.* 2. & 12. *v.* 32. *Gal.* 1 *v.* 8. *Apoc* 22. *v.* 18.

Ex hoc autem efficitur, *e* neque antiquitatem, neque consuetudines, neq; multitudinem, neque humanam sapientiam, neque judicia, neque edicta, vel decreta ulla, neque concilia, neque visiones, neque miracula scripturæ illi divinæ opponere licere: sed potius *f omnia ad ejus regulam & præscriptum examinare, & exigi oportere.* Quamobrem etiam tria illa symbola, nempe Apostolicum Nicænum, & Athanasianum iccirco approbamus, quod sint illi verbo Dei scripto consentanea.

e. *Matth.* 15. *v.* 9. *Act.* 5. *v.* 28 & 29. f. 1. *Cor.* 11. *v.* 1. 2. & 25.

Confessio Generalis Helveto-confœderatorum Cap. II.

SCcripturas S. dixit Apostolus Petrus non esse interpretationis privatæ. *g* Proinde non probamus interpretationes quaslibet. Unde *nec pro vera aut genuina scripturarum interpreta-*

g. 2. *Petr.* 1. *v.* 20.

pretatione agnoscimus eum, quem vocant sensum Rom. Ecclesia. Sed illam duntaxat scripturarum interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoscimus, quæ ex ipsis est petita scripturis, cum regula fidei & charitatis congruit, &c.

Non patimur nos in controversiis religionis, vel fidei causis urgeri nudis Patrum sententiis, aut *Conciliorum decretis*, multò minus receptis consuetudinibus, aut etiam *multitudine idem sentientium*. aut longi temporis præscriptione. Ergo non alium sustinemus in causa fidei Judicem, quam ipsum Deum per scripturas S. pronuntiantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum, quidve fugiendum. Ita judiciis non nisi spiritualium hominum, ex verbo Dei petitis acquiescimus.

Pariter repudiamus traditiones humanas; quæ tametsi insigniantur speciosis titulis, quasi divinæ Apostolicæque sint, viva voce Apostolorum, & ceu per manus virorum Apostolicorum succedentibus Episcopis Ecclesiæ traditæ, *composita tamen cum scripturis, ab his discrepant*, discrepantiâque illa sua ostendunt, se minimè esse Apostolicas. Apostoli enim inter se diversa non docuerunt. Paulus disertè dicit: *eadem se in omnibus Ecclesiis docuisse*. h. &c.

h. 1. *Cor*. 4. *v*. 17.

REFORMATIO.

Credimus, quod *omnis prophetia scriptura propria interpretatione non fiat, non enim humana voluntate allata est aliquando Prophetia; sed spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines* i Sicut D. *Paulus in suis epistolis. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* l *Dedit igitur Deus Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & non circumferamur omni vento doctrinæ* m *Labia* enim *Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* n Et *declaratio sermonum Domini illuminat, & intellectum dat parvulis.* o. His promissus *est spiritus veritatis, ut maneat cum illis in æternum*. p. *Spiritualis autem omnia judicat, & à nemine judicatur. Quis enim alius cognovit sensum Domini.* q. Si non Doctores

 & Pasto-

i. 2. *Pet*. 1. *v*. 20. l. 2. *Pet*. 3. *v*. 16. m. *Eph*. 4. *v*. 12. n. *Malach*. 2. *v*. 7. o. *ps*. 118. *v*. 130. p. *Ioh*. 14. *v*. 16. q. 1. *Cor*. 2. *v*. 14.

& Pastores Ecclesiæ illius? Hi igitur in controverso scripturæ sensu audiendi. *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Unde ex sapientis ore Deus: *Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis pravum quid, neque perversum, recti sunt intelligentibus.* s Vultis rectè intelligere? *Videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris.* t *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum.* u En quot præsidia rectè verbumDei intelligendi, Doctores, & Pastores, Ecclesiæ Sacerdotes, & Seniores, antiquitatē, successionem, Patres. Quis tam arrogans, ut suum his intellectū pręferat?

r.*Rom.*10.*v.*17.s.*Prov.* 8.*v.* 8.t.*Ier.*6.*v.*16.u.*Eccl.*8.*v.*11.

Credimus & audimus D. Paulum *licet Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus, anathema sit* x *Si qua virtus, si qua laus disciplinæ hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* y *State & tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam.* z *Laudo autem vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis &c. cetera cum venero disponam.* a

x. *Gal.*1.*v.*8.y.*Philip.*4.*v.*8.

z. 2.*ad Thess.*2 *v.*14. a.1.*Cor.*11.

Neque tantùm tradita & præcepta sua Apostoli, verùm & seniorum custodiri voluere. Ita cum Sila Paulus *perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans* Ecclesias, *præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* b *Et cum pertransirent civitates tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Ierosolymis.* c

b.*Act.*15.c.*Act.*16.

Credimus quoque promissionem traditi verbi Dei Isaia teste. *Cum venerit Sion redemptor, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui in sempiternum.* d. Sine hac gratia, non sufficit *omnis scriptura divinitus inspirata, quæ utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* e. Nam *qui*, præter scripturam, *Ecclesiam non audierit, erit sicut ethnicus, & publicanus.* f. Hujus Pastores qui *audit, Deum audit, qui spernit, Deum spernit.* g. Cavendi tamen similes *Pharisæis, docentes doctrinas & mandata hominum.*

e. 2.*Tim* 3.*v.*16.f.*Mat.*18.g.*Luc.*10.

hominum h & videndum, *ne quis nos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum* i.

h *Matt.* 16. i *Coloss.* 2.

OBSERVATIO.

§. 1. Status controversiæ exponitur, & ex Protestantium principiis Traditiones esse docentur.

IN hunc unum articulum tota moles controversiarum incũbit, quem solum cum vicimus, omnia vicimus. Disertissimis hic igitur scripturis agere libuit, quæ nullius interpretis indigæ planissimam pro Romanis sententiam pronunciant, in ipsismet adversariorum principiis apprimè fundatam; & quidem sine consequentiis fallendique discrimine, si obvio usitatoque sensu persistamus. Opponant si possunt adversarii scripturam, tam disertam absolutamque numeris omnibus: si non possunt, ut quid nos reformant?

1. Verbum Dei, quod scriptum est, nolumus privata cujusquam interpretatione exponi; idem vult Petrus. Censemus difficilia intellectu, per tales interpretes, ad suam perditionem (utique in rebus fidem salutemq; concernentibus) depravari, idemq; sentit Petrus. Censemus Doctores Pastoresq; ad hoc datos, ut Christi corpus ædificent, unitatem fidei servent, errores proscribant, eosq; & fuisse semper in Ecclesia, & futuros orthodoxos visibilesque (qui enim alii hoc possent?) usque ad consummationem Sanctorum; idem Paulus aliique statuerunt. Hi universè cum deficere in fide nequeant, an poterunt errare? Hoc elencho adversarios circumscribo. *Qui ædificare debent corpus Christi in unitate fidei, usque ad consummationem, hi tamdiu, non possunt deficere, nec errare; Sed Pastores & Doctores, quos Deus posuit, hi sic ædificare corpus Christi debent.* Ergo, &c Iterum. *Quibuscum Spiritus veritatis manet in æternum, hi deficere in veritate, & errare non possunt, sed cum Doctoribus Ecclesiæ (saltem universè sumptis) ille manet in æternum.* Ergò, &c.

At dicunt: Patres, Doctores, Concilia, ut non fallant, cum S. literis consentire debent. Ita est, quis catholicorũ obsecro, hoc unquam eversum voluit, aut sensit controversum? Non tamen existimamus, Patres & interpretes scripturæ, tanquam obscurius loquentes, per illã interpretandos esse, aut quemlibet Neo-

tericum rectius,quàm illos, sensum verbi Dei in ambiguis penetrare S. Scriptura infallibilis regula veritatis est,ubi certam, & minimè inter partes adversas controversam dicit sententiam.In controversis locis quærimus: an privati judicium de scripturæ sensu totius Synodi vel Ecclesiæ judicio præferendum sit?sive an potius credendum Ecclesiæ sit,cum suam sententiam in fide S.Scripturæ conformem esse statuit;an privato cuilibet idem asserenti? Repeto. Cum in articulo,quem de fide esse statuant partes adversæ, scriptura S. omnibus etiam locis collatis, controversum indefinitumque sensum habere censetur:quæstio est,cujus judicio definiri absolvique controversia possit ac debeat?Num ipsius S. Scripturæ?at hoc impossibile erit præstare,stolidum expectare ab illa,quæ uno definito sensu non loquitur,in quo partes conveniant.An Dei ? sed hic per aliud verbum definitius nobis loqui non voluit. An hominis?& quis ille tam spiritualis cujus sententia possit esse infallibilis ?Incredibile hic penè,& vix hominũ,ratione communi utentium,responsum adversarii Catholicorum promunt. Hanc scripturam, cujus sensum palam toto orbe diversum à Catholica Ecclesia introducunt,& propter quem nobis usitato in sensu scripturæ persistentibus litem obmovent , claram minimèque controversam sententiam ex ore Dei in rebus fidei pronuntiare,asserunt. Hoc est,ut paucis dicam,negant controversam esse scripturam,de qua in conspectu hujus orbis solisque controversiam nobiscum auspicantur , affirmant definitam illius esse sententiam,quam ipsi invecto multiplici sensu indefinitam faciunt. Vociferantur illum , quem ipsimet primò intulere sensum clarissimum sibi esse, Romanos solos ad tantam lucem noctuas manere in meridie. Hic , si non assentiamur,invictisque contra pugnemus rationibus, quibus obluctari amplius nequeant , in omne contumeliarum genus ora calamosque resolvunt , atque in hoc demum fundamento,cum inani scripturarum nomine,atque obrensione acquiescunt ; more hæreticis antehac universis solenni. Exemplo rem exponam , ut palpari queat. Ante Lutherum & Calvinum verba cœnæ, quæ, *accepto pane* dixit *accipite, & comedite* , *hoc est corpus meum*.obvio literalique sensu usurpavit Ecclesia, ita, ut sentiret , vi istorum verborum , Christum acceptum panem in suum convertisse corpus, ut quondam aquam in vinum. Cum enim sciret nihil Christo impossibile,credidit ita pronuntianti, sensitque hanc scripturæ senten-

sententiam, & claram satis esse, & verbis suis definitam. Berengarium aliosque nonnullos olim contradicere ausos abunde etiam confutavit. Verum Lutherus ausus est hanc sententiam scripturæ aspernari, atque aliam ei diversam velut propriam definitamque adstruere, quæ p..nem una cum Christi corpore illic esse affirmaret, transsubstantiatione repudiata. Carolostadius anno insequenti qui erat 1521 per absentiam Lutheri Wittenbergæ lōgius provectus, negavit S. scripturam hic aliud illis verbis, quàm signum sui corporis exhibuisse, ostendendo per tò *hoc* corpus, quod sedebat in mensa, cujus signum panis erat in manibus, quem acerrimè iccirco Lutherus persecutus est, ac demum Basileæ ipsum memorant à Dæmone strangulatum. Zvvinglius tamen hunc secutus, idē, verùm aliâ interpretatione, per vocem *est* intelligendo *significat*, constanter propugnavit. Oecolampadius deinde hebraicæ magis linguæ peritus, cum non ignoraret, apud Hebræos *est* neq; hic reperiri, neque alibi pro *significat* usurpari, vocem corpus pro *figura corporis* accepit. Calvinus postremò per tò *est*, non tantum statuit *significari* corpus Christi absens; sed idem etiam *spiritualiter* per fidem sumentium *præsens* esse voluit. Hi omnes quantumvis diffideant, protestantur tamen scripturam S. definitè suam tantùm, & non aliorum pronuntiare (velut ex ore Dei supremi controversiarum Judicis) sententiam. Quo pacto hoc vel intelligunt, vel statuunt? utiq; non alio, quàm suo judicio, ut vocant, discretivo: quia per illud inter diversos scripturæ sensus (saltem possibiles) hunc potius, quàm illum deligunt. Tota igitur difficultas, & quæstio huc recidit. Utri inter diversas sentientium partes, quæ hunc potius, quàm illum scripturæ sensum amplectūtur, se erroris suspectos reddant? Vetusne Romana Ecclesia? an Lutherus, Zvvinglius, aut Calvinus? Propono in simili, ut magis declaretur. Legatur in testamēto à Cajo artificiosa domus Titio, qui eandem quoque possessor adit. Labuntur anni plures & Sempronius sanguine junctus supervenit, affirmat se heredē. Legatum domus Titio factum, de picta artificiosè in tabula domo intelligendum, clarum hunc sibi indubitatumque sensum esse, Adversarios sua opinione falli. Testamentum pro se dicere sententiā lis indicitur, & manet quæstio uter certius genuinū testatoris sensum suo judicio assequatur? Videatúrne is, qui in possessione est, ob productū ab alio sensum diversum jure posse eliminari? Possitne solius Testamenti verbis, ubi indefinita pro alterutro sensu verba sunt, hæc controversia terminari?

 & si

& si possit, an non obvio communiterq; recepto sensu standum sit? Satisfaciatne novitius opinator & oppugnator, contestando suum hunc sensum clarissimè in scriptura eminere, quæ pro se disertè enunciet sententiam; nihil in illa controversum esse, quodq; judicis alterius definitione indigeat? Prudenterne, ubi tota civitas in opposito perstet sensu, tanquam magis voluntati testatoris conformi, ipse suum velut magis conformem tueri possit? Agant Protestantes, & suum, vel Lutherum, vel Calvinū ex S. literis cum Ecclesia Romano-Catholica, de possessione veri cultus divini, religionisq; Apostolicæ disceptantē, pari genere quæstionum producant, & si possunt, tanquam medii rerum arbitri, nulli partium obnoxii pronuntient sententiā. Dicant, utrū illa superior verborum cœnæ interpretatio, quā nulla disertè scriptura facit nulla infallibilis infert consequētia, hoc titulo admitti possit, quod illam Calvinus sibi clarissimam esse protestetur, S. scripturæ conformem, imò ipsam Dei ex scriptura loquentis definitivam sententiam, nihil in illa dubium controversumq; esse, ideo nullum alium se hic admittere judicem: quando idem in opposito sensu Lutherus, non minori affirmatione, contendit. Catholico-Romana verò Ecclesia suum sensum, sententiamq; non modò conformem S. esse literis, obvia literaliq; significatione acceptam, sed tot seculorum, Doctorū q; consensione firmatam, ut protervi admodum contradictoris sit hac illam possessione, tam leviculis, & vel puerorum sannis explodendis argumentis submotam velle. Estne homo, qui hic dignam homine causam reperiat: cur Calvino potius, quàm Luthero, aut alterutri, quàm Romanæ Ecclesiæ malit assentiri? Si aliam, præter suum, obstinatum hac in re, judicium proferet, sine judicio ac ratione futurus sum. Hoc igitur cum opponat, unus omnibus, rideri explodiq; velut amens ab omnibus meretur. Summi Ecclesiæ Doctoris de se aliisq; pronuntiatum est, quod minimè fallit, *Qui non est ex Deo non novit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris* 1. Joan. 4.

II. Si aliud nullum esset Romanæ Ecclesiæ in controversiis scripturarum præsidium, omnino apud æquos prudentesq; homines unum hoc sufficeret. Nā quisq; in ambiguo licet constitutus, teneretur in conscientia illam sequi partem, quæ ad veritatem salutemq; esset tutissima. Et hæc Ecclesia est à quâ Lutherus Calvinusque, nec secum quidem sentientes, dissentiunt. Verùm quando, ex iisdem divinis scripturis utrimque admissis, manifestò quoque ostenditur, esse in ortho-

doxa

doxa Ecclesia non tantùm scriptum Dei verbū, sed etiam traditum, autoritate non inferius, quia Dei est: certitudine par, quia ab eadem exhibetur Ecclesia; imò tanto etiam superius, quod ab ipso verbo Dei scripto indubium atque infallibile testimonium adferat, quale ipsa de se universè scriptura non queat producere: jam profectò extremæ perversitatis reus erit, quisquis traditi simul scriptique Dei verbi, in iisdem fidei articulis conspirantis sententiam aspernatus fuerit. Quam arrogantiam malitiamque pertinacis judicii, ac voluntatis, cum a nostris procul adversariis abfuturam sperem, ad concordiam manum porrigent, & suæ nos salutis curam habere non ingrati observabunt.

Disertissima de tradito Dei verbo, non in libris, sed ore totius posteritatis apud Isaiam scriptura, non patitur effugium. utilis scriptura quidem ad omnia, sed non sufficiens Doctoribus Ecclesiæ præter hanc etiam requisitis, uti *pietas ad omnia utilis à* Paulo 1. Tim. 4. dicitur, sed non sufficiens, ne virtutes ceteræ ipsaque fides otiosa videatur. Sed licet hanc illorum consequentiam patiamur: tamen nihil obtinebunt, cùm verbo Dei scripto traditum commendetur, ideoque hoc contemni sine illo nequeat: illud, hoc secluso, sufficiens esse non possit. Verùm & si quoque demus, sufficiens verbum scriptum esse sine tradito; nondum tamen hoc bono jure proscribetur. Nam & sufficiunt homini pro victu vestituque annuo centum aurei, his tamen, si alterum tantùm adjiciatur, facilius victurus est. Ita ad meliorem vitæ spiritualis religionisque instructionem verbum traditum scripto rectè adjicietur. Vult Apostolus tam *audita*, quàm *accepta*, tam *per sermonem*, quàm *per Epistolam* tradita, tam *seniorum*, quàm *Apostolorum dogmata ac decreta* custodiri. Præter hæc verò *aliud nihil* vult *evangelizari*. Quibus certè verbis sententiisque inter se collatis, nescio an humana eloquentia magis expressi definitique sensus alia queat reperire.

Animadvertant itaque adversarii nostri, quantam injuriam irrogent, tum orthodoxæ Ecclesiæ, tum verbo Dei tradito, quando illius quidem autoritatem in exhibito Verbo Dei scripto reverentur, sed in Verbo Dei tradito negligunt; cùm par esse utrobique debeat, quando ipsum deinde Verbum Dei traditum pro humano commento traducunt, adeòque manifestam simul Scripti Dei Verbi autoritatem, quâ illud adstruitur, conculcant. Aut igitur utrumque admittant necesse est, aut utrumque simul aspernentur. Vultisne manifestè hos convincam,

vincam, quod ipſimet cogantur credere verbo Dei tradito? Euge, paucis illud effecero.

1. Hæc propoſitio *biblia S hoc librorum numero verbum Dei ſcriptum complectitur.* Vel eſt verbum Dei, vel hominum tantum. Si hoc, ergo ſolum hominibus fide utique humana & fallibili credunt: Si illud, ergo verbo Dei tradito aſſentiuntur; quia nullum aliud ſcriptum Dei Verbum extra S. hunc librorum canonem habetur. Si dicant ſe hominibus id dicentibus credere, verum per Spiritum S. interno ſimul lumine motuque infallibili doceri; Quæro, an hoc dictamen Spiritus S. aliud ſit, quam Dei Verbum ſuperiorem propoſitionem complectens? De hac enim veritate ſecurum te fieri neceſſe eſt. Ergo apprehendi tenerique per mentem debet. Ergo hoc ipſum lumen ſeu dictamen Verbum Dei traditum eſt, quò ultimo ad fidem habendam induceris.

2. Hæc propoſitio. *Matthæi Evangelium & Lucæ verum eſt & θεό πνευςον Andreæ verò & Bartholomæi apocryphum,* fide divina creditur. Hæc tamen ſcripta non eſt, ergo tradita, ſive interno, ſive externo Dei Verbo.

3. *Perveniſſe ad nos libros S. Scripturæ incorruptos* ſaltem ubi fidei ſalutiſque negotium complectuntur, & per ex typa ſparſos cum ſuo convenire prototypo, licet per tot ſcriptorum typothetarumque & Judæorum quidem hæreticorumque manus, qui falli potuerunt, ac fallere, ad nos pervenerint, & tamen credunt adverſarii non eſſe depravata, quæ cum ſuo prototypo nequeunt conferre: cui obſecro niſi Eccleſiæ, in cujus ore Deus ſua verba poſuit: aut certè ſuo ſpiritui intus hoc in animo conteſtanti?

4. Eſſe verba cœnæ e g. *hoc eſt corpus meum,* vel figuratè intelligenda, vel cum verbis *accipite & comedite*, ut de corpore præſente vera ſint, nulla ſcriptura expreſſè definit. Nulla etiam definit hunc ſenſum per infallibilem conſequentiam formari. Credunt tamen fide divina, ut ajunt, adverſarii. Ergo Verbo Dei tradito nitentur, aut judicio proprio. Hoc argumento ſingulos articulos fidei Proteſtantium excutere licet atque refringere. nihil enim illo, quo ipſi tradunt, ſenſu in S. literis definitum reperies.

5. Credunt *infallibilem hanc eſſe conſequentiam, licet rationis tantum humanæ ſit, quæ ex principiis fidei ducitur.* Et tamen nulla hanc veritatem ſcriptura definit. Erit igitur tradita, aut certe humana, aut certè, non veritas, ſed vana per ſuaſio.

6. Plura

6 Plura credunt ex uno tantum fidei principio, & altero rationis deducta, *ut Deum unum esse in substantia, & trinum simul in personis reipsa distinctis, quod filius non sit minor patre in substantia, Spiritus Sanctus utrique, quod duo tantum sacramenta sint, quod illa quæ ipsi præscribunt, & non plura nec pauciora ad sacramentum requirantur, quod matrimonium non sit sacramentum, quamvis tale in scriptura appelletur, cœna verò sit, cum tale non appelletur. Quod infantes sint baptizandi, quod baptismus conferri debeat sola aquâ, quod polygamia Christianis sit prohibita, quod sabbati dies necessario colenda non sit, quod liceat sanguine & suffocato vesci, & hoc ipsum, quod nihil credendum sit nisi scriptum.* Hæc aliaque, vel omnino deduci ex scriptura nequeunt, vel non nisi ex una propositione fidei, & tamen inter articulos rerum credendarum habentur ad adversariis. Cùm tamen nulla S. scriptura dictet, imò nec ratio quidem admittat, hoc quod ex aliquo rationis principio deducitur, licet ex altero divino pendeat, esse necessariò Verbum Dei, extra quod nihil potest esse fidei divinæ objectum. Hæc sola assertio, tanti ponderis est, ut ineluctabili fato adversariorum causam obruat.

7. Tenent etiam illa *quæ implicitè in S. scriptura continentur, & per consequentias eruenda sunt, credenda esse*; (aut si hoc non credunt exhibeant suos nobis fidei articulos in scriptura explicatos) & tamen de numero articulorum fidei implicitè in scriptura contentorum, neque ipsi definitè inter se conveniunt, neque scriptum Dei Verbum quicquam statuit. Conceduntque simul, quod vel unus articulus fidei ad salutem necessarius suos damnet, si prætereatur. Illud igitur cum ex scripto Dei Verbo assequi nequeant aut ex tradito habere necesse est, aut omnino manet incertum. Sic urgeo argumentum, aut illa omnia quæ in scriptura S. implicitè continentur necessariò credenda sunt; aut non omnia necessariò ita credenda. Utrumvis dixeris, ex scripto Dei Verbo non ostendes: alterutrum tamen tibi est credendum. Utrobique tanta absurditas, ut quidquid dixeris fidem evertas. Si prius: rusticis & indoctis fides hæc impossibilis redditur, quis enim ab his exigat, ut omnia implicitè in scripto Dei Verbo recondita eruant, atq; ad illa suorum etiam Pastorum Synodorumque doctrinam expendant? si quædam tantùm implicitè contenta in Verbo Dei scripto pro adæquata fidei regula requiruntur: ne doctis quidem fides possibilis ex solo Verbo

scripto

scripto relinquitur, cùm adeò lynceis nulli oculis futuri sint, qui harum nobis catalogum conclusionum, ab aliis pari firmitate illatis distincturi sint. Quo igitur confugient, si verbum Dei traditum nullum admittant?

8. Tenent *nullum fidelium Patribus, Doctoribus, Conciliisque Ecclesiæ, nisi in quantum cum Verbo Dei convenire intellexerit, posse assentiri*, & hic fundamentalis quidem Religionis hujus novitiæ articulus est, qui tamen in scripto Dei verbo non continetur. Ergo vel traditus à Deo, vel ab adversariis confictus est. Urgeo. Si hic articulus scriptus & *αὐτόπιστοι* est, fides vulgo indocto est impossibilis, imò universim penè omnibus etiam doctissimis. Quod sic evinco, qui non potest Doctorum Ecclesiæ placita doctrinamque cum S. conferre literis, is ex se nequit intelligere, an doctrina tradita cum S. literis conveniat. sed vulgus indoctum illud per ignorantiam nequit. Ergo nec hoc poterit. nisi, dicas alteri hoc asserenti scripturamque recitanti posse credere. Sed tunc simul admittes alicui homini affirmanti doctrinam suam, vel alterius S. esse literis conformem, tutò posse assentiri. Concedes etiam hominem ejusmodi, citra scripturam perspectam, posse discernere absque collatione facta, quænam verba scripturæ sint, quænam istius, aut alterius hominis. Denique admittes Doctorem talem reperiri, qui nec falli possit in hac propositione sua, nec fallere; & tunc ratio nulla futura est cur illud SS. Patribus, Conciliis, Ecclesiæque deneges. Jam alterum quod penè omnes doctissimorum hoc pacto fide vera excidant, sic facilè obtinebo. Vix eorum quisquam est, qui prototypon, sive authenticum sacrorum librorum exemplar possideat, cum quo præsentia scripta conferre possit, certusque de conformitate reddi. Cogitur igitur credere, neque tot graphiarios, neque tot typothetas, neque hæreticos, neque Judæos, vel ignorantiâ, vel negligentiâ, vel malitiâ quicquam in S. literis aberrasse, & quomodo his tutò sine collatione ad prototypon facta confidet, qui nec Sanctis Patribus, nec Præpositis Ecclesiæ Doctoribus, nec Conciliis tanto numero & consensione in eandem conspirantibus sententiam, absque hujus conformitatis examine tutò sese audet credere? Certè vel scripto, vel tradito hic Dei verbo nitendum est, ubi humana ratio prorsus deficit. Hic nodus rursum Gordius est, & adversariis insolubilis.

9. Tenent, *ita fidelibus verbum Dei scriptum commissum esse, ut non scriptum, velut prohibitum, excludatur.* Et tamen nulla

scriptura

ſcriptura produci poteſt, quæ cum illud commendat, hoc diſertè excludat, imò è diverſo, omni ſententia, quâ verbum Dei commendatur utrumque ſine exceptione commendatum eſt; quia ejuſdem eſt ordinis dignitatiſque. Nam in verbis Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor,* & Deut. 12. *quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quicquam nec minuas*, manifeſtè agit de verbis & præceptis, quæ loquebatur & imperabat, ut hoc argumento, ſi ſtrictè ageretur, ſcriptura proſcribi potius, quàm ſola ſtabiliri videatur. imò, ſi & ſenſu Adverſariorum admiſſum fuerit; excluderet libros Samuelis, Salomonis, Davidis aliorumque Prophetarum, quæ abſurda ſunt. ideoque neceſſariò de utroque tam ſcripto, quam tradito Dei verbo hæc intelliguntur. Quod vero Joannes de Apocalypſi dicit, cap. ult. *ne quis apponat, vel diminuat de libro prophetiæ hujus*, illius tantùm libri corruptoribus malùm interminatur: neque opinor adverſarii ſibi hic ceteris ſcripturis etiam interdictum credent, aut Evangelium ipſum Joannis, poſtea ſcriptum, repudiabunt. Sed illo Pauli ad Gal. 1. v. 8. prohibentis *quicquam præter id quod evangelizarunt*, admitti, mirificè, at fruſtra gloriantur. nam Evangelium ſeu bonum nuntium ſalutis præter quod admitti quicquam nolebat, ore, & ſcripto tradidit. Quid igitur hæc faciunt ad ſolum verbum Dei ſcriptum commendandum? Et num Paulus quæ deinde aliis ore ſcriptoque nuntiavit, Galatis quoque voluit interdicta? num quæ Petrus, quæ Joannes ceterique Apoſtolorum ſcripſère, proſcripta hinc voluit? Apage his ineptiis, quæ tales etiam Bezæ ſunt viſæ ut in altera ſua Bibliorum emendatione ann. 1598. vocem παρὰ non *præter*, ſed *contra* verterit, Calvinum in epiſt. ad Rom. ſecutus. nec omnia Genuenſia aliter Biblia loquuntur. Sentiunt igitur nihil contra hanc doctrinam admittendum, quod nos minimè averſamur. Sed quod affirmant *omnia illa ſcripta eſſe, quæ Paulus Galatis aliiſque ad fidem ſalutemque neceſſaria evangelizaverit, & traditum Eccleſiæ verbum ſcripto contrariari*, hoc cum nullibi in S. literis ſcriptum ſit, aut traditum Dei verbum eſſe debet, aut confictum. Quocunque igitur adverſarii ſe verterint, inevitabili neceſſitate, aut ad verbum Dei traditum tenentur nobiſcum confugere, aut ſola ſcriptura ſuam nequeunt ſtationem tueri. Pacem itaque conſultius in eadem nobiſcum ſententia Eccleſiaque amplectentur.

§.II. Patres primævæ orthodoxæ Ecclesiæ, ab ipsis instructi Apostolis, vel iis propinqui, Traditiones præter S. Scripturam agnoscunt.

AN traditiones in Ecclesia admittendæ sint, à nullis certius, quàm veteri orthodoxaque Ecclesia & priscis Patribus licebit cognoscere. Hi enim cum, Apostolorum vel discipuli vel ætate vicini, testes nobis de S literis esse debeant, si omnia ad fidem ritusq; pertinentia scripto tradita esse negent, par illis in utroq; fides debebitur; aut si hic ut homines errasse credamus, idē de S. literis per illos nobis traditis erit admittendū. Horum igitur testium nonnullos pro instituta brevitate audiamus.

Dionysius Areop. lib. de Eccles. Hier. cap. 1. inquit. *Primi illi nostri Sacerdotalis numeris duces* (Apostoli) *in iis quæ nobis sunt familiaria summa illa & supersubstantialia* (pertinentia ad fidem) *partim scriptis, partim non scriptis institutionibus* (*juxta quod sacræ definiunt leges*) *nobis tradiderunt.* En oculatum simul auritumque testem, cui nefas sit fidem derogare. Vis alterum ætate ac fide supparem? Accipe ex Euseb. l. 3. Ecclesiast. hist. c. 30. *Ignatius* ait, *cum iter per Asiam faceret, Ecclesias piis hortationibus confirmavit, ac primùm, ut hæreses quæ jam tum nasci & emergere cœperunt, maximè præcaverent, sedulò admonuit. Deinde hortatus est, ut Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent, quàm quidem asseveranter testificatus, quo tutius reservaretur, necessario scriptis mandandam existimavit.* Nondum igitur scripta erat.

Irenæus lib. 3. c. 2. *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, & quæ per successiones Episcoporum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, qui adversantur traditioni: dicent se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, synceram invenisse veritatem: Apostolos autem admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis, &c. Evenit itaque neque scripturis jam, neque traditioni consentire eos.*

Et c. 4. *Quid enim; si cui de modica aliqua quæstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli reliquissent scripturas nobis; nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quā tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum S. in cordibus*

cordibus salutē, & veterem traditionem diligenter custodientes? &c. Unde apparet tempore Irenæi Scripturam S. multis fidelibus nondum communicatam fuisse; sed traditione sola nixos credidisse.

Basilius libro de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Ecclesia servantur, & prædicantur quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursum ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus : quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Neque in his quisquam contradicit, quisque sanè vel tenuiter expertus est, quid sint jura Ecclesiastica.* En minimè dubium primæ sensum Ecclesiæ. Ephiphanius hæresi 55. contra Melchisdechianos. *Termini,* ait, *nobis positi sunt, & fundamenta & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scriptura sancta, & successiones doctrinæ, & undequaque veritas Dei munita est.* Ubi traditiones Apostolicæ à S. Scriptura distinguuntur.

§. III. Patres ex ipsis Scripturis S. quarum mentem certius, quàm moderni scriptores, assecuti sunt, Traditiones probant.

Quid si eosdem SS. Patres Sacram Scripturam (cujus sensum ex Apostolis, aut eorum propinquis successoribus hauserunt) contra adversarios in hanc sententiam producentes audiamus, quâ fronte obsecro futurus est, qui se dicet rectius sensum scripturarum assequi, seque Patribus intelligentia earum, & spiritu interpretationis ausit præferre?

Clemens Alex. l. 1. *Strom.* Messis quidem multa, operarii verò pauci *Est autem duplex agri cultura : una quidem quæ scriptis non continetur ; altera verò quæ continetur. Virovis autem modo operarius Domini præclarum frumentum seminaverit, & spicas auxerit, & messuerit, vere divinus apparebit agricola.* Nam ut habet lib. 7. *Cognitio quæ datur ex Traditione per Dei gratiam,* velut quoddam depositum 2. Tim. 1. v. 14. *committitur eis, qui seipsos doctrina dignos exhibuerint.*

Epiphanius hæresi 61 contra Apostolicos. *Oportet autem,* inquit, *traditione uti. Non enim omnia à divina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus.* Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis 1. Cor. 11. 2. Quæ certè Paulus scripto omnia non tradiderat, aut deinde tradenda promisit. Subjicit deinde idem Doctor ex 1. Cor. 4. v. 17. illud Pauli *sicut doceo & tradidi in Ecclesiis,* ita nempe, *Timotheus*

vos commonefaciet vias meas quæ sunt in Christo Iesu. Non dicit missurum se hanc doctrinam in scripto, sed per Timotheum traditurum.

Chrysostomus in 2. ad Thess. 2. *hom.* 4. State, *inquit*, & tenete traditiones sive per epistolam, sive per sermonem, &c. *Hinc perspicuum est, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quapropter Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius.* Idē in 2. Tim. 1. v. 13. hom. 3. *in verba.* Formā habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, &c. *Non modo*, ait, *per literas, sed etiam verbis discipulo quæ essent agenda dictavit, quod plurimis & aliis locis ostendit dicens:* 2. *Thess.* 2. sive per verbum, sive per epistolam quasi per nos missam. *Hoc & hic multò magis fecit. Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, &c. sive de fide, sive de charitate, sive de castitate opus sit aliquid loqui ac definire, inde tibi exemplaria accipe.*

Augustinus Epist. 115. ad Januar. c. 6. *Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: Nunquid tamen calumniandum est universa Ecclesia, quod à jejunus semper accipitur? &c. Cum ait Apostolus, de hoc Sacramento loquens, propter quod fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate, si quis esurit domi manducet, ut non judicium conveniatis, statim subtexuit*, cetera autem cum venero ordinabo. *Vnde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quam universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Idem tract. 98. in Evang. Joannis sub finem, verbis illis quibus adversarii maximè triumphant, traditiones, ut scripti Verbi Dei supplementum confirmat. *Admonitio*, ait, *Beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat.* Siquis vobis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Gal. 3. *Non ait* plusquam *accepistis, sed* præterquam *quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses*, ut suppleret quæ eorum fidei defuerunt. 1. Thess. 3. v. 10. *Sed qui supplet, quod minus erat, addit: non tollit, quod inerat.*

An hi aliique Patrum orthodoxum scripturæ S. intellectum habuerint, nefas erit dubitare. Aut igitur his subscribendum, aut sua in hæresi nostris & SS. Patrum adversariis pereundum est. Illud opinor eligent.

§. IV. Pa-

§. IV. Patres & Concilia plures extra S. Scripturam Traditiones tam articulorum fidei, quam rituum singulatim exponunt.

NOndum desero hanc causam. Restitantes etiamnum adversarios per orthodoxam illam, quam agnoscunt, Ecclesiam fortissimè impellam; quãdo eosdem SS. Doctores singularium in veteri Ecclesia traditionum extra scripturam S. admissarum testes inducam, quibus & ratione & autoritate cogentur cedere. Basilius l. de Spir. S. c. 27. *Si consuetudines*, ait, *quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur: imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est (ut eius, quod primum est, vulgatissimum primo loco commemorem) ut signo crucis eos, qui spem collocaverunt in Christum signemus, quis scripto docuit? ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Consecramus aquam baptismatis & oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit; ex quibus scriptis? Iam ter mergi hominem, unde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ, & angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nonne ex privata & arcana hac traditione? nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio (quod curiosos & otiosos submovet) servarunt, &c. Omitto cætera ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, filium, Spiritum S. è quibus scripturis habemus?*

Origines adstipulatur c. 6. Epist. ad Romanos. *Ecclesia*, ait, *ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis baptismum dare*, &c.

Tertullianus de corona Milit. cap. 3. has traditiones recenset. *Habentes*, inquit, *observationem inveteratam, quæ perveniendo statum fecit. Hanc nulla scriptura determinavit, &c. Aquam (baptismatis) adituri aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare* Diabolo *& pompæ & angelis eius. De hinc ter mergimur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit, &c. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, frontem crucis signaculo terimus. &c. Harum* (inquit c. 4.) *& aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem*

expostules scripturarum, nullam invenies Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix, &c. consuetudo autem in civilibus pro lege accipitur, cum lex deficit.

Augustinus de Gen. ad literam lib. 10. cap. 23. *Consuetudo*, inquit, *Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esse traditio.* Et de hæreticis non rebaptizandis lib. 5. de Bapt. c. 23 *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est.* De qua eadem lib. 2. cap. 7 ibi ita disseruit. *Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem. Sicut multa non inveniuntur in literis eorum neque in conciliis posterorum, & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.*

In generali concilio Chalcedonensi Act. 1. Eutyches negans in Christo duas naturas, dicebat; *ego à S. Scripturis non didici de duabus naturis*: cui respondit Mamas Presbyter, *neque de ὁμοουσίος S. Scripturis edocti sumus.*

Ecce traditiones vel Apostolicas, vel Ecclesiasticas, tam ad fidem, quàm mores ritusque pertinentes, jam olim observatas in orthodoxa Ecclesia, quas si nobiscum admiserint, prona hic erunt ad concordiam omnia: si rejicient, à vera orthodoxáque (sua etiam confessione) Ecclesia, recedent. Concludo cum Augustino Epist. 118. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini passio & resurrectio & ascensio in cœlum anniversaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatu ab universa quacunque se diffundat Ecclesia, &c. Insolentissima vero insania est disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Hujus insaniæ manifeste rei futuri sunt, nisi nobiscum ad concordiam & veteris Ecclesiæ consensionem adversarii redierint.

* *
*

§. V. Ipsimet

§. V. Ipsimet Protestantes veteris orthodoxæ Ecclesiæ Traditiones agnoscunt, nec possunt omnes suismet in sententiis fidei excludere.

Magdeburgen. Centuriatores de proximo ab Apostolis seculo fatentur, cent. 2. c, 4. *In Doctrina Iudicatione, de rebus adiaphoris.* Succrevit paulatim error de traditionibus necessariò observandis. Ut Alcibiadis historia, quæ apud Eusebium lib. 5. c. 3. recitatur, subindicat, &c. Docet etiam *Ignatii* Epistolæ de rebus mediis loquuntur. Nam ad Philad. sic scribit. *Adhuc dico, Episcopis & Presbyteris in Domino, quicunque cum Iudæis Pascha egerit, aut solennia festorum eorum susceperit, comparticipabit eis, qui Dominum & Apostolos occiderunt.* Et paulò ante. *Dies festos nolite inhonorare. Quadragesimam verò nolite pro nihilo habere. Quarta & sexta feria jejunate, reliquias pauperibus porrigentes.*

In altero post Apostolos seculo, cent. 3, cap. 4. *De inclin. Doctr. in rebus mediis.* Rebus, ajunt, quibusdam mediis sæpe necessitatem inducit, & meritum tribuit *Tertullianus.* ut l. de jejunio contra Physicos, *omnium*, inquit, *erga victus macerationem hæc est ratio, quâ rursus interdicto cibo & observato præcepto, primordiale jam delictum expiaretur. Vt homo per eandem materiam causæ Deo satisfaciat, per quam offenderat, id est per cibi interdictionē &c.*

Ibid. cap 6. de ritibus circa baptis. *De infantibus baptizandis*, inquit, *Origenes* hom. 8 in Levit. *Ecclesiam, traditionem accepisse ab Apostolis.* Et *Cyprianus* lib. 3. epist. 8. in concilio quodam 66. Episcoporum statutum esse asserit, *infantes mox postquam editi essent, baptizandos esse. Et paulò post.* Absolutionem sequebatur unctio, & manus impositio, &c. *Vide infra de baptismo.*

Sadeel de verbo Dei cap. 5. reg. 5. Quidam ex veteribus cum nævos suos haberent, nimis indulserunt ejusmodi traditionibus non scriptis, &c. Idem in Clemen. Alexand. qui *agnoscit verbi Dei* ἄγραφον καὶ ἔγγραφον *non scriptum & scriptum*, dicit authorem hunc non satis purè hanc quæstionem tractasse. Sic ad *Basilii* autoritatem supra cit. ait, hunc curiosius aliena abs re argumenta tractasse.

Whitakerus q 6 c. 12. de scriptura, Eusebium Cæsar. & Chrysostomum fatetur luculenta pro traditionibus testimonia dicere: sed negat hos esse audiendos. Ita de Basilio, Epiphanio, Cy-

priano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque à Bellarmino productis. Quibus sese ait scripturam (videlicet) opponere. *Chamierius.* tom. 1. l. 9. c. 19. §. 17. *Basilii* sententiam de traditionibus se negat posse excusare. *Chrysostomum* refutat, ut Basilium, negando, verum esse quod tradita ab Apostolis pari fide digna sint, quâ scripta. *Epiphanius*, ait, nos non movet, quem scimus nimium traditionibus detulisse.

Conrardus Vorstius tom. 1. contr. 1. thes. 12. Ait, Patres aliquid humanitus passos, & quibusdam Majorum suorum institutis, tanquam quæ ab ipsis Apostolis profecta essent, plus æquo tribuisse, proinde nobis hac in re temere sequendos non esse.

Eilbrachtus in via compendiaria cap. ult. Multa à Reformatis credi asserit, quæ in verbo Dei scripto non reperiantur. Et huic objectioni, nullam in Epanorthosi ib. responsionem invenit. Quædam adducam. sic inquit p. 501. Nusquam scriptura exprimit: hæcne oratio: *Corpus Christi est in pane, est ubique*: an illa *corpus Christi, non est in pane, non est ubique*, cum sententia Sacræ Scripturæ congruat? Ita etiam nusquam exprimit; hæcne oratio? *formalis causa justificationis coram Deo, est justitia inhærens*; an verò illa: *formalis causa justificationis coram Deo non est justitia inhærens*, cum Sacra Scriptura genuino sensu intellecta conveniat? quâ tamen quæstione religionem Christianam à Pagana, Mahometana & Antichristiana digosci censent Reformati. Similiter nusquam scriptura dicit: *Hominem fidelem, sine speciali revelatione, certum esse posse & debere, certitudine fidei, se à Deo ad æternam vitam esse prædestinatum, jamque reipsa justificatum, & porrò in adepta justitia finaliter perseveraturum, æternamque gloriam consecuturum; & hanc solam fidem esse iustificantem.* Nusquam dicit scriptura: *observationem divinæ legis, etiam renatis esse impossibilem. Liberum arbitrium in homine post lapsum, ad bonum planè esse extinctum. & gratiam in prima hominis conversione operari irresistibiliter. Nullum peccatum esse tam leve, quin sua natura mortem æternam vel millies mereatur.* Nusquam scriptura dicit: *Ita sufficientem esse Sacram Scripturam, ut nulla admittendæ sint traditiones.* Nusquam: *articulum symboli Apostolici de descensu ad inferos; non literaliter, sed metaphoricè; vel metonymicè esse intelligendum.* Nusquam: *precationem pro defunctis esse superstitiosam, & purgatorium esse Satanæ commentum.* Nusquam, *duo tantum esse novi testamenti Sacra-*

men-

menta, & sacramenta novæ legis non conferre gratiam, &c. *Reformatos*, quando hæc & alia ex S. Scriptura probare conantur, *geminum eius sensum tenere, & consequentias quas nectunt esse legitimas, solidas, necessarias.* Hunc Eilbrachtus sibi sui'que nodum texuit, cum Romanam prensasset Ecclesiam; verùm ab eadem rejectus, enodare nunquam potuit, sed laqueo ipse suo captus occubuit, illuc temerè versus, ubi majoris beneficii temporalis spes affulsit, venalem animam fidemque circum[illegible]s. Exspectamus igitur Alexandrum, qui hunc nodum di[illegible], quod extra Romano-Catholicam Ecclesiam nemo poterit.

§. VI. Ecclesiæ judicio tam in hac, quàm aliis controversiis de sensu, scripturæ S. standum esset, etiamsi neque infallibilis illa esset, neque de tradito Dei verbo constaret.

QUodsi nihil de ejusmodi Apostolicis constaret Traditionibus, seu verbo Dei tradito, in controversis fidei articulis definiendis, ipsaque etiam Ecclesia suo in judicio, non esset infallibilis, tamen hujus judicium privatus quisque, quando de scripturæ sensu convertitur, præferre teneretur.

Videte DD. Protestantes, quantum ex præsidiis causæ nostræ vobis remittam. Ponamus nullum verbum Dei traditum penes nos esse, ponamus Ecclesiam, ut vultis, in judicando erroribus manere obnoxiam, nihilominus invictis à vobis argumentis obtinebo, quod asserui.

Pro qua re observandum est, quod Protestantes duplex potissimum judicium in rebus fidei statuant: alterum definitivum, quod Deum per S. scripturæ sententiam pronuntiare asserunt: alterum discretivũ, quo discernitur à fidelibus, utrum doctrina aliqua, cum hac S. scripturæ sententia, tanquam cum norma ac regula sua conveniat, quod judicium si Ecclesiæ Doctorum, seu Ministrorum sit, & ad aliorum instructionẽ dirigatur, ministeriale vocant; si alterius fidelis, nomen retinet, vel discretivum, privatum dicitur. De judicio definitivo facile convenimus, per hoc à Deo tam clarè sufficienterq; propositam esse sententiam, ut per ministerium Ecclesiæ, Pastorum, Doctorumq; ejus possit intelligi: sed privato cuilibet hujus divinæ sententiæ discretionem agnitionemque evidentem negamus. Hoc igitur nobis quærendum & discutiendum hic superest: an privatus,

 tanquam

tanquam sententiæ scripturarum certus, discretivum suum judicium possit opponere discretivo judicio Ecclesiæ, etiamsi hæc fallibili judicio niti censeatur?

Dico I. Cum manifesta ratio ostendat, conformius illud esse veritati, cui plures viri graves prudentesque assentiuntur, quàm quod privatus quispiam suo judicio complectitur ac tuetur, ideòque consultationes, senatus, conciliaque in rerum magnarum deliberatione instituta sint, ac temerè & pertinaciter agere censendus sit, quisquis suo unius judicio, multis in eandem sententiam conspirantibus sese objicit: manifestum quoque est à ratione illum damnari, quisquis discernere sese verius S. scripturæ sensum, quàm Ecclesiam dictitat.

Dico II. Humanis quoque legibus unius judicium & autoritas, ceteris paribus, posthabetur consensioni plurium. Unde illud manavit: *Vnus vir, nullus vir*. Omnium sese exponit risui, qui unus contra omnes sentire audet. Ipsa consensio instar legis & veritatis certæ obtinet. Unde Cicero de Nat. Deor. *Cum maneat ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, Deos esse.* Et tamen non ignorabat, quosdam Cicero huic sese consensioni opponere. Sed hos nullo in numero adversus consentientem multitudinem habebat.

Dico III. Juxta leges divinas, *in ore duorum, vel trium testium consistit omne verbum*. & Jubemur in exortis controversiis *dicere Ecclesiæ, quam qui non audit, Ethnicis publicanisque accensetur*. Matth. 18.

Dico IV. Per S. literas, Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, non aliis, tribuitur munus *ædificandi corporis Christi in unitate fidei, ne circumferamur omni vento doctrinæ, in deceptionem erroris*. Eph. 4. Cum hoc privilegio non potest consistere illud, quod Protestantes privatis quibuslibet concedunt, ut Ecclesiæ Doctores ex scriptura judicent; sed contrarium prorsus, ut sententiæ privatorum per Ecclesiæ Doctores ex verbo Dei judicentur, & corrigantur. Nam hoc ædificare corpus Christi in unitate fidei, hoc cavere ne per deceptionem erroris hæc unitas dissolvatur.

Dico

Dico V. ipsa adversariorum praxis & consuetudo per Synodos privatorum sententias, cum ipsis autoribus damnantium ac proscribentium, erroris Protestantes convincit. Ita (ut exemplo utar) in Synodo Dordrechtana Batavorum, Remonstrantes qui sinodicæ sententiæ bnitebantur, excommunicationis sententia perstricti sunt, & politicis, nisi assentirentur pœnis subjecti An. 1619. Cum tamen illi protestarentur *ses. 57. Synodicis se decretis morem gerere per conscientiam non posse, quod ea quæ divinæ voluntati convenirent* Synodus *præscriberet, nequaquam refragaturi iis, quæ apud conscientias suas rectæ rationi & Dei verbo consentanea esse judicarent.* At Synodi actum contra Remonstrantes probarunt Theologiæ Facultates in Britannia, Genevæ, Palatinatu, Hassia, Embdæ, Bremæ & c. Par licet utriusque partis fundamentum, nempe conformitas suæ quam proponebat sententiæ cum S. scriptura, utrique se testimonio Spiritus Sancti & conscientiæ de veritate convinci profitebantur, citate tamen Remonstrantes, quod Synodo non accederent, jure existimari sunt: nisi concedant synodum injuriâ tales damnasse.

Dico VI. Non in praxi solum, sed speculatione etiam Ecclesiæ sententiam, præ sua adversarii; illic ubi consentiunt, amplectuntur. Paucis hoc manifestum faciam. Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ, quamvis in articulis fidei dissideant, ad eandem tamen scripturam Judicem provocant. Quod igitur integræ nationes consentiant, e.g. Saxones & Sveci in doctrina Lutheri, Genevenses & Scoti in doctrina Calvini, non in scripturam, aut illuminationem cujusque internam, quæ nunquam variant; sed Doctores & Confessiones, alibi alias, transfundi necesse est, nisi fortè genio cœli solique hæc in Schismate consensio, tam diversorum ingenio affectuque hominum, sit imputanda. Ego nihil præter Doctorum Confessionisque ubique receptæ persuasam autoritatem, quam sequuntur, esse intelligo. Faciunt igitur, quod negant faciendum, qui solius S. scripturæ autoritate standum esse affirmant. Dicant enim Saxones Svecique, cur universi singulique verba illa, *accipite hoc est corpus meum*, propriè de pane simul & corpore, Genevenses & Scoti, cur figuratè, idque integrarum nationum consensu, ex eadem sacra scriptura per eandem divini Spiritus

 illumi-

illuminationem, intelligenda esse statuant? nonne quia confessionem suam S. esse scripturæ conformem quævis partium, velut indubitatum, supponit? Cæci omnino sunt, qui hæc nō animadvertunt. Doctores itaque & Confessio, hanc confessionem in defensione inducunt, non scriptura, quæ ubique est eadem.

Dico VII. ut quis in hoc judicio, de convenientia suæ sententiæ cum S. scriptura, in cō cientia tutus sit, tenetur Ecclesiæ potius adversantis judicio accedere, quàm suo inhærere. Quod sic evinco. In ambiguo, ubi alterutra sententia periculum aberrādi à verâ fide & salute complectitur, tenetur quilibet in re tam ardua sequi partem tutiorem. Sed Ecclesiæ sententia tutior est, quàm privati. Ergo hāc sequi tenebitur. Majorem propositionē nemo prudens negabit, nam ubi in alterutra parte error & damnatio est, non potest hæc esse in parte tutiori. Minorem, jam tot, quot ante potui assertionibus probavi. Sic verò nunc etiam ad oculum, ex ipsis adversariorum principiis, demonstro. Privatus quisque Christianorum eâ tantum conditione certus est, se non errare in sua sententia, seu discretivo judicio, si videlicet hoc cū S. scriptura tanquam definitiva Dei sententia, & prima fidei regula conveniat. Verùm, utrū de facto conveniat, hoc infallibili ceritudine non assequitur: alioquin daretur in fidei articulis, præter Deum judex infallibilis privatus fidelium quilibet, quod judicium multò magis Ecclesiæ fidelium consentienti esset cōcedendum. Fieri enim non posset, in illa congregatione, ubi singuli non fallerentur, universos uno in consensu falli posse. Ideoque hoc in casu, si fieri posset, ut privatus contra Ecclesiam sentiret, huic tamen esset jure accedendum. Quidquid igitur de Spiritus privati illuminatione, ac testimonio fidelis poterit sibi polliceri, sive infallibile hoc esse dictitet, seu fallibile, semper Ecclesiæ sese adjungere tenebitur. An possumus dubitare Paulum fuisse securum de Evangelii sui, *quod neque ab homine accepit, neque didicit, sed per revelationem* JESU CHRISTI *habuit*, veritate? Gal. 1. Et tamen Gal. 2. ait, *ascendi (Ierosolymam ad antecessores Apostolos.) secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* In quem locum D. Augustinus contra Faustum lib. 28. cap. 4. ita commentatur: *Si non invenisset in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omninò non crederet. Sed cùm cognovissent illum hoc*

annun-

annuntiantem quod illi annuntiaverunt, & in eorum communitate atque unione viventem, meruit authoritatem. Accedit Hyeronymus Epist.11. quæ apud eundem Augustinum est: *Exposuit Paulus Apostolis Evangelium, ostendens se non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri & qui cum illo erant sententia fuisset roboratum.* Imò ipse Petrus, in quibusdam dissimulanter Judaizans ritibus in hac congregatione per Paulum, aliis utique adstipulantibus, correptus correctusque est Gal. 2. tanta erat autoritas conjunctorum, ut privatus quisque his se suamque sententiam lubens submitteret. Concludam igitur, cum eodem Paulo Phil.3. v.16. *Idem sapiamus, in eadem permaneamusque regula, imitatores mei estote, & observate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Et Christo servatore nostro. Is *qui Ecclesiam non audit, est sicut Ethnicus & Publicanus.* Sed qui in controverso Scripturæ sensu, privatum contra publicum Ecclesiæ judicium sequitur, non audit Ecclesiam. Ergo hic est sicut Ethnicus & Publicanus.

Dico IX. Non est ratio, cur ille qui Scripturam S. quoad substantia ab Ecclesia accipit, sensum quoque sententiamque ejusdem S. Scripturæ ab eadem non admittat, cùm pari utrumque autoritate tradatur, & securitate accipiat, imò hæc etiam major sit in sensu scripturæ, quàm illius substantia. Cũ libri sacri multis errorum periculis, in descriptorum, typothetarum, hæreticorum, & Judæorum manibus obnoxii fuerint: contra sensus S. scripturæ auribus animisque fidelium ab Apostolis exceptus, posterisque traditus, & per varios Doctores scriptoresque toto orbe sparsus, tanto corruptionis discrimini obnoxius non fuerit. Quâ igitur fronte illis, qui mihi aliquam esse S. scripturam tradunt, nõ credam potius, quæ illius scripturæ sententia sit, quàm Luthero Calvinoque & illorum assectis? Cum Augustino te illosque alloquar de utilitate credendi cap. 14. *Cur non apud eos potissimum diligentissimè requiram quid Christus præceperit, quorum autoritate commótus Christum aliquid utile præcepisse jam crediti? Tune melius mihi expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te hoc mihi commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, ut dixi, fama, celebritate, consensione, vetustate roborata. Vos autem, & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum autoritate proferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? illis crede, Christo esse credendum, & à nobis disce, quid dixerit.* Si digna Deo & salute nostra sapimus, in controverso scripturæ sensu discemus ab Ecclesia, à qua ali-

quam Scripturam S. esse, ac fuisse omnino Christum didicimus. Aut si illud non facimus, omnis nobis excusationis ratio, & certitudo salutis sublata est.

§. VII. Cum infallibilis sit Ecclesiæ, sive illius Pastorum & Doctorum in rebus ad salutem necessariis sententia, qui hanc non audit, non audit Deum.

Quod si nunc etiam demonstrem, Ecclesiam Catholicam visibilem errare in fide universè non posse, adeoque esse infallibilem, plane obstinata mente ad interitum ruent, quicunque illam audire nolunt, atque ipsius, sententiæ acquiescere. Qua in disceptatione inprimis notandum est, non esse nobis quæstionem hoc loco de Ecclesia, prout illa est Electorum invisibilis, quod hæc solo Deo nota sit, imò propriè Ecclesia, seu convocatio hominum dici in hoc mundo nequeat; cùm talis per se, vi vocis & acceptionis usitatæ, externa signa, ut convocationem, conjunctionemque quandam visibilem corporum, professionem ejusdem fidei, eosdem ritus & sacra sequentium postulet: quæ non cadunt in electionem Dei invisibilem: dicuntur tamen de Ecclesia Catholica, & de illa, quam nos credere in symbolo Apostolico profitemur, ut ideirco hæc etiam visibilis esse debeat. Iterum quando jubemur adire Ecclesiam eidemque obtemperare, Catholicam certè adire jubemur, & visibilem. Denique quando notas veræ statuunt Ecclesiæ adversarii, utique Catholicæ illius, in quam credimus, statuunt; at hæ sunt, vera verbi Dei prædicatio, & Sacramentorum administratio, quæ sanè in aures oculosque omnium incurrere necesse est. Quare dicere Ecclesiam, quà orthodoxa & Catholica est, invisibilem esse, eò quod vera fides & electio Dei invisibilis sit, est (ut pari utar) dicere hominem, quâ homo est, invisibilem esse, eò quod anima ipsius sit invisibilis. Ut hominis anima, sic fides & charitas Dei (quæ Ecclesiæ veræ anima est) dignas se operationes exercet in corpore. Has non advertere brutorum magis, quàm hominum est.

Comparatur illa (a) *civitati supra montem posita*, & de cœlo ornatu insigni descendenti, b supra *petram*, & *fundamentum Apostolorum* extructæ, c *Monti domus* domini, ad quam omnes gentes

a *Mat.* 5. *Apoc.* 20. b *Mat.* 16. *Eph.* 2. c *Isa.* 2.

gentes confluent, *d nuptiis regiis*, & congregatis ibidem conviviis. *e Virginibus* à Sponso ad nuptias invitatis. Et quis tam excors, qui hæc visibilia esse non sentiat, aut non dici de orthodoxa illa & Catholica, in quam credimus, Ecclesia? Augustinus eodem nobiscum sensu loquitur Epist. 174. ad Severinum. *Facilè* inquit, *est tibi attendere, & videre civitatem supra montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non posset. Ipsa est enim Ecclesia Catholica, unde* καθολικὴ *græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet, ideo secundum verbum Domini abscondi non potest.* Verùm quid disceptamus, quando nulla ab Adversariis scriptura producitur, quæ bifidæ Ecclesiæ meminerit, aut aliam nobis in S. describi literis, aliam in symbolo proponi afferat: ut idcirco jam non in unam, sed geminam Ecclesiam credendum sit. Nam si illa Catholica, quæ in symbolo proponitur tantùm sit Ecclesia invisibilis, quæ solos electos comprehendat: in scripturis verò etiam proponatur visibilis, quæ malos juxta bonósque complectatur: illa quæ ætate nequeat, hæc possit deficere. Quis non intelligat, tam diversa definitione Ecclesiæ, non unius, sed duplicis Ecclesiæ naturam proponi, ideòque jam in duas Ecclesias credendum esse? aut si indivisibili hic in terris nexu Ecclesia utraque societur, tunc una non possit deficere subsistente altera, aut subsistere alia deficiente? Utrum vis ergo eligant adversarii, causâ ceciderunt. Quare si unam in terra nobis relinquant Catholicam, eamque simul visibilem, indefectibilem quoque sunt relicturi. Nec refert deficere in partibus vitiosis, nam & messis sua habet zizania, nec idcirco illa eradicatur, sed maturitati & horreis servari jubetur, his igne consumptis. Mat. 23. In homine multa, quæ insunt, separari rescindique, salvâ ejus substantiâ, vitáque possunt.

d *Matt.* 22. e. *c.* 15.

Jam ætate universè hanc visibilem Ecclesiam Catholicã non posse, (intelligo, non Romanã singularẽ, sed quæ Romanæ est fidei toto orbe diffusam) apertissimis scripturis, ex parte supra tactis, evincitur Ego paucis illas syllogismis colligo. *Ecclesia à Christo supra petram fundata, contra quam portæ inferi non prævalebunt, non potest deficere; sed Christus fundavit supra petram Ecclesiam, contra quam portæ inferi prævalere non possent.* Matt. 16. 18. Ergo hæc non potest deficere. Colligit idẽ Augustinus qui hoc argumẽto est eloquẽs est, l. 1. de symb. ad Catechũ. c. 6. *Ipsa* inquit

inquit est*Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans,pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illo exierunt, tanquam sacramenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam.*

Ipse Christus Mat. 7. v. 24 *Vir sapiens*, inquit, *fundavit domum suam suprà petram, & descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti & irruerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim erat super petram.* Et quis neget sapientem Christum, talemque domum esse Ecclesiam?

Rursum ex S. Literis hujus Ecclesiæ visibilis stabilitatem colligo. *Civitas supra montem posita, quam Deus fundavit in æternum semper stabit* Sed Ecclesia Dei est *civitas in monte, quam Deus in æternum fundavit*, Mat. 5. ps. 47. & 86 Ergo &c. Augustinus sua hæc rursum eloquentia illustrat in Psal, 47. *Non insultent*, ait, *hæretici per partes concisi, non se extollant, qui dicunt, ecce hic est* Christus, ecce illic. Mat. 24 *Qui dicit ecce hic est, ecce illic, ad partes inducit, unitatem promisit Deus. Reges in unum collecti sunt, non per schismata dissipati sunt Sed fortè ista civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur. Absit. Deus fundavit eam in æternum. Si ergò eam Deus fundavit in æternum, quid timesne cadat firmamentum.*

Tertiò Ecclesia subiecta est Christo, ut sit sancta & *immaculata* Eph. 5. & *desponsata ipsi in sempiternum* Ose. 2. v. 19 Sed talis non potest deficere. Ergo &c. Confirmat Cyprianus de unitate Ecclesiæ. *Adulterari*, inquit, *non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica* Iterum ex Apostolo l.c. v. 24. stabilitur. *Ecclesia subiecta est Christo in omnibus*. Ergo non potest universa refractari.

Quartò Aliqua *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis* 1 *Tim.* 3. *cum cuius Doctoribus Christus est usque consummationem seculi*. Mat. 28. Sed talis est universalis, non sola particularis Ephesina. Ergo & illa est firmamentum veritatis. Duo hic ex S. literis argumētā complexus sum, Origines penè quatuor tract. 30. in Matth. complectitur, nostræ illustris confirmator sententiæ. *Non debemus*, inquit, *attendere eis qui dicunt*, ecce hic est Christus *non autem ostendunt, eum in Ecclesia, quæ plena est fulgore ab oriente, in occidentem, quæ plena est lumine vero, quæ* est columna & firmamentum veritatis, *in quâ totus est adventus filii hominis dicentis omnibus, qui ubique sunt:* ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ, usque ad consummationem seculi.

Ve

Ut verò intelligas, non tantum universitatem fidelium non errare in rebus ad salutem necessariis sive credenda illa sint, sive facienda (quod adversarii aliqua nobis ratione largiuntur) sed etiam Pastores Doctoresque plurium Ecclesiarum, in concilio, vel extra illud, cum summo capite & Romanæ Eccesiæ Pastore consentientes: sive omnes per suffragia, sive unus summus Pontif. x omnium sententiam pronunciet, tum ex iisdem supra dictis, cum aliis scripturis convincitur. Nam cùm hi, ut Doctores Ecclesiæ, & tanquam os ipsius sententiam dicant, atque ab eorum doctrina populus dependeat, error qui ipsorum esset, in totam redundaret Ecclesiam. Et quos alios es aditurus, si jubearis, in re controversa, adire & audire Ecclesiam?

Dei per Isaiam c. 59. v. 10. testimonium nos dubitare hac in re non patitur. *Cum venerit in Sion redemptor, hoc fedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui in sempiternum.* Igitur in Ecclesia Christi ab ore Pastorum Doctorumque Verbum Dei proficentium, illud in æternum non deficiet. Similis promissio licet in V. T. defuerit, tamen Deut. 17. præcipitur. *Venies ad Sacerdotes levitici generis, & ad judicem qui fuerit eo tempore quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quam elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius, sequerisque sententiam eorum* Et Ezechiel. 44. v. 23 *Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & si fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & iudicabunt* Ipsa hæc ratio docere poterat; Ut qui Ecclesiæ præfecti essent, de omnibus Ecclesiæ controversiis judicarent. Idem ex Apostolo Eph. 4. manifestum, ubique docet, post *Apostolos & Prophetas, Pastores & Doctores, ad ædificationem Corporis Christi in unitate fidei, & erroris circumventione cavenda, usque ad consummationem Sanctorum superfuturos.* Denique ex Christo ipsomet Apostolis eorumque successionibus promittente. Luc. 10 *qui vos audit, me audit, &c.* Unde tale formo argumentum, *Qui vos audit, me audit*, sed *qui me audit, viam & veritatem audit* Ergo qui vos audit, viam audit & veritatem.

Juvabit hujus argumenti orthodoxos quoque testes auscultasse. D Basilius in constit. Monast. c. 22 *Quod Apostolis dixit, qui vos audit, me audit &c. intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores Id ex multis iisdemque certissimis divinarum literarum testimoniis, manifestissimisque argumentis probari potest.* Et D. Cyprianus Epist. 69 ad Flo-

Florentium. *Nec hæc, inquit, jacto, sed dolens profero, cum te judicem Dei constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum qui misit me: & qui rejicit vos, me rejicit, & eum qui me misit. Aliquantò hæc etiam desertius Epist. 55. ad Cornelium tractat atque ex S. literis deducit. *Quomodo,* inquit *possunt censuram Domini ultoris evadere, qui talia ingerunt, non solum fratribus, sed & Sacerdotibus, quibus honor tantus Dei dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti eius, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur? In Deuteronomico c. 17. loquitur Dominus Deus, dicens;* & homo quicunque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem, aut judicem, morietur homo ille *&c. Item ad Samuelem, cum è Iudæis sperneretur Deus dicit,* non te spreverunt, sed me spreverunt, 1. Reg. 8. *Et Dominus quoque in Evangelio,* qui audit vos, me audit &c. *Cum hæc tanta & talia, & multa alia exempla præcedant; quibus sacerdotalis autoritas & potestas divina dignatione firmatur: quales putas esse eos, qui Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti* Dei, *non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa; nemo adversus sacerdotum collegium quicquam moveret: nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se, iam non Episcopi, sed Dei faceret: nemo discidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresim novam conderet.*

Ex iisdem S. literis paria docet egregius scriptor Vincentius Lirinensis in libello adversus hæresum novitates. *Beatorum,* inquit, *Patrum sanctum Catholicumque consensum, ne quis temere contemnendum forte arbitretur ait,* ad Corinth. 12. *Apostolus.* Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, quorum ipse unus erat, secundò Prophetas, *qualem in actibus Apostolorum legimus Agabum:* Tertiò Doctores, *qui Tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apostolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quod per eos Prophetarum mysteria populis aperiebantur. Hos ergo in Ecclesia Dei divinitus per tempora & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in*

Christo

Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum. A quorum veridica unitate nequis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus dicens: 1. *Cor* 1. Obsecro autem vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, non sinit in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. *Quod si quis ab eorum sententia communione disciverit, audiat illud ejusdem Apostoli*, non est Deus dissensionis, sed pacis. Vident igitur facilè quanta securitate sententiæ incedant, quotquot incedunt hac via. Qui scripturam S. hoc pacto non deserunt, sed cum Ecclesia multò certius assequuntur: juxta illius regulas & præscripta rationis tutissimi, humanis divinisque legibus muniti, ita ut inexcusabiles sint, quotquot suo sibi in scripturis dii judicandis ingenio ac spiritu, ab hoc tramite deflectunt.

Quæret fortassis aliquis, qua ratione universalem Ecclesiam, vel adire, vel adire possit homo vulgaris, qui in certa particulari Ecclesia versatur, ejus Pastorem audit, qui errate in Verbi divini propositione possit, parem utique in errorem inducturus plerosque tudiorum in auditoribus, qui ignorent, quid sit universalis Ecclesiæ, aut ejus Doctorum sensum consulere?

Respondeo. Ita à studioso veritatis auditore Pastores quisque Doctoresque privatæ Ecclesiæ audiuntur, ut si intelligat sententiam articulorum fidei talem proponi, qualis & à majoribus excepta est, & in aliis Ecclesiis ejusdem temporis, cùm Romana sentientibus, prædicatur, causam dubitandi justam habere non possit, quia particularis Ecclesiæ doctrinam, non ut illius solum, sed ut universalem admittit. At verò, ubi per talis Ecclesiæ Doctores intellexerit, Majorum fidei placita, tanquam erronea aliasque ac præsertim Rom. Ecclesiam velut aberrantem perstringi, cum quia particularis solum Ecclesiæ doctrina traditur, opposita universali, hanc nec debet, nec potest secura mente admittere. Ita dum Christo obsequimur, dum in controversis rebus nos jubet audire Ecclesiam, particularem quidẽ adimus, sed audimus sententiã universalis Ecclesiæ, hoc est talem, quæ & cum veteri Ecclesia, & cum aliis singularibus horũ temporum Ecclesiis convenit. Idem Vincentius Lirin. libello ante cit. circa finem paucis adstruit. *Diximus*, inquit, *hanc esse semper, & esse hodiéque Catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus his modis approbent. Primum divini canonis* (Scripturæ S.) *autoritate. Deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione Non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina*

pro suo plerique arbitratu impetrantes, varias opiniones erroresque concipiant, atque ideo necesse sit, ut ad unam Ecclesiastici sensus regulam scripturæ cælestis, intelligentia dirigatur in his duntaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus in ipsa rursus Ecclesia universitatis pariter, & antiquitatis consensionem spectari oportere, ne aut ab unitatis integritate in partes schismatis abrumpamur, aut è vetustatis religione in hæreseon novitatis præcipitemur. Hæc neglegi non possunt, quin quivis facilè observet fidelium. Ideòque toti mundo conspicui hoc in errore fuere Lutherus, ZWinglius, Menno, Calvinus aliique superiores seculi hæretici, qui & ab antiquitate, & à consensu universalis ac Romanæ præcipuè Ecclesiæ ab Apostolis Petro & Paulo in doctrina fundatæ, eorumque irrigatæ pro Christo sanguine avocabant. Apostolicæ enim horum duorū Principum Ecclesiæ primas in hoc consensu partes deberi, quis poterit inficiari? Sed hanc infra quæstionem excutiendam suscipiemus. Hoc tantum nunc monuimus, ut si inter plures Ecclesias, hinc atque inde oppositas, de fidei articulo dissensus oriretur, cum hac parte nobis standum esse intelligamus, quæ Apostolicam istorum Principum Ecclesiam habet suffraganrem, & unum Christi in terris vicarium Sacerdotem summum & Judicem, ut supra Cyprianus monuit, intuetur.

§. VIII. Certa nota hæreticorum errantium, ab Ecclesia ad solam scripturam, hoc est, suum de illa provocare judicium: uti Catholicorum in scripturis controversis Ecclesiæ judicio acquiescere.

SI aliud nullum esse deprehensæ hæreseos augumentum, quā quod in controversis fidei & morum articulis ab Ecclesiæ autoritate ad scripturam solam provocarent, hoc unum sufficeret; quia illud hæreticorum adeò proprium est, ut nulli unquā nisi hæretici universim fecisse comperti sint, contraque orthodoxorum semper fuerit, Ecclesiæ judicio malle, quàm proprio acquiescere. Unde Origines tract. 29. in Matth. *Dicet, qui seducere voluerit nos, & defendere contraria veritati.* Ecce hic Christus, *demonstrans v. g. hunc Evangelii locum. Alterius autem erroris autor dicet:* Ecce hic Christus, *offerens ad exemplum alterum textum, qui videtur defendere mendatii illius Verbum, quod proposuit vin-*

dicare. Et sic ex lege, & Prophetis & Apostolis profert unusquisque mendacium illud, ut veritatem, &c. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis, &c. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparenti usque ad occidentem. *Qualis est veritas Ecclesiæ Dei,* ab ea enim sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum. ps. 18. Et D. Basilius in lib. de Spiritu S. adversus hæreticos agens. *Sanè,* inquit, *contra id quod dicunt, propositionem carere testimonio, nec in scripturis extare; illud dicimus: si nihil aliud receptum est absque scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra scripturam recepta sunt nobis, cum aliis plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus adhærere.*

D. Augustinus de Gen. ad literam l. 7. c. 9. *Omnes,* inquit, *heretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt heretici, nisi quod eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* Et in Psal. X. Ecce peccatores tetenderunt arcum, *credo scripturas, quas illi carnaliter interpretando venenatas inde sententias emittunt, &c.* Et Tract. 18. in Joan. *Neque enim nata sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Itaque charissimi valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus, & corde pio, & cum tremore sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem, quâ imbuti sumus intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem secundùm sanam fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus.* Quæ ultima Sancti viri admonitio negligenda non est, ut si in re fidei controversa non constet nobis quomodo ex communi fidei regula, per Ecclesiæ consensum recepta, intelligenda res sit, sententiam differamus, donec ab Ecclesia consentiente lis decisa fuerit. Idem de baptismo contra Donatistas etiam disertius affirmat. lib. 7. cap. 53. *Nobis,* inquit, *tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem fit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*

Vide quanta securitate veritatis te in hac sententia frui affe-

ram, non te poteſt metus Pontificum, ne aberrent, nec Conciliorum inter ſe diſſidentium, aut corruptorum ſuſpicio, non multorum etiam graviſſimorum virorum in Eccleſia error in præcipitium abripere, ſi in dubia Pontificum Conciliorum & Patrum fide, ad Eccleſiæ tantùm conſenſum, & (ſi nec hic quidem ſatis exploratus ſit) ad receptam antiquitus fidei regulam te convertas, & quidquid in illa Majorum tuorum præſcribit Eccleſia, hoc immotus teneas, in ceteris controverſiis ſuſpendas ſententiam, dum communi atque indubitata conſenſione univerſalis Eccleſiæ definita res fuerit. Quare, ſi, ut quondam factum, vel Pontificum legitima electio, vel ſententia, vel etiam fides in dubium vocetur, ſi conciliorum anceps ratio, ſi Eccleſia ſciſſa vel ſine capite, & Pontifici Pontifex, Concilium concilio opponatur, ſi ambigas, ubi & inter quos vera ſit Eccleſia, ne errore pericliteris, ſtá in accepta à Majoribus fidei lege, & quotquot hanc ſolam infringere conantur, his temet, ſecutus veritatis, objice, & quantumvis ſpecioſam divinarum ſcripturarum, aut aliorum Doctorum prætenſionem neglige. Omne quod Majorum hanc legem convellit, jure ſuſpectum eſt. Præclarum Epiphanii hæreſi 55. monitum eſt: *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scripturæ S. & successiones doctrinæ.* Adverſus conjunctam hanc vim in fide Majorum *portæ Inferi nunquam prævalebunt.* Si de hac fide Majorum non ſatis liqueat, aut ſuſpende (id repeto) ſententiam; aut ſiquam libeat tueri, hanc communi Eccleſiæ judicio, quod de illa formari poterit, volens ſubmitte.

Dicam hic rem paradoxo ſimillimam Fieri poſſe, ut quiſpiam hujus regulæ obſervator, etiam errando ſine noxa aberret ac ſcelere. Exemplo res clara erit, ſenſerunt olim Patres quidam, mille annos Chriſtum in hoc mundo cum Sanctis in ſumma tranquillitate ligato Satana regnaturum eſſe; ſenſit Cyprianus cum quibuſdam, iterandum eſſe baptiſma hæreticorum: ſenſit Auguſtinus cum aliis, pueris etiam, ut ſalvi eſſe poſſent, Euchariſtiam dandam, ideoque lactentibus, ut fruerentur ſolum præbuêre calicem. Plurium errores non memoro illi omnes interpretatione ſcripturarum eò provecti ſunt, priuſquam de Eccleſiæ totius ſenſu conſenſuque fuiſſet exploratum. Tam apertæ pro illis S. literæ loqui videbantur, ut hæretici hujus ætatis nihil par iſtâ claritate ſententiæ queant producere. Nam Chiliaſtæ Joannem Apoc 20. v 2. 4. &c. diſertè audiebant monentem, quod *ligato Satana, Sancti Martyres in resurre-*

resurrectione prima, cum Christo, mille annis regnaturi sint, ac deinde Antichristus venturus. v. 6. & 7. Cyprianus illa ponderabat verba: *qui crediderit & baptizatus fuerit:* at fides ab hæreticis exulat, quomodo ergo credunt? Si non credant, invalidum baptisma est. Ergo iterandum. Augustinus illas sequebatur Christi voces: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam* Joh. 6. Ergo, inquit, sine hoc cibo infantes non vivent. Agite DD. Protestantes, vos ex sola scriptura docete, hos convinci de errore posse, per necessariam scripturæ his contradicentis sententiam; aut si id non potestis, herbam porrigite.

Certè ad veteris Ecclesiæ universalis consensum, vobis transeundum est, aut hærebit aqua, nihil, nec invicta quidem consequentia, stabilietis. Sed hoc fortasse extra lineam, quamvis non omninò extra. Illud præcipuè hic dico, in ejusmodi sententiis Veteres Ecclesiæ Doctores errasse, sed sine crimine; quia Ecclesiæ judicio hanc opinionem submiserunt, parati etiam oppositum admittere, si universalis Ecclesiæ consensione fuisset roboratum. Quod siqui aliorum olim Patrum non fecerunt (ut de Origene & Tertulliano anceps est) eos ab hæresi non absolvimus, quæ cum pertinacia adversus hanc fidei regulam errores suos tuetur.

His rectè observatis, larvæ illæ adversariorum, quibus Catholicos frustra hoc loco terrent, dum adversus Pontifices, Cōcilia, Patres integra effarciunt volumina, ad unicam hanc lucē legemq; omnes evanescunt. Nam ut omnes hos nonnunquam aberrare faciamus, fundatissimam tamen hanc causam nostram labefactare non possunt. Ubi antiquæ fidei regula explorata est, huic semper tutò insistitur, ubi novis opinionibus de fide concertatur, ad totius Ecclesiæ consensum, meam vel suspendo, vel refero sententiam, quod tanta securitate facio, ut etiamsi materialiter (sic loquar) errem, formaliter aberrare nequeam.

Hic Terminus esto immotus cunctis.

Non possum hic duorum non meminisse, quæ in ore adversariorum plerumque sunt, cum ad solam scripturam S. in controversiis provocant, alterum, ex Irenæo recitant lib. 3. cap. 1. *Apostolos Evangelium, primùm quidem præconiavisse, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradidisse, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Alterum est, quo illud verbum scriptum in rebus ad fidem salutemque necessariis clarum omnibus esse fidelibus dictitant, Davide teste, *lucerna*

pedibus meis verbum tuum psal.118.v.105. Sed umbram pro rebus sectantur,& ex obscura , ac metaphorica scriptura illius claritatem,præclaro scilicet argumento, tueri conantur. Demus Irenæum vera loqui. Non docet claris omnem Dei voluntatem verbis,non explicitè universa (ut ipsi fatentur adversarii) non articulis tradidisse rerum credendarum omnibus,quando de solo fidei fundamento & columna,non toto ædificio loquitur. Nihil itaque Irenæus loquitur,quod tot Patrum supra auditorum senatui adversetur: & si diceret,non esset unus contra plures audiendus. Mirùm verò est, quod à Lucernæ modico inter tenebras lumine pro claritate argumentum ducant,& à pedibus ad totum corpus,ab obscura scripturæ sententia ad illius perspicuam evidentiã argumentetur, adeòq; vel sic probando semetipsos confutent. David ipse,cum hæc diceret,ex tenebris ad lumen aspirabat: *Revela*,inquit,*oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et *oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.* v.123. Velatos igitur & deficientes in se oculos agnoscebat , neque lucernam ad illorum evidentiam sufficere. Quomodo hoc velum detrahendum, & subveniendum deficienti? *Declaratio sermonum tuorum* (quæ Doctorum Ecclesiæ est) *illuminat , & intellectum dat parvulis* (v.130.) Ecclesiæ se judicio submittentibus. Nostram itaque per Davidem firmant,non destruunt sententiam; neque,siquid evincerent,minus illud de verbi traditi, quàm scripti claritate obtinerent, quibus ad mutuam illustrationem junctis, facilè illud lumen indulgemus.

§. IX. Ipsimet Protestantes fatentur in controverso scripturæ sensu , Ecclesiæ de illo judicium, cuilibet privati hominis judicio præferendum esse.

Ipsi Protestantes,in hac controversia , quâ ad Scripturæ. S. sententiam, definitionemque ultimam provocatum est, *& hinc privatus quispiam,inde Ecclesiæ Doctores,extra synodum,vel in synodo collecti,statuunt suam opinionem esse S. Scripturæ conformem*, fatentur, Ecclesiæ judicium cujuslibet privati judicio anteferendum esse. Ago autem de provocatione ad scripturam ultima, sive ad fundamentalem illius regulam & sententiam, quæ per aliam regulari , firmarique ulterius, nova provocatione non possit. De hoc enim judicio , quod Verbo Dei tanquam legi,seu regulæ credendi,motivoque assentiendi,ultimò acquiescit,potissimùm disceptamus. Calvi-

Calvinus *lib.4. Instit.cap.9.§.13.* Sic habet. Libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disceptatio, nullum esse, nec melius, nec certius remedium, quàm si verorum Episcoporum synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur. Multò enim plus ponderis habebit ejusmodi definitio, in quam communiter Ecclesiarum pastores invocato Christi spiritu consenserint, quam si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines eam privatim conficerent.

Theologi Palatini *in admonit. Christiana de libro Concordiæ* cap.12. & Pa eus *in Irenico* c.5. Quid ergo, ajunt, erit faciendum, ut schisma tollatur, & vera ac solida concordia restituatur? Quid? nisi illud, quod fecerunt in tollendo schismate Antiocheno Apostoli, cum Antiochenis & aliis Ecclesiæ ministris ac Doctoribus: quod Episcopi Ecclesiarum in Samosateniсo: quod Constantinus in Ariano: quod Theodosius in Nestoriano: quod Martianus in Eutychiano: denique quod fieri optat in controversiis præsentibus Augustana Confessio? synodus legitima & libera doctorum & bonorum virorum convocanda erit, in qua placidè, accuratè, & in timore Dei collatis sententiis, & examinatis rationibus, quid verbum Dei de controversiis pronunciet, Ecclesiis communi consensu exponetur.

Idem probat in sua Epanorthosi Eilbrachtus *cap. ult. Annot.* 2. Orthodoxi, inquit (Reformatos intelligit) ultro agnoscunt potiorem esse publicam Ecclesiæ ejusque legitimorum, communi consensu, receptam sententiam, quàm hujus, vel illius Doctoris privatim conceptam. Verumtamen ex hoc nullatenus inferri debet, ullis hominibus quantumlibet multis, tribuendam esse authoritatem S. Scripturâ majorem, ut ab illis ad hanc appellare non liceat. Quamobrem orthodoxi rectè distingunt, inter definitionem, sive sententiam, sola judicantium authoritate nitentem, & inter sententiam authoritate S. Scripturæ fultam, atque hanc illa semper potiorem esse statuunt, sive à multis, sive à paucis recipiatur.

Subjicit deinde, Romanos authoritatem Papæ omnibus Conciliis, & Ecclesiæ præferre, & determinationem sensus in scriptura S. ab Ecclesiâ, vel potius Papa suspendere, ut quorum definitioni velut infallibili acquiescendum sit. *Quæ & falsa sunt, & superius ab ipso dicta evertunt.* Cum in nullo apud nos fidei articulo reperiantur. Ecclesiam nobis audiendam esse fatemur, sive Verbum Dei traditum, sive scriptum juxta consensum Patrum proponat. Verbo tamen Dei proposito, non ipsi

 (nisi

(nisi ut proponenti) assentimur; divina nos autoritas, non Ecclesia aut cum illa loquens Pontifex ad credendum impellit. Evertit idem Eilbrachtus cum symmystis suis quæ profitetur, si privato cuilibet indulgeat, ut *a synodo sibi adversanti ad scripturam S. appellare.* Nam sic privato simul indulgetur: ut quando inter hunc & synodum controversia est; *utra pars conformem magis eum scripturæ sententiam tueatur?* suam ipse, neglectâ synodo, præferre queat. Quo facto publicum Ecclesiæ de scripturæ sensu judicium, privati hominis judicio posthabetur, quod est thesin supra positam evertere. Neque enim quando eadem utriusque scripturæ sententia proponitur e. g. Ario & synodo hinc *Pater major me est* : & inde, *ego & Pater unum sumus*; Arius jure dicet: se à synodi ad magis definitam & claram scripturæ sententiam appellare; quia synodus ejusdem scripturæ sententiam amplectitur; sed manifestum erit, Arium judicium proprium judicio synodi, quod pars utraque de sensu scripturæ format, præferre. Quam arrogantiam cum Protestantes meritò nobiscum damnent, ejusmodi provocationem hominum privatorum adversus Ecclesiam absolutè damnare coguntur.

Lutherus deniq; suo hæc suffragio confirmabit. *De antiqua Ecclesia*, tom. 7. fol. 562. *Germ.* Ecclesia nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere, ne in minimis quidem; cum Deus sit os Ecclesiæ, & Deus mentiri non possit, sic etiam Ecclesia nequit. Et *in Epist. ad Marchion. Brandeb* tom. 2. *Germ.* fol. 243. Periculosum & horrendum est quicquam vel audire, vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei, & doctrinæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam inde usque ab initio per annos mille quingentos unanimiter servavit. Et *ad cap. 5. epist. ad Gal. edit prima.* Vero verius est, quod Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus & multi plures etiam sanctitate polluerunt, qui aliis, qui in cœnobiis degerunt, præferendi sunt. Enimvero Evangelium & fidem in Christum absque ulla hypocrisi purè & simpliciter tradiderunt, hæreticis restiterunt & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgarunt. Et *contra Zvvinglium & Oecolampadium.* Si diurius steterit mundus iterum erit necessarium propter diversas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, ut conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.

His igitur testimoniis & Lutherus seipsum conficit, quando aliàs ipse in controverso scripturarum sensu, à Patribus, Conciliis,

ciliis, Universaque Ecclesia, ad scripturam, eâ, quâ ante monui, ratione provocat, & non (quod falsò jactat) scripturam illis, sed suum de scriptura judicium, illorum judicio anteponit. Ut cum ipse e.g. contendit: Paulum, cùm dicit hominem *fide justificari*, de *sola fide* intelligendum esse, ideoque hanc vocem suis etiam bibliis inserere, toti Ecclesiæ procaciter insultando ausus est. Ubi manifestum est Lutherum non ipsa scripturæ clarissima verba (quæ hoc loco deerant) sed suum judicium, Ecclesiæ judicio opposuisse, adeoque suamet sententia damnatum esse. Cum nec ratio, nec scriptura, nec ipse Lutherus tantam perversitatem arrogantiamque in sentiendo probare queat, quâ unus suum anteferat judicium universis.

Porrò cum scripturam ipsam clarissimâ ubiq;, in rebus fidei salutisq; necessariis, sententiâ, tanquã ex oreDei prolatã, contrariũ ajunt decidere, neq; aliũ præter hanc requiri judicẽ, aut judiciũ, planè fallunt. Ut ex ipsorum testimoniis constare poterit, quibus de perspicuitate & obscuritate scripturæ cõcludunt.

Chamierus *Tom.* 1. *lib* 15. *cap.* 4. §. 16. ex Gregorio de Valentia sic statuit. Duobus ait, modis fieri, ut ad salutem necesse sit credere aliquam fidei veritatem. Uno, cùm absolutè & simpliciter necesse est, ut veritatem hanc aut illam fidei noris, & credas: altero, cum (quia omnis infidelitas est prohibita) non licet tibi sine jactura salutis credere aliquem errorem, ulli veritati fidei contrarium. Inde fieri, ut etiamsi aliquam fidei veritatem absolutè non necesse habeas nosse & credere; sub conditione tamen debeas illam, & credere, & nosse: scilicet, si contingat tibi ejusmodi veritatem proponi, cum opposito errore. Porrò priori modo paucarum admodum veritatum fidem & cognitionem omnibus fidelibus ad salutem esse necessariam: posteriori autem modo omnes omninò. Jam illas veritates priori modo necessarias perspicuè ferè in scripturis ipsis doceri comprehendiq; in Apostolorum symbolo; aliàs autẽ prope infinitas secundo modo credendas majori ex parte contineri in scripturis obscurè, *ideoq; (quod subsumo) ex clara illius sententia non cognosci.*

Eilbrachtus hæc concludat *in via Comp.* cap. ult. §. *Videmus*, Catholici haud gravatè, inquit, fatentur, illas veritates, quæ simpliciter omnibus & singulis fidelibus ad salutem scitu creditu que sunt necessariæ, satis perspicuè in S. literis exprimi. Hac autem referunt articulos fidei principales, cujusmodi sunt. *Esse Deum, eumq; colendum esse, & fore remuneratorem colentibus ipsum. Christum esse filium Dei, Deum & hominem mor-*

 tuum

tuum pro peccatis nostris ; resuscitatum propter justitiam nostram ; regnare nunc ad dextram Patris, venturum ad judicandum vivos & mortuos. Iustis æternæ vitæ præmia, injustis æternæ mortis supplicia irrogaturum, & alia id genus, tam clarè in S. literis tradita, ut à nemine eas recipiente in dubium vocari possint. Proinde de his rectè dici posse concedunt: *non esse obscura, nec dubia, nec judice opus esse, qui de iis sententiam ferat.* Imò si quis de iis judicem requirat, hunc jure cœcis comparari, quibus judice opus est, an sol meridie luceat. At de aliis veritatibus quæ tantum sub conditione (si scilicet sufficienter una cum oppositis erroribus explicatæ fuerint) ad salutem scitu creditu que sunt necessariæ, longè aliter statuunt. Nempe, eas non ita clarè in scriptura exprimi, quin ab illis, qui eam recipiunt, diversimodè intelligi, aut in dubium vocari queant. Necessarium proinde in his esse Judicem, qui auditis & examinatis diffidentium rationibus, clarè sententiā ferat; quinam S. scripturæ genuinū sensū perceperint, suaque dogmata ex principiis fidei indubitatis legitimè deduxerint. *Hæc ille.* Quibus utrimque admissis, non est quod amplius de orthodoxæ Ecclesiæ judicio, reliquis privatis anteferendo dubitemus. Ceterum, quænam hæc Ecclesia sit, infra suo loco patebit.

ARTICULUS VI. De Deo trino & uno.

Hæc sancta scriptura *a* nos docet, in illa singulari & simplici essentia divina subsistere tres personas, Patrem filium & Spiritum S. Patrem videlicet primam ordine causam & originem rerum omnium: *b* Filium autem ejus Sapientiam & Verbum æternum: Spiritum S. ejusdem virtutem, potentiam, & efficaciam: Filium ab æterno ex Patre genitum: Spiritum S. ab æterno ex Patre & Filio procedentem: quæ tres personæ non sint confusæ, sed distinctæ, nec tamen separatæ; sed coessentiales, coæternæ & coæquales. Denique in hoc mysterio approbamus, quod vetera illa quatuor concilia determinarunt, & omnes sectas à vetustis illis sanctis Doctoribus, veluti Athanasio, Hilario, Cyrillo, Ambrosio & ceteris, ex verbo Dei damnatas, detestamur.

OBSERVATIO.

In substantia rerum credendarū hic articulus cum Romano-Catholicis convenit. Fallit tamen in illo, quod hæc à S. Scriptura, ita ut ponit, doceri asserat. Nam quæ obsecro Scriptura docet: *Spiritum S. à Patre, & filio procedere*, quæ tradit hos esse *coessentiales & coæquales*? quæ cum *simplici* naturarū *essentia distinctionem*

a *Deut. 4. v. 12. Matt. 28. v. 19. 1. Io. 5. v. 7.*
b *Io. 1. Ro. 1. v. 3. 4. c Gen. 1. Io. 1. v. 2. Col. 1. v. 16. Heb. 1. v. 2.*

ctionem personarum realem conjungit? Certè scriptura antè citata, id satis non præstat. Ideoq; necesse habuit Confessio ad veteris Ecclesiæ Concilia Sanctosq; Patres se convertere, ac Verbum Dei traditum Ecclesiæq; autoritatē nobiscum venerari. Quod si ex animo fecerit, convenimus. *Vide quæ in art.* 30. *& fine huius operis de conciliis dicemus.*

ARTICULUS VII.

Credimus Deum, cooperantibus tribus personis, sua virtute, sapientia, & bonitate incomprehensibili condidisse universa, id est, non tantùm cælum & terram omniaque eis contenta; sed etiam invisibiles spiritus, *d* quorum alii in exitium præcipites ceciderunt: *e* alii in obedientia persliterunt. Itaque illos quidem dicimus, *f* ut sunt suapte malitia depravati, esse omnis boni, ac proinde totius Ecclesiæ perpetuos hostes: hos vero mera Dei gratia conservatos, *g* ministros esse illius gloriæ, & electorum salutis.

d 2. *Pet.* v. 24. *Iud.* 6. e *Psal.* 103. v. 20. 21 f *Ioh.* 8. v. 44. g *Heb.* 1. v 7. & 17.

ARTICULUS. VIII.

CRedimus *h* Deum omnia non tantum creasse; sed etiam regere, & gubernare, ut qui pro sua voluntate *i* disponat, & ordinet, quidquid in mundo evenit. *l* Negamus tamen illum esse autorem mali, aut eorum, quæ perperam fiunt, ullam culpam in ipsum transferri posse. *m* Cum ipsius voluntas sit summa & certissima omnis justitiæ norma, *n* Habet autem ipse admirabiles potiùs, quàm explicabiles rationes, ex quibus sic utitur diabolus omnibus & peccantibus hominibus, tanquam instrumentis, ut *quidquid illi malè agunt*, id ipse, *sicut justè ordinavit*, sic etiam in bonum convertat. *o* Itaque dum confitemur, nihil prorsus non interveniente ipsius providentia & ordinatione fieri, humiliter adoramus arcana nobis occulta, neq; in ea quæ captum nostrum superant, inquirimus. Imo verò usui nostro applicamus, quod scriptura quietis & tranquillitatis nostræ causa docet. *p* Deum videlicet, cui res omnes subjectæ sunt, paterna solicitudine pro nobis excubare, adeò, ut ne pilus quidem capitis nostri defluat, absque eius voluntate. *q* Satanam autem & omnes nostros adversarios, sic tenere constrictos, ut nisi potestate ipsis facta, ne tantillum quidem nobis incommodare possint.

E 5 §. I.

h *Psal.* 104. i *Prov* 16. v. 4. *Matt.* 10. v. 29. *Act.* 17. v. 24. *Rom* 9. v. 11. l. *Osee* 13. v. 9. *Et* 1. *Ioh.* 2. v. 16 & 3. v. 8. m. *Psal.* 5. v. 5. & 11. *Ioh.* v. 22. n. *Act.* 2. v. 23. 24. 27. o. *Rom.* 9. v. 19. 20. & c. 11. v. 33. p *Matth.* 10. v. 30. *Luc.* 21. v. 18. q *Gen.* 3. v. 15. *Ioh.* 1. v. 6: & c.

§. I. Reformatio de autore peccati & obdurationis.

DEum non ordinare ut fiat, nec velle peccatum credimus Davidi. *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sed *odisti omnes qui operantur mendacium.* r *Odio enim Deo sunt impius & impietas eius* s Propter quam ab æterno priusquam natus esset, aut aliquid mali egisset, Esau odio habuit. Unde apud Jeremiam queritur, *ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni, in holocaustum Baalim: quæ non præcepit, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* t Quare licet *Deus cuius vult misereretur, & quem vult,* (subtracta gratia, in pœnam peccati) *indurat,* u, atque ira *quosdam in reprobum sensum tradat,* x *Christi mortem,* Josephi *captivitatem, &c. decreverit.* y *nemini* tamen *mandavit Deus impiè agere.* z *Nemo* igitur & malum *dum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est.* a Vertit tamen Deus omne malum ad finem bonum, *quia universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum* b *supplicii ob scelera infligendi: non* tamen sic ut *velit mortem impii;* spiritalem, *sed magis, ut convertatur à via sua.* Ezech. 33. v. 11.

r *Psal.* 5. *v* 5. s *Sap.* 14. 14. *v.* 9. t *Ier.* 19. *v.* 5. u *Rom.* 9. *v* 18. x *Rom.* 1. *v.* 18. y *Act.* 4. *v* 27. *& Gen.* 5. *v.* 19. z *Eccli.* 15. *v.* 21. a *Iac.* 1. *v.* 13. b *Prov.* 16. *v.* 4.

§. II. OBSERVATIO.

SAtis ambiguũ est, num Genevenses cum suo Calvino sentiant, qui libro 1 Instit. c. 18. §. 4. & l 3 c. 23. §. 7. 8. & 9. docet, non permittente solum, sed volente Deo peccare & perire impios: an nobiscum, qui quidem statuimus ordinare Deum, ut malè acta in bonum convertantur; non tamen, ut quisquã malè agat, hac enim definitione postremâ, & indifferentiam humani arbitrii ad malum bonumq; & divinæ voluntatis æquitatem (quæ utraq; in S. literis testatissima nobis est) nemo satis tuebitur: homini necessitatem, Deo impietatẽ affinget, cùm, quod Deus non fallente eventu ordinat, ille non possit non exequi: hic ut primus autor, ita causet, ut ipsius ordinatione positâ, necessariò sequatur, non positâ, nullum sit. ideoque nunquam in alio justè puniturus sit nefas, quod suâ, & inevitabili quidẽ ordinatione patratum est. Nec excusandus intentione suâ, quâ ipse ad bonum ordinando exequendoq; malum hominis actum refert, cum nec homo quidem malum operans, intendat aliud, quàm bonum, illo titulo à malitia perpetrati sceleris nunquam excipiendus. Sic ergò tales constringo. Qui bono intento ordinat

nat executioni actum legi divinæ adversantem, peccat; sed Deus ita (ut malè statuunt) ordinat executioni talem actum. Igitur peccat. Si dicant, ordinare actum, non ejus difformitatem cum lege. Contra est, quia ordinat quidquid habet realem entitatem; sed illam habet difformitas, quæ est relatio actus cum lege disconvenientis res utique non figmentum. Ergò ipsam quoque ordinat difformitatem, & est *volens iniquitatem*. Denique si odium Dei, intrinsecè malum, velit, vult sanè iniquitatem. Ut ut demum sentiant, aut nostram debent Reformationem admittere; aut clarissimæ scripturæ obnuntiari. Indurat Deus quandoque hominem malè sua gratia usum, eam subtrahendo; vult Deus malum sæpe, ut physicum & à morali pravitate distinctum, ipsam verò difformitatem cum lege in eodem execratur. Ita Amos. 3. v. 6. queritur, *non esse malum in civitate, quod non fecit Dominus*: & Sapiens rectè dicit c. 14. quod *odio sit Deo impietas*. At odio non potest esse, quod ipse ordinat & faciat, qui *nihil eorum odit, quæ fecit*. Sap. 11. v. 25. Manebit igitur carmen Davidicum *Dilexisti* (ô Deus) *iustitiam, & odisti iniquitatem* Hanc tamen veritatem tuerinon possunt, quotquot indifferentiam arbitrii ad bonum malumve tollunt ab homine. Vis enim fontem & principium mali? Audi Deum apud Jerem. cap. 8. *Quare*, inquit, *aversus est populus ille, in Ierusalem, aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti*, ut Deus præceperat. An potuit ordinare ne reverterentur, hoc est, nolle qui voluit? & non potius illi nolle, in quo erat malitia: & Deus velle, in quo erat bonitas? Iterum per Zachariam c. 7. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, iudicium verum judicate, &c. noluerunt attendere*, &c. fons igitur mali humanum arbitrium liberè malum bono, per Deum volito præceptoque, anteferens. Homo est peccati solus autor, non Deus, esset verò, si, ut confessio loquitur, ordinaret: non est, cum generali solum concursu, & libertati electionique humanæ accommodo, tanquam autor naturæ cooperatur. Quòd particularis homo causa fit, quæ hunc influxum virtutemque Dei operativam, à quâ dependet, liberè, ex propositione objecti moventis, determinet. Quemadmodum (ut crasso exemplo utar) qui ex fune suspensus est, ad nutum trahentis per aërem sequitur; si tamen ad propositum murum volens impegerit, etiam propio motu agetur: & ut illius trahens, ita hujus ipse causa motus censebitur, licet illo cooperante feratur. Postremò sic causam evinco. Tam *Deus vult*,

quod

quod fieri præcipit, quàm quod ordinat, sed Deus præcipit Adæ *ne edat*; ordinat, *ut edat*. vult igitur contradictoria. Iterum quod Deus ordinat, necessariò fit; quod non ordinat, fieri nequit. *Pomi* igitur *esus* fuit Adæ necessarius, *non esus* impossib. adeoq; Adam non peccavit. Quæ cũ & Deo & homini convenite nequeant, nefas erit asserere (Deum justè peccata, ut fiat, ordinare.

§. III. Patres orthodoxæ Ecclesiæ ex S. scriptura reformant.

NUsquam, inquit, D. Augustinus tom. 3 de spir. & lit. c. 31. *legimus in S. scripturis. Non est voluntas nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia non verum est. Alioquin etiam peccatorum quod absit, autor est Deus, si non voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus. id est, si non habeat potestatem. Porrò cum voluntas mala potestatẽ accipit implere quod intenditur, ex iudicio Dei venit*, apud quem non est iniquitas. Rom. 9. *punit enim etiam isto modo.* Et tom. 7. contra Articulos art. X. *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem, cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est.* Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas *psal. 24. Adulteria enim & matronarum corruptelas non instruere novit sancta divinitas, sed damnare: non disponere, sed punire.*

Idem 18. quæstione super Exod. *Vt tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius impietatẽ, vitij proprii fuit: quod verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei (hoc enim est quod dicitur* induratum *quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit divinæ, quæ tali cordi non solum iusta, sed evidẽter iusta pœna parabatur, quia timentes Deum corrigerentur.* En patientia, seu permissio Dei, & mali autor resistens divinæ voluntati Pharao, & mali ordinatio, ut per pœnam Pharaonis timentes Deum corrigerentur. Eadem serm. 88. de tempore ex variis scripturæ locis illoque inprimis Rom. 2. prosequitur: *An ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesurizas tibi iram in die iræ?* Ubi duritia Dei non est, nisi tolerantis; sed hominis Deo resistentis.

Ita Tract. 53. In Joh. ad cap. 12. v. 39. *Non poterant credere, quia dixit Isaias:* Excœcavit oculos eorum. *Quare*, inquit, *non poterant, si à me quæratur, citò respondeo; quia nolebant. Malam quippe voluntatem eorum prævidit Deus, & per Prophetam pranuntiavit*

tiavit ille, cui futura absc ondi non possunt. Sed aliam causam, inquis dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia Deus dedit illis oculos, ut non videant, & aures, ut nõ audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum Is. 6. *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic indurat Deus, deserendo, non adiuvando.* En totam causam in voluntatem hominis, non Dei ordinationẽ ab Augustino translatam. Unde & D. Greg. l. 31. Mor. c. 11. *Pharaonis cor Dominus obdurasse legitur non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus eius meritis nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.* Sed altius hanc sententiam à priscis licebit Patrib⁹ repetere

Tertullianus contra Marcionem lib. 2. c. 1. *Ecce, inquiunt,* (hæretici) *ipse se conditorem mali profitetur Esa. 45.* ego sum qui condo mala. *Amplexi enim vocabu'i communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur & delicta, & supplicia: passim volunt, eum conditorem intelligi malorum, ut & malis ia iniustè autor renuntiatur. Nos autem, adhibita distinctione, utriusque forma, separatis malis delicti, & malis supplicii, suum cuique parti definimus autorem, malorum quidem peccati & culpæ Diabolum, malorum verò supplicii & pœnæ Deum.* Intelligunt igitur Calvinistæ suum Patriarcham hac in sententia priscas in orbem hæreses revocasse.

Chrysostomus in verba Geneseos 2. *De arbore scientiæ boni & mali, ne comedas. Nam manifestum est, Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum præstruere. Potuit Adam & Deo parere, quod noluit: & consentire Diabolo, quod maluit.*

Philastrius contra Coluth. hær. 31. *Tentationes persecutionis, diversæque angustiæ, Deo permittente, insurgunt peccantibus. Non enim fecisse malam Deum naturam dicit scriptura alicubi.* Ecce enim omnia erant valde bona Gen. 1. *& alibi propheta,* quoniam Deus malum non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.

Hieronymus ad Ephesios 2. *Vniversa operatur secundum consilium voluntatis suæ: Non quo omnia quæ in mundo fiunt Dei consilio & voluntate peragantur, (alioquin & mala Deo poterunt imputari) sed quo universa, quæ facit, consilio faciat & voluntate.*

Concludo cum D. Ambr. de Paradiso c. 8. *Non necessitatem Deus, vel illi Adæ pravaricationis, vel huic Iudæ proditionis imposuit: quia uterque quod acceperat custodisset, à peccato abstinere potuisset.* Contradicunt huic malè adversarii, qui ordinatione Dei omnia evenire sentiunt. Nam sic Adæ quoque, necessitatem edendi fatentur impositam, quamvis, ut ajunt liberè, non

coactè

coactè ederit. Admittunt igitur Adamum priusquam peccasset, jam libertate illa arbitrii quæ à necessitate est, fuisse destitutum; adeoque necessariò edisse pomum ac peccasse. Excusabilis itaque & ipse & posteri; quia quod à Deo ordinatum erat, & vitare, impossibile hoc perpetravit, nec quicquam egit justa & rationabili pœna dignum. D. Augustini voces sunt, lib. 14. de vera relig. *Si necessitate* (Adam) *fecisset, nullo peccati crimine teneretur*, cui Heidelbergensis Catechismus q. 9. ut mox videbitur, satis favet. Tam heterodoxa igitur adversarii malint rejicere, quam à nobis pertinaciter dissentire.

ARTICULUS IX.

CRedimus *a* hominem creatum purum & integrum, & imagini Dei conformem sua ipsius culpa excidisse à gratia, quâ acceperat: ac proinde *b* seipsum à Deo omnis justitiæ, & bonorum omnium fonte abalienasse, adeò ut ipsius natura sit prorsus corrupta, & spiritu excœcatus, & corde depravatus, omnem illam integritatem, sine ulla prorsus exceptione amiserit: *c* Etsi enim nonnullam habet boni & mali discretionem. *d* affirmamus tamē quidquid habet lucis, mox fieri tenebras, cum *de quærendo Deo* agitur, adeò ut sua intelligentia & ratione nullo modo possit ad eum accedere. *e* Item, quamvis voluntate sit prædìtus, qua ad hoc vel illud movetur, tamen cùm ea sit penitus sub peccato captiva, *nullam prorsus habet ad bonum appetendum libertatem, nisi quam ex gratia & Dei dono acceperit.*

a *Gen.* 1. *v.* 26. *Eccl.* 7. *v.* 30. b *Gen.* 6. *v* 5. & 8. *v.* 21. *Rom.* 5. *v.* 12. *Eph.* 2. *v.* 2. & 3. c *Rom.* 1. *v* 21. & 2. *v.* 18. & 19. d 1. *Cor.* 2. *v.* 14. e *Ioh.* 1. *v.* 4. & *cap.* 8. *v.* 36. *Rom.* 8. *v.* 7. & 8.

Catechismi Heidelbergensis, quæstiones.

QUæst. 8. *An adeò corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives?* ℟. Certè *f* nisi per Spiritum S. regeneremur *g*

Quæst. 9. *An non igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in lege sua flagitat, quæ præstare non queat?* ℟. Minimè *h*, nam Deus hominem talem condiderat, ut ea præstare posset. *i* Verum homo impulsore diabolo, sua ipsius contumacia se & omnem posteritatem divinis illis donis orbavit. *l*

§ I. Refor-

f *Rom.* 7. *v.* 18. & 2. *Cor.* 3. *v.* 5. *Gen.* 8. *v.* 21. *Iob* 15. *v.* 16. g *Ioh.* 3. *v.* 5. h *Rom.* 1. *v.* 23. *Eccl.* 7. *v.* 30. i 2. *Cor.* 11. *v.* 3. l *Rom.* 5. *v.* 19. *Gen.* 3. *v.* 7.

§.I. Reformatio de libertate hominis & gratia.

CRedimus quidem, quod post lapsum *animalis homo, non percipiat ea quæ spiritus sunt*, m *& sapientia carnis inimica sit Deo*, n *ut nemo possit dicere Dominus Jesus nisi in spiritu S.* o *sed Deus sit, qui operetur in nobis, & velle, & perficere, pro bona sua voluntate.* p Ita tamen ut à nobis simul jure exigat. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini* q *& operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* r *Vnusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim cooperatores (συνεργός) estis.* s *Convertimini itaque ad me, & ego convertar ad vos*, t *& hodie, si vocem ejus audiveritis, nolite obdurare corda vestra.* u *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* x *Aperi mihi soror mea sponsa*, y *quia non habes necessitatem, sed potestatem voluntatis tuæ.* z Ah *quoties volui te congregare sicut gallina congregat pullos sub alas suas, & noluisti!* a *Væ vobis, qui semper spiritui S. resistitis.* b *Proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea, quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui adspiceret, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo.* c Unde licet Deus sit qui prior excitet, pulset, vocet, operetur in nobis quod hoc *non sit volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* d Audire tamen, aperire, respondere, cooperari nostrum est, ut cum Paulo aliquando dicere liceat, *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* e Videte part. 2. Conc. tr. 1. art. 18.

m 1. *Cor.* 2. *v.* 14. n *Rom.* 8. *v.* 7. o 1. *Cor.* 12. *v.* 3. p *Phil.* 2. *c. v.* 13 q *Ib. v.* 12. r *Ioh.* 6. s 1. *Cor.* 3. *v.* 8. t *Zach.* 1. u *Ps.* 94. *v.* 8. x *Apoc.* 3. 20 y *Cant.* 5. *v.* 2. z 1. *Cor.* 7. *v.* 37 a *Matt.* 23. *v.* 37. b *Act* 7. *v.* 51. c *Prov* 1. *v.* 23, d *Ro.* 5. *v.* 11. e 1. *Cor.* 15. *v.* 10.

§. II. OBSERVATIO.

SI obvio, usitatoque priscis Patribus sensu, has scripturas admittant, nihil in hoc articulo diffidemus. Multi jam proprius, deserto Calvino ac Luthero servilis arbitrii patronis ad veritatem redeunt, nec libertatem in civilibus & moralibus homini prolapso auferunt: quibus etiam à ferali illa ordinatione liberorum actuum, per quam causæ determinantur ad unum, & libertas quoad speciem exercitiumque actus eripitur, recedendum est, ne umbram potius, quàm rem libertatis reliquisse videantur.

De supernaturalibus atque ad salutem spectantibns actionibus gravior nobis est disceptatio, videturque Confessio hanc (obscurè licet) inferre, quando ait. *ad quærendum Deum bonumque homini nullam, nisi ex gratia & dono Dei libertatem relinqui.* Si enim hic sensus sit, solius esse gratiæ, voluntatem ad bonum supernaturale appetendum moveri, ut voluntas virtute sibi innata gratiæ non cooperetur; sed trahatur solùm necessariò obsequens, nunquam potens reluctari, nec facto ipso sæpius reluctans, damnabili opinione à nobis & S. literis divellitur: Si verò admittit, oblatam homini gratiam posse respui, ac posse eidem ita resisti, ut vel oppositum eligat voluntas, vel saltem omittat actum, ad quem gratia inclinat, cum scriptura & SS. Patribus commodissimè loquetur, vitabitque longissimè errorem, in quem Calvinus olim, nunc etiam Jansenistæ præcipites abeunt. Siquis tamen, cum moderatioribus Thomistis mediâ incedat viâ, hunc non damnabimus. Libertatem illam umbratilem, quæ intrinsecam necessitatem potentiæ actusq; admittit, coactionem solam proscribit extrinsecam, seu violentiam, quæ voluntarium destruat, jure detestamur, tanquam vitæ aut miserè desperatæ, aut stolidè præfidentis fontem. Hoc ut melius assequaris, expono illam, quæ communior adversariorum est, sententiam. Asserunt voluntatem nostram ex lapsu Adæ, post amissam primam justitiam adeò debilitatam, ut ex se velle nihil possit boni ad salutem nostram spectantis; sed oppositum tantùm huic bono malum, donec gratia divina per illam operetur. Et hoc quidem in sensu facile convenimus. Sed cum tradunt, gratiam hanc ita voluntatem inflectere, ut licet hæc spontaneo voluntarioque in bonum motu feratur, adeò tamen necessario ferri, ut reijcere hanc gratiam voluntas, eique resistere, vel eligendo in specie oppositum, seu bonum, seu malùm, vel omittendo in exercitio actum, non possit: libera tamen maneat, quòd nemo per violentiam cogat, imò cogere omnino nequeat agentem; cùm quidquid rationalis voluerit, omnino voluntarium sit. A brutis hac re differre, quod, cum consilio & deliberatione antè inter objecta disceptat, quam in unum præ alio feratur. Quare juxta illos libertas est *facultas agendi ex consilio sine coactione*, quæ radicaliter sit in intellectu, formaliter in voluntate resideat: juxta nos verò, est *facultas cum consilio agendi, vel non agendi, unumque præ alio, ex multis quæ ad certum finem conducunt, eligendi.* Cum qua ratione nulla neque necessitas intrinseca, neque coactio extrinseca

trinsecâ potest consistere. Et hanc facultatem, si in homine fideli, ex scriptura, ratione & orthodoxæ Ecclesiæ sententia repetiti ostendimus, causa hæc manifestè nostra est, retinentuique veritati Protestantes accedere. Habet libertas illorum hoc prorsus absurdum, quod voluntatem à gratia sic impelli sentiant, ut necessariò ejus impulsum sequatur. Quod igitur, vel agat, vel non agat, atque hoc potius, quam illud homo præstet, non homini, sed Deo adscribendum est. Irrita igitur omnis Dei, per se suosque Pastores admonitio, increpatioque est, quando nolle ac velle divinæ prorsus, non humanæ est potestatis. quomodo enim monere potest, ut nos *salutem operemur, convertamur, aperiamus pulsanti*; si ipse *solus* operatur in nobis, convertit, aperit? quomodo increpat his verbis, *volui & noluisti? extendi manum, & renuisti, dedi spiritum & restitisti*, cum illo per datam gratiam seriò volente, manum extendente, spiritum dante, nemo nolle, renuere, resistere potuerit? aut si fecerit, certum sit illum noluisse, adeoque (quod horrendum est) fallere, & mentiri? quomodo dicimur *laborare cum gratia, cooperatores Dei* esse, *necessitatem non habere, sed potestatem* Deum sequendi, nisi liberè voluntas præstat, quod potuit omittere? aut non præstat, quod exequi potuisset? Verùm audiamus, orthodoxam Majorum nostrorum Ecclesiam vos sanctè veréque ex verbo Dei reformantem, cui opinor, non lubebit refragari.

§. III. Patres orthodoxæ Ecclesiæ ex scriptura reformant.

CLemens Romanus Apost. Const. l. 6. c. 20. *Hæc est lex bona & sancta, non coacta*: si feceris, *inquit*, mihi aram ex terra facies. *non dixit fac, sed* si feceris, *non imposuit necessitatem, sed potestatem, utpote libera, permisit.*

Irenæus *lib. 4. c. 71.* Quoties, *ait*, volui congregare filios tuos & noluisti? Matth. 23. *Veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo.* Et cap. 72. *Prophetæ hortabantur homines justitiam agere, bonum quoque operari, quia in nobis sit hoc &c. Nec tantum in operibus, sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini servavit Dominus: dicens:* secundum fidē tuam fiat tibi. *Matth* 8. Vade & sicut credidisti, fiat tibi. *propriam fidem hominis ostendens, quia suam habet sententiam.* Origenes Philocaliæ

cap. 21. *Videamus, quomodo Paulus velut potestatem arbitrii habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis ipsis, vel salutis, vel perditionis habentibus causam, ait. Rom. 2.* An divitias bonitatis, ac patientiæ, ac longanimitatis contemnis, ignorans, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram, in die judicii, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuiq; secundum opus ejus &c. *Infinita quidem alia in sanctis scripturis reperies arbitrii libertatem constituentia.* Et hom. 2. de diversis, in Joh. 1. Recipientibus dedit potestatem filios Dei fieri, *non recipientibus dat adhuc spatium recipiendi. A nullo enim aufertur possibilitas credendi Dei filium, & possibilitas essendi Dei filium. Hoc enim in arbitrio hominis, & cooperatione gratiæ constitutum est.*

Cyprianus lib. 1. Epist. 55 *conversus ad Apostolos (postquam eum discipuli reliquissent) dixit:* nunquid & vos vultis ire? *servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimet ipsi, vel mortem appetit, vel salutem.*

Basilius magnus in Isaiæ *cap.* 1. Si volueritis & audieritis me. *Hoc maximè loco velut ob oculos exhibet, libertatem arbitrii humanæ naturæ indultam.* Si autem nolueritis. *Ex eo, quòd noluerunt, consecutum, quia nec audierunt. Ad eundem modum beatitudo omnis, & quæ in supplicio, quæve inter tot molestias traducitur vita, utrumque à nostra pendet facultate.*

Chrysostomus *in locum Isaiæ*, si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis. *Si velle, & nolle vestrum non esset. Hoc est, si vivendi rectè, an secus libertas adempta nobis fuisset, nec bonus unquam cœleste munus digne perciperet, nec malus supplicium competens inveniret.*

Hieronymus ad *caput* 5. *Galat. In hæc verba* v. 7. currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati? persuasio hæc non est ex eo, qui vocat nos. *Aliud* inquit, *est Dei opus, aliud hominum. Dei opus est vocare, hominum est credere, vel non credere. Et sicuti alibi de scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, ut ibi,* si volueritis, & audieritis me Is. 1. *Et iterum: Israel,* quid à te Dominus Deus tuus? Exod. 19. *& ex hoc vel maximè comprobatur. Verum simpliciores quique putantes, se deferre Deo, ut persuasio quoque in illius sit voluntate, abstulerunt vocem orationis* NON, *& sensum contrarium Apostolo reddiderunt. Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec Diabolus in causa est; quia persuasio non est ex eo, qui vocavit nos, sed ex nobis: quia vel consentimus, vel non consentimus.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Ex nostro arbitrio peccamus, ne quem audias differentem malè. Scis hoc dicere* (Paulum Rom.7.) quod nolo hoc facio, *sed memineris etiam dicentis,* si volueritis, & audieritis bona terræ comedetis *Is.*1. & sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificationem *Rom.*8.&c. *Liberum arbitrium habet anima: & potest quidem Diabolus incitare, cogere autem, prater voluntatem, omnino nil potest. Subiicit tibi scortationis cogitationes, si vis probas, si nolis improbas. Si enim ex necessitate scortareris, cujus gratia Deus gehennam præparasset?*

S. Augustinus de gratia & liber. arbitr. c. 2. *Revelavit Deus nobis per scripturas S. esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Primùm, quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberũ voluntatis arbitriũ, quo ea faciens ad præmia perveniret, &c. Mandata sua custodiri, & fieri Deus jubet, quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille de quo Psalm.*1. *dicit*: quod in lege Domini fuit voluntas ejus, *nonne satis judicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde, tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem, sicut est*: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, *Rom.*12. Nolite repellere consilia matris tuæ: *Prov.* 1. Noluit intelligere, ut bene ageret. & noluerunt accipere disciplinã &c. Qui vult venire post me, abneget semetipsum. *Matt.*16. Et *Paulus* 1. *Cor.*7. quod vult faciat, non peccat si nubat, qui autem statuit in corde suo nõ habens necessitatẽ servare virginitatem suam bene facit. *Item dicit.* 1. *Cor.* 9. si autem volens hoc facio, mercedem habeo. *Et Timotheo* 1. *Tim.* 4. noli negligere gratiam, quæ in te est. *& ad Philemonem*: ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate &c. *Nempe ubi dicitur*: noli hoc, & noli istud, *& ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus volũtatis exigitur, satis liberũ demonstratur arbitrium. Nemo igitur Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisq; cùm peccat. Neq; cùm aliquid secundũ Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendũ est opus bonũ, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictũ est,* qui reddet unicuiq; secundum opera sua *Matt.*16. *Rom.*8.

Et lib. 3. Hypognosticon c. 9. & 10. *Ait Paulus Apostolus. Rom.*8. spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis, *id est, postulare nos facit*, gemitibus inenarrabilibus &c.

Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negaverit, catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad ejus sanctum propositum pertinet, nec incipere, nec perficere possit, Catholicus est. Quibus enim dicitur in psalmis, nisi liberum arbitrium habentibus: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos? *Psal.33. Item à Domino in Evangelio Matth.7.* omnis qui audit verba mea hæc, & faciet ea. *& iterum Iohan.15.* vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego mando vobis. *Et ab Apostolo Corinthiis 2.Cor.8.* Hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc verò & facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi? *Quomodo autem* unicuique secundum opera sua redderetur in die judicii, *nisi liberum esset arbitrium? Et ideo,* non est personarum acceptio apud Deum. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. *Rom.2. In omni itaque sancto opere prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii, id est, operatur Deus, cooperatur homo.*

Et rursum ut quorundam objectionibus occurreret, de gratia & libero arbit.c.9. *Non enim quia dixit:* Deus operatur in nobis, & velle, & operari, pro bona voluntate *Phil.2.v.13. ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset:* cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, *quando enim jubetur, ut operentur, liberum illorum convenitur arbitrium.*

Et c.15. *Ne autem putetur, nihil ibi facere homines, per liberum arbitrium, ideo in psalmo dicitur 94.* Nolite obdurare corda vestra, & *per Ezechiel.c.18:* Projicite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum, & spiritum novum, & facite omnia mandata mea; ut quid moriemini domus Israel? dicit Dominus: quià nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, sed convertimini & vivetis. *Meminerimus Deum dicere,* sed convertimini & viveris: *cui dicitur:* converte nos Deus Psal. 84. *Meminerimus Deum dicere:* projicite à vobis omnes impietates vestras, *cum* ipse justificet impium. Rom.4. *Meminerimus ipsum dicere,* facite vobis cor novum & spiritum novum, *qui dicit:* dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo vobis. *Ezech.36. Quomodo ergo, quod dicit* facite vobis, *hoc dicit:* dabo vobis: *facere dare jubet, si ipse daturus est? quare dat si homo facturus est? nisi, quia dat quod jubet: & adjuvat, ut faciat, cui jubet.*

Et

Et ib. cap. 15. Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum 1. Cor. 15. *id est, sed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Idem August. in Epistolam Joh. tract. 4. *in verba:* omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum: sicut & ipse castus est. 1. Joh. 3. v. 3. *Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret*, castificat semetipsum, *Quis nos castificat, nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat. Ergò cum adjungis voluntatem tuam Deo*, castificas temetipsum. *Castificas te, non de te, sed de illo, qui venit, ut habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum est, ut dicas:* Adjutor meus esto, ne derelinquas me *Psal. 26. Si dicis,* adjutor meus esto, *aliquid agis: nam si nihil agis, quomodo adjuvat?*

En quanta scripturarum luce Sancti Patres atque inprimis D. Augustinus (quem adversarii sibi favere credunt) dissipet, quidquid vel olim, vel nunc, huic veritati de cooperatione liberi arbitrii caliginis objectum est, quam procul non solum coactionem, sed omnem necessitatem operantis submovet, & quàm solidum fundamentum jacit meritorum cooperationis liberæ! Cum quibus illa quæ adversarii ex S. literis atque ipso etiam Augustino producunt composita non difficilem intellectum, citra cujusquam interpretis glossemata consequuntur. Illa adversariorum corruptela, quâ ex parte aliqua scripturarum arguunt, neglecta parte altera, hic egregiè ab Augustino libro de gratia & libero arbitr. c. 9. & 15. per necessariam locorum compositionem refellitur, cui opinor, prudens æquusque arbiter submisso judicio acquiescet.

§. IV. Protestantes, veteris orthodoxæ Ecclesiæ Doctores sibi in hoc articulo adversari, fatentur.

QUandoquidem nihil potest confessione propria adversariorum validius adversus illos telum reperiri, audiamus quemadmodum erroris suâ se damnent sententiâ. Cum enim fatentur orthodoxam sibi in hoc articulo fidei Ecclesiam adversari, se heterodoxiæ in illo tuendo reos faciunt.

Calvinus *lib. 2. Instit. c. 3. §. 10.* Voluntatem (*Deus*) movet, non qualiter multis seculis traditum est & creditũ, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiẽdo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum tum repudiari necesse est. *Quem trahit, volentè trahit.* Et ibi §. 7.

Hoc,*inquit*,perperam homini tribuitur, quod gratiæ præveni-enti pedissequa voluntate obsequatur. Ideo non rectè à Chry-sostomo scriptum est.*nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari*. Joan.cap.2. §.4.universè ple-rósque Patrum arguit. Veteres,*inquit*,mihi videntur hoc consi-lio vires humanas sic extulisse, ne si impotentiam disertè essent confessi,Philosophorum cachinnos excuterent,&c. Tametsi verò Græci præ aliis,atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate, modum excesse-runt,veteres tamen omnes,excepto Augustino,sic in hac re,aut variant,aut vacillant,aut perplexè loquuntur,ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat,&c. Nam, quasi integer staret homo, semper apud latinos liberi arbitrii nomen extitit; Græ-cos verò non puduit multò arrogantius usurpare, vocabulum, siquidem ἀυτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset,&c.

Centuriatores Magdeburg.in præfatione *de secundo seculo A-postolis proximo sic habent.* Admiratione simul & deploratione di-gnum est, quod tam cito magnæ obscurationes magnorum ar-ticulorum fidei sensim inciderunt. Nam doctrina de libero ar-bitrio statim hoc seculo cœpit vitiari, nimiumque viribus hu-manis tributū est. Et ib. *Centur.2.c.4.* Nullus ferè doctrinæ lo-cus,qui tā citò obscurari cœperit,atq; hic de libero arbitrio,&c. Autor responsionum apud Justin *ad quæst.*103.plenis buccis in hæc verba erumpit.*Quid tota legis justitia?* diligere Deum plus-quam seipsum,& proximum ut seipsum. *quod quidē non est im-possibile hominibus volentibus*. Irenæus quoq; in eandem senten-tiam multa Prophetarum,Christi & Pauli dicta detorquet,quē-admodum in toto c.72.l.4. videre est. Ubi præter illa quæ nos supra citamus addit *c.72.*omnia possibilia sunt credenti, & va-de sicut credidisti fiat tibi, *& omnia talia suæ potestatis secundùm fidem ostendunt hominem*. Eodem modo Clemens liberum arbi-trium ubiq; asserit,ut appareat in ejusmodi tenebris, non tan-tùm fuisse omnes ejus seculi Doctores, verùm etiam in posterio-ribus eas subinde crevisse & auctas esse.l.2. Strom.ait.*Nos libera & absoluta potestate eligere, & vitare. à Domino datum est homi-nibus,accepimus à scripturis. Iid.in cent.3. c 4. de doct.* Obscurata, inquiunt,maximè hoc seculo, sicut & superiori fuit doctrina de libero arbitrio. Et *infra de inclin.Doct.* Ex Tertul.tanquam aber-rante,recitant illa ex initio libri de exhort cast. *Cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit & quid nolit, jam vobis est volun-*

voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est. ecce posui ante te bonum & malum. *gustasti enim de arbore agnitionis, & ideo non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem.* Ex Origene Hom.12. *in Num.* Israel quid Dominus Deus poscit à te, quàm ut timeas eum? *Erubescant illi hæc verba, qui in homine negant liberum arbitrium. quomodo posceret Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod Deo poscenti deberet offerre?* Et Cypriano l.3.ad Quir.c.52. *Credendi & non credendi libertatem in arbitrio positam in Deut.* Ecce dedi, ante faciem tuam, vitam & mortem. *item apud Isaiam,* si volueritis, & audieritis me, bona terræ comeditis, *& in Evangelio Lucæ.* regnum Dei intra vos est. Ex Methodio ser. de Resurrect. *Quomodo verò etiam liberum arbitrium in hoc mundo apparet? In nobis enim situm est, ut credamus, & non credamus judicium, quomodo velut futurum amplius exspectari potest, in quo Deus* unicuique juxta opera, & secundùm studium retribuet?

In cent. 4. *De incl doct.* p.163. aiunt, Patres omnes ferè hujus ætatis, de libero arbitrio confusè loquuntur. citatque Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Epiphanium, Hieronymum, Gregorium Nyssenum libertatem arbitrii adstruentes. Et Cent. 5.c.4. sicut, ajunt, prioribus aliquot seculis doctrina de libero arbitrio depravata est, ita hoc etiam non pauci Doctores synergiam voluntatis humanæ nondum renatæ in conversione ad Deum asseruerunt. Etiam si autem interdum bene & sanè videtur loqui, tamen tandem liberum arbitrium, in rebus etiam spiritualibus, in ipsa conversione statuunt. Ex Chrysost *illud producunt Hom.45. in Ioh.c.6.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum. *Hoc, inquit, non tollit nostrum arbitrium, sed divino egere auxilio ostendit, & non invitum, sed omni venire conatu contendentem.* Et ad c.2. Phi. ser.2. in hæc verba: Deus operatur in nobis velle *Operatur, inquit in vobis, ut velitis, non aufert à nobis arbitrii libertatem, sed ostendit quod à rectè faciendo, multam, ut velimus, promptitudinem accipiamus.* Ex Augustino, quē interdum incōmodè loqui fatentur. de solut. quęst.1. *Neque, ait, voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit,* adjutor meus esto. *confitetur, se velle implere quod jussit, adjutorium poscere, ut possit.* Citant deinde pro eadem opinione Cyrillum, Theodoretum, Eusychium, Thalassium, Theodulum, Faustum, Marcum Eremitam, Johannem Bassianum ejusdem seculi viros.

Hæc Calvini & Centuriatorum confessio ab aliis quoque

Protestantibus confirmatur, sic Whitakerus *de Eccles.* q. 5. c. 7. Bellarmino occurrit. Respondeo, verum esse, quod Calvinus ait, & qui centurias scripserunt, in multis erratum esse à veteri Ecclesia, ut de limbo, de libero arbitrio, & de operum meritis, &c.

Pareus Comment *in Apoc. c. 6. v. 5.* Quin, ait, & præcipui Patres Græci & Latini, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, aliquos exinde hauserunt errores, de matrimonio & cœlibatu, de gratia, & libero arbitrio. &c.

Manifesta igitur Confessione adversariorum tenemus, nostras quas hodie contra ipsos tuemur sententias, à veteri orthodoxa Ecclesia traditas esse, suamque quam defendunt heterodoxiam oppugnatam esse. Quos ipsi errores Veterum proclamant, nos veritatem ipsam in propositis articulis esse profitemur illisque ac scripturæ sacræ, cujus sensum ab ipsis hausere Apostolis securius assentimur, quam Luthero, aut Calvino Spiritum sibi Apostolicum, post tot secula, arroganti ausu, atque inaudita fidei novitate vendicantibus.

Quod verò, & Calvinus, & Centuriatores aliquos SS. Patrum, atque inprimis Augustinum, velut suæ assertores sententiæ, producant, omnino frustraneum est: nisi fateantur, illos adeò inconstantes præposterosq; in doctrina fuisse, ut ipsis sibi contradixerint. Siqua liberi arbitrii dicatur servitus, siqua necessitas, aut captivitas feratur à Patribus: tunc de homine, vel non renato, vel peccatore, & gratia redemptionis destituto, cum Paulo (qui tales servos peccati vocat) rectè loquuntur. Hoc solum dicimus, in saluris negotio, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas est,* 2. Cor 17. Hanc qui Patribus, nobisque clavam non eripit, relinquit inexpugnabiles.



§. V.

§. V. APPENDIX.

De impossibili legis divinæ observatione, Ex Catechismo Heidelbergensi.

QUÆSTIO CXIV.

POssuntne illi, *qui ad Deum conversi sunt, præcepta Dei perfectè servare?*

Resp. Minimè. *a* Verùm etiam Sanctissimi quique, quamdiu vivunt, habent tantùm exigua initia huius obedientiæ. *b* Sic tamen, ut seriò, & non simulato studio, non secundum aliqua tantùm; sed secundum omnia Dei præcepta vivere incipiant. *c.*

a 1.*Ioh.*1 *v.*8.*Iac.*3.*v.*2.*Eccl.*7.*v.*21.b.*Iob.* 9.*v.*1.*Psal.*19.*v.*16 *Phil.*3.*v.*13.c.*Psal.*18.*v.*15.*&* 119.*v.*60.*&* 106.*&* 122.*Rom.*7.*v.*22.

QUÆSTIO CXV.

Cur igitur vult Deus legem suam adeò exactè & severè prædicari, cum nemo sit in hac vita, qui eam servare possit?

Resp. Primùm, ut in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio, *d.* tantòque avidius remissionem peccatorum, & iustitiam in Christo expetamus. *e.* Deinde, ut hoc perpetuò agamus, illud semper meditemur, & gratiam Spiritus S. à Patre imploremus, *f.* quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem postquam ex hac vita discesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur. *g*

d *Rom.*3 *v.*20.*&* 4.*v.*15 *&* 5.*v.* 13. 20. e *Rom.*10.*v.*3.4. *Deut.*31.*v.*11 *&c.* f.*psal.*119.*v.*4.5. 33.*&c.*g.1.*Cor.*13.*v.*9.*&c.* 1.*Ioh.* 3.*v.*2. *&c.*

§. I Reformatio ex S. literis.

CRedimus, quod *non sit homo iustus super terram, qui aliquando non peccet*; h quia *in multis offendimus omnes*, i *& si dixerimus, quoniam peccatum nullum habemus, ipsi nos seducimus*, l nisi quis *gratia plenus* sit m aut *sanctificatus*. n Nam *quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit* o Licet enim *reperiamus* cum Paulo *aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, ut perficere bonum non inveniamus, tamen liberat nos de corpore mortis huius gratia Dei per Iesum Christum* p. Nam *quod impossibile erat legi, cum infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens, damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* q Monente Paulo: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis* r *Nec regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* s. *Qui enim dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, hic mendax est.* t *Et mandata eius gravia non sunt.* u *Omnia enim possum in eo, qui me confortat.* x Deo promittente: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & gratiam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis* y *qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate.* z *Hoc* enim *est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandata eius in illo manet, & ipse in eo. In hoc scimus quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis.* a Hoc David præstitit: *scrutabor*, inquit, *legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo* b De quo Deus ipse Ieroboamo, *non fuisti, sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo.* c. Ita de Iosia dictum: *Similis illi non fuit Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.* d Idem de Zacharia & Elisabeth. *erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela* e. Possibile igitur mandatum est: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. *& proximum sicut*

h *Eccl.* 7. *v.* 21. i *Iac.* 3. *v.* 2. l *Iob.* 1. *v.* 8. m. *Luc.* 1. n. *Ib. v.* 66. o 1. *Ioh.* 3. *v.* 9. p *Rom.* 7. *v* 18. 22. 24. q *Rom.* 9. *v.* 3. & 4. r *Gal.* 5. *v.* 16. s. *Ro.* 6. *v.* 12. t. 1. *Ioh.* 2. *v.* 4. u. 1. *Ioh.* 5. *v.* 3. x. *Phil.* 4. *v.* 13. y. *Ezech.* 36. *v.* 27. z. *Eph.* 1. *v.* 4. a. 1. *Ioh.* 3. *v.* 23 b. *Ps.* 118. *v* 34. c. 3. *Reg.* 14. *v.* 8. d. 4. *Reg.* 23. *v.* 25. e. *Luc.* 1. *v.* 6.

teipsum, ex quo mandato omnis lex pendet & Propheta. f *Omnis e-nim lex in uno hoc sermone impletur.* g

f *Deut. 6. Mat. 22.* g *Gal. 5. v. 14.*

§. II. Observatio.

Nihil his scripturis clarius disertiusque excogitari possit: nihil protervius eis, qui his audent, manifestâ depravatione, obsistere, & optimum sapientissimumq; legis Christianæ conditorem in crudelem væcordemque Tyrannum convertere. Loquimus autem de lege, quam Deus homini post lapsum suam in gratiam per Christum Redemptorem recepto dedit. Quid igitur asserunt? *Deus talem renatis legem condit, & severè exactèq; præcipit, quæ tamen servari non potest.* Impiæ voces, & in Deum blasphemæ, & in hominem iniuriosæ! Arguit Ioannes *quisquis dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Condemnat Paulus. *Iustificatio legis impletur in nobis* nam *omnia possum in eo qui me confortat.* Exemplis suis confundunt David, Iosias, Zacharias. Verbo. *qui diligit, legem implevit.* Ille autèm, sic, ut legi par est, toto corde diligit, quisquis rebus creatis omnibus Deum æstimatione sua & amore præponit. De hoc enim jure dixeris, quod Deum super omnia, toto corde viribusque, seu potentijs creatis diligat. Si non intensione, qua potest (neque enim hoc lege illa, quæ strictæ interpretationis est, postulatur) certè extensione rerum potentiarumque omnium, quâ necesse est.

Sed neque lex illa quæ vetat, *non concupiscere*, obsistit; quod loquatur homini, ut rationi utenti, cui innoxia debet esse concupiscentia, quæ rationem prævertit liberumque arbitrium, ideòque non præcipit aliud, quàm Paulus Rom. 6. ne assentiamur, seu *obediamus concupiscentiis*, & quod Siracides c. 18. v. 30. *post concupiscentias tuas non eas.* Verùm ad tantam sentiendi perversitatem adigit Protestantes, quod soli omnia fidei, nihil operibus, & obedientiæ plenæ mandatorum Dei tribui existimationis gratiæque coram Deo cupiant. Cum originalis peccati vitio, suisque imperfectionibus opera bona nostra lethiferè inquinentur: solo nomine bona, reipsa scelerata: sub titulo obedientiæ manifesta Legis prævaricatio: sub nomine gratitudinis deo præstitæ, ingrata & execranda divino Numini, ideòque in desperationem rectè operandi, & obsequendi Deo necesse sit homines conijci, nilque per legis obedientiam, præter sordes & inquinamenta Superis offerri.

Et hos fructus esse fidei Regeneratorum suorum dictitant. Ita ex suo illos ore judicamus. Nobis cum Sacra Scriptura, & sentire, & legibus satisfacere multò est jucundius; non quod negemus, *in multis nos offendere*; sed quod asseramus, nos & explere illam quovis in mandato posse, & facto ipso explere sæpius, tale opus præstando, quod legi conforme sit, & nulla labe inquinatum, quorum utrumque adversarij perperam repudiant. Verùm iis dictum quoque est, Mat.19.17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. At servare non possunt, confessione sua. Ergo &c, concludant ipsi. Respondent. electis non imputatur peccatum; sed attribuitur justitia Christi, qui pro nobis legem implevit. Præclarè! sentiunt igitur se, dum concupiscunt, & mœchantur, & occidunt, (nisi fortè rectiùs sentiant aliqua se horum præceptorum explere posse) non tamen peccatores censeri posse: nos verò, etiamsi his præceptis satisfiat, sceleris flagitiorumque istorum reos censeri: Se cum Davide in adulterio, iustitia Christi obtectos, ad culpam pœnamque non observari: nobis nec cum Abrahamo quidem obsequentibus tutum esse à supplicio subterfugium.

Per veritatem, salutemque hic omnes obtestor. Videant, quantum una hæc res absurditatis complectatur. Potuitne fieri, ut homini in gratiam recepto, perque suum redempto sanguinem, tam malè Christus vellet, ut legem illi præscriberet, idque sub mortis interminatione, ni exequeretur, impossibilē? Quomodo vult, ut legem impleat, quam negando vires, noluit ab eodem impleri? Nunquid eiusdem est dare, ut velle possit, qui præcipit, ut velit? Inter mortales Rex injustus ac Tyrannus est, qui impossibilia præcipit plectitque neglecta, etiam cum sentit potuisse illa impleri: & piusquam Tyrannus Deus non sit, qui hæc imperat, æternisque suppliciis neglecta punit, etiam dum videt impleri non posse? Stulti hominis est, impossibili fini obtinendo adhibere media; & hoc Deo sapientissimo legislatori tribuamus? Imò lex nulla est, quæ impossibile præcipit, quia chimæram præcipit; ac putum nihil. Neque quenquam hæc potest obligare, cum vitare non tenearis, quod vitari non potest. An volare tenebimur, sine alis, si Deus jubeat, & non æquè insanus sit, qui ista seriò imperet, quam qui conetur implere? At in Adamo, aiunt, vitare ante lapsum hæc peccata licuit, & legem implere. Iterum præposterè, legem gratiæ sub Christi regno accepimus, quid hæc ad Adamum, & statum longè diversissimum ab illo, in quem nos Christus transtulit?

Sed

Sed quis finis tam perversæ legis, quæ inexplebilis est? *Vt*, inquit, *discamus quanta sit natura nostra ad peccandum propensio, & iustitiam in Christo expetamus, gratiamque spiritus S. imploremus, quo magis magisque ad imaginem Dei renovemur.* Rursum inepte. Nam quis unquam ex re impossibili suam imbecillitatem, aut vires mensus est? Ita enim Deus inter imbecilles quoque censendus esset, ut qui nihil possit, quod impossibile est. Deinde quomodo is, qui per fidem Protestantium justificatus est, iustitiam Christi expetet, quam certa se fide novit possidere? quomodo oratione suâ, peccatis inquinatâ, & quâ ipsamet legem Dei violat, se sperat divino spiritu donari, magisque innovari ad imaginem Dei posse? Sic urgeo, vel possunt orare, ut oportet, Deusque exigit ad impetrandum; & sic præceptum hoc implebunt. Vel hoc illis est impossibile, & sic frustra petunt; quia nunquam impetrabunt. Demus tamen argumentum subsistere, nobis illud favebit. Nam oratio talis, utique à divino procedet Spiritu, & sic inquinata esse non poterit. Quod si de oratione concesseris, quidni de ipsa charitate Dei concedis? Nunquid enim *fructus illi spiritus S. qui sunt charitas, gaudium, patientia, castitas* Gal. 5. &c. infecti esse poterunt, aut ab illo quicquam fluere divino spiritu, quod sit inquinatum? Postremò, quærendum ab his hominibus, nunquid præcepto fidei obsequi Protestantes queant, ut *sicut oportet credant*? Si possunt, dabitur præceptum observatu possibile: si nequeunt, fide ac cælo toto exciderunt. Neque nos ipsis suum errorem profitentibus credere tenemur, Sed res suâ absurditate indigna est, cui disputando immoremur. Paucis itaque S. S. Patrum testimoniis absolvam.

§. III Orthodoxæ Ecclesiæ Patres ex sacra scriptura nos instituunt.

Clemens Alexandrinus lib. 2, stromatum. *Divinum verbum clamavit, omnes simul vocans* (venite ad me omnes qui laboratis &c. Matt 11.) *eos quidem vel maximè cognoscens, qui parituri erant, & tamen quoniam est in nostra potestate parère; ut nulli possint causare prætextum ignorantiæ; iustam fecit vocationem. Quod autem præstare possunt uniuscuiusque vires exigit.*

Irenæus lib, 4. cap. 72. *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini servavit dicens:*

dicens: omnia possibilia sunt credenti, vade, & sicut credidisti; fiat tibi. Marc. 9. v. 22. &c. B. Basilius in regulis brevior. *Interrog.* 176. Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt (Matt. 5. v. 44.) *sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus & iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus fuisset largitus.* Et orat. *in illud.* Attende tibi &c. *impium,* inquit, *est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta.*

S. Cyprianus Tom. 1. *Epist.* 25. Ite, docentes eos servare omnia, quæcunque præcepi vobis. *Mat.* 25. *Et Ioannes Apostolus mandati memor, in epistola sua postmodum ponit:* in hoc *inquit,* intelligimus, quia cognovimus eum, si præcepta eius custodiamus. Qui dicit, quoniam cognovit eum, & præcepta eius non servat, mendax est, & veritas in illo non est. *Hæc præcepta cum custodienda suggeritis, divina & cœlestia mandata servatis. Hoc est esse confessorem Domini, servare vocis suæ inviolatam circa omnia, & solidam firmitatem &c.* Et lib. de Unit. Eccl. *Iustitia opus est, ut promereri quis possit Deum Iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. Dominus in Evangelio, cum spei & fidei nostræ viam compendio breviante dirigeret.* Diliges, *inquit,* Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua &c. *Mat.* 12.

S. Hilarius in illud *Psal.* 118. Latum mandatum tuum nimis. Latum, *inquit,* mandatum Dei est. *& in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Domini obtemperare.*

S. Chrysostomus lib. 1. de Compunct. cordis. *Revera,* inquit, *ipse pronuntiavit de præceptis suis, quod nihil in illis laboriosum sit, & nihil onerosum, dicens:* Iugum enim meum suave est, & onus meum leve. *Matt.* 11. &c. Non respicientibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. 2. *Cor.* 4. 18. Et hom. 8. de pœnit. *Nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia. Multi & ipsa superant præcepta.*

S. Augustinus de grat. & lib. arbit. c. 6. *Certum est nos* mandata servare si volumus *Eccl.* 15. *v.* 16. *quia* præparatur voluntas à Domino *Prov.* 8. *Ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus, de quo dictum est.* A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. *Psal.* 36. *de quo dictum est.* Deus operatur in vobis velle & operari. *Phil.* 2. Et lib. de nat. & gratia c. 69. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Omnia

Omnia quippe sunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est *Matt. 11. Secundum hoc dictum est* : & præcepta eius gravia non sunt. 1. *Ioan.* 5. &c. *Conversus ergo quisque sicut ibi præcipitur* ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua. *Mat. 22. mandatum Dei non habebit grave. Quomodo enim grave erit, cum sit dilectionis mandatum ? Aut enim quisque non diligit ; aut diligit, & grave esse non potest.* Et ser. 61. de tempore, *sed dicet aliquis, nulla ratione possum* inimicos diligere. *Mat. 5. In omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrario respondes non posse. Considera nunc, utrum tibi, an Deo debeat credi ? Et ideo* quia veritas mentiri non potest. *Vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas ; quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est, nec damnaturus est hominem , pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.*

§. IV. Ex ipsa Protestantium confessione veteris Ecclesiæ sensus tenetur.

CAlvinus *lib. 2. Inst. c. 7. §. 5.* Quod, inquit, impossibilem legis observantiam esse diximus, solet vulgò absurdissima sententia videri, ita ut Hieronymus *(in explan. symb. ad Damasum)* non dubitarit anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror : nos quid verum sit inquiramus.

Centuriatores in primo ab Apostolis seculo hanc doctrinam agnoscunt. *Cent. 2. c. 4.* de oper. *Clemens,* aiunt, vim originalis peccati non satis perspexit, & obedientiam legalem renatis omnino possibilem esse, magno errore, judicavit. Et supra *de lege.* Autor responsionum in *Iustino* ad legis possibilitatem inclinat, & exemplo probat Pauli, qui de se ipso pronuntiat, *se in iustitia legis fuisse irreprehensibilem* Phil. 3. v. 6. Ac cum obijci posset, Paulum respexisse illo dicto ad justitiam externam coram hominibus : statim annectit exemplum *Zachariæ & Elisabethæ, qui fuerunt iusti coram Deo ambulantes in omnibus præceptis* Luc. 1. v. 6. Quin & dictum Rom. 3 v. 20. confutat: *non iustificari ex lege carnem ullam* ; significans, hoc ideo dici, *quia homines possibilia nolint: non quia impossibilia non possint.* Hæc illi plura ex ijsdem sequentia secula suppeditant. In altero enim ab Apostolis seculo fatentur: De legis possibilitate. *Origenes* multa subinde inculcat. Ut ubi Decalogus exponit. ho. 8. in Exod. hoc videtur asseverare, *quod baptizati per omnia possint legem implere.* Idem ait *Auctor hom. in Cant. Non est inordinatus sermo divinus, nec impossibilia præcipit.* Et *Cyprianus* ser. de baptis. Christi. *Quia,* inquit, & *quod agendum est scimus ; & quod scimus facere possumus: præcipis mihi Domine, quod diligam te. Hoc & possum, & debeo.* &c.

Pareus

Pareus *lib.* 4. *de Iustif.* ita scribit. Fuerunt Patres, præsertim Græci, & qui ex Latinis ante Pelagiana certamina scripserunt, in quæstione de libero arbitrio & legis possibilitate admodum liberales. Nimis enim illis arrisit Philosophorum (ex quorum scholis plerique prodierant) doctrina de iustitia operum, quæ hanc quæstionem de legis possibilitate secum traxit. &c.

Pluribus in scriptura disertissima, & ratione firmissima, pro legis possibilitate invictè pugnante, testimoniis abstineo. Videant obsecro Adversarij, quidnam illud sit, quòd ad desperatissimæ huius sententiæ consilium eosdem præcipitet, quæ omnem hominis ad legum obedientiam conatum infringit: cùm non nisi planè amentium esse possit, id velle, quod posse nequeant; aut illud inchoatæ etiam obedientiæ, ut vocant, opus moliri, quod in se vitiosum Deoque execrabile esse, non ignorent. Si homines compello, id tantum obsecro, ut sese rationis præditos esse meminerint, animamque possidere, de cuius hic salute disceptatur.

ARTICULUS X.

CRedimus *a* totam Adami sobolem hac contagione infectam esse, quam peccatum originale vocamus, vitium videlicet ex propagine manans, non autem ex imitatione duntaxat, sicut Pelagiani senserunt, quorum omnes errores detestamur. Nec putamus necessarium esse inquirere, quinam possit hoc peccatum ab uno ad alterum propagari? Sufficit enim, quæ Deus Adamo largitus, non ipsi soli, sed etiam toti ipsius posteritati fuit data: ac proinde nos in ipsius persona omnibus illis bonis spoliatos, in omnem hanc miseriam & maledictionem incidisse.

a *Gen* 6.*v*.5.*&* 8.*v*.21. *Iob*. 14.*v*. 4. *Matth*. 15.*v*. 18.*Rom*. 5.*v*. 12, *Ephes*. 2.*v*.1.

ARTICULUS XI.

CRedimus hoc vitium esse verè peccatum, *b* quòd omnes & singulos homines, ne parvulis quidem exceptis, adhuc in utero matrum delitescentibus, æternæ mortis reos coram Deo peragat. Affirmamus quoque, *hoc vitium, etiam post baptismum esse verè peccatum*, *c* *quod ad culpam attinet, quamvis qui filii Dei*

b *Psal.* 51. *v*. 7.*Rom*.3. *v*.6.*&c*.*c*. 5.*v*.12. c *Rom*. 7. *v*.7.

Dei sunt, minimè idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus, pro gratuita sua bonitate & misericordia, *illud ipsis non imputat.* Dicimus præterea *d* hanc perversitatem, semper edere fructus aliquos malitiæ, & rebellionis, adeò *e* ut etiam *qui sanctitate excellunt, quamvis ei resistant, multis tamen* infirmitatibus, *& delictis sint contaminati*, quamdiu in hoc mundo versantur.

d *Rom.7.v.8.* e *Rom.7.v.18.& 19.& 2.Cor.12.v.7.*

§. I. Reformatio ex S. Scriptura de peccato Originali.

CRedimus concupiscentiam *inhabitans nobis peccatum dici,* sed quòd *pariat peccatum.* g Unde Paulus inquit, *si quod odi malum facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Video enim aliam legem* (concupiscentiæ) *in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum.* h *Nihil ergo nunc damnationis est eis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis.* i *Cum illo enim scimus, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* l Quocirca Paulus monet. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* m *Exspoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* n *Fecit autem initio Deus hominem rectum, & secundum se vestivit eum virtute.* o *Quare sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituti sunt multi. Vbi enim abundavit delictum, superabundavit gratia. Vt sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet in justitiam.* p *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* q *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?*

f *Rom.7.v.17.* g *Iacob.1.v.15.* h *Rom.7.v.20.&c.* i *Rom.8.v.1.* l *Rom 6.v.6.* m *Eph.4.v.23.* n *Colos.3.v.9.* o *Eccli.17.v.2.* p *Rom.5.v.19.* q *lib.v.17.*

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. r *Hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis. Quoniam Deus lux est & tenebræ in eo non sunt ulla. Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Iesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* s

r *Rom.* 6. *v.* 1. s 1. *Ioh.* 1. *v.* 5.

Credimus quoque, juxta Apostolum, audiendam *legem, quæ dicit, non concupisces,* t, monentem, ut *non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* u *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Qui enim sunt Iesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* x *Sufficit illis gratia Christi, nam virtus in infirmitate perficitur.* y Satisque est cum Paulo posse dicere: *Condelector lege Dei secundum interiorem hominem, & mente servio legi Dei, quamvis carne legi peccati.* z

t *Rom.* 7. *v.* 7 & *Exod.* 20. u *Rom.* 6. *v.* 12. x *Gal.* 5. *v.* 16. & 24. y 2. *Cor.* 12. *v.* 9. z *Rom.* 7. *v.* 22. & 25.

§. II. Observatio.

PAulò disertius hic ex S. literis agere pro Concordia lubuit, ut detestandi erroris fundamentum, quo passionis Christi meritum dignitatemque, vel in peccatis destruendis prorsus enervant, vel in iisdem obvelandis turpissimè polluunt, tanta vi scripturarum everterem.

Perperam adversarii, extra omnem Scripturam asserunt, *Originale Adami peccatum manere post baptismum quoad culpam, licet non imputetur,* idemque esse cum inordinata hominis concupiscentia. Illud enim rationalis in Adamo voluntatis, deliberatæque mentis fuit; & refractaria Deo voluntas, seu *inobedientia* à Paulo Rom. 5. dicitur, quæ certè à concupiscentia differt. Si in Adamo, utique & in nobis, qui per ejusdem parentis nostri voluntatem, eâdemque inobedientiâ rei constituimur, & habemur nocentes. Cur igitur Paulus concupiscentiam,

centiam, quæ in nobis est, peccatum appellat? Respondeat ipse, tum quia *peccatum* (primi parentis) *per mandatum* (quod Deus nobis dedit) *operatum est in me omnem concupiscentiam*: tum quia *quæ in me habitat* concupiscentia, *operatur malum*. Rom. 7. clarissimè Jacobus, quia *concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum*. Jac. 1. Ita & solem calidum dicimus, quòd calorem operetur; & ferrum, quod ab igne calefactum est. Utrumque, non propriè, sed metonymicè, usitatissima tamen loquendi formula. Quocirca negari non potest, pati jure, licet ex se propriè non sit, peccatum tamen concupiscentiam hanc appellari posse. Quod si igitur ex S. literis, & adversariorum concessis evicero, concupiscentiam in se, suaque natura peccatum non esse, causam hanc obtinui. Agedum probemus. Concedimus utrimque, (& manifesta experientia convicti id facimus) concupiscentiam in renatis per baptismum manere. At hæc veritas stare non potest, si concupiscentia sit peccatum. Quod sic manifestè diduco. Concupiscentia (ut adversarii tradunt) propriè peccatum est. Sed *sanguis Christi emundat nos ab omni peccato* 1. Joh. 1. Ergo emundat nos à concupiscentia. Hoc autem absurdum est, igitur & illud. Quod verò ab omnibus peccatis, & singulatim quoque ab originali per Christi gratiam ita emundemur, ut nihil ex indignitate culpæ reliquum sit, quod sub pallio justitiæ Christi à divinis oculis, qui *iniquitatem non possunt respicere* (ridiculo probrosoque tam Deo, quàm hominibus invento) subtrahatur, hoc iis, quas supra adduximus scripturis adeò clarum est; ut illarum ac veritatis cœcus depravatusque hostis sit, quisquis noluerit assentiri.

Nihil enim damnationis remanet, nihil, inquam, ergo nec culpæ, nec pœnæ, quâ damnemur. Et *nihil* inprimis culpæ, unde omnis damnatio. Aut si culpæ manet indignitas & enim illa pœnæ dignitas, non tollitur damnatio. Et hæc isti dicant, qui scripturam pro regula fidei venditant? Iterum multi sunt, *qui non secundum carnem ambulant*, quomodo igitur in scelerata versantur concupiscentia? multi quos *Christus liberavit à lege peccati & mortis* æternæ, quomodo eidem ergo legi etiamnum mente serviunt? *Vetus homo* in renatis *crucifixus est, & destructum corpus peccati*; quomodo idem ergo manet integrum, solumque obvelatum? *induunt novum hominem in justitia & sanctitate, secundum illum (Adami) qui creatus est; exspoliant veterem cum actibus suis* (concupiscentiæ utique)

& renovantur secundum imaginem creatoris sui , & quomodo simul in ipsis culpæ & concupiscentiæ sordibus, tanta ab Adamo & creatore Deo & dissimilitudine, separantur, quantâ culpa distat ab innocentia , velata injustitia à manifesta justitia ?

Sed quid ordine singulis immoramur ? Paulus Rom. 5. & 6. quando Christum tradit per obeditionem reddidisse ablatam justitiam, ita ut *gratia, regnans per justitiam, superabundet, mortuique simus peccato, & non permaneamus in illo*, potuitne loqui disertius ! quantum igitur probrum, patienti Christo, ne tantùm quidem concedere ad promerendum, quantùm Adamus ad demerendum peccando valuit ; adeoque temerè & dignitatem Christi, & scripturarum veritatem conculcare ! Pertinaces sola ratione confundo. Vel tantùm valuerunt merita Christi, ut culpæ indignitatem ab homine tollerent : vel omnino id non potuêrunt. Si primùm, nihil huic facto obstat, nisi divina voluntas, quæ demonstrari non potest : si alterum, jam meritorum Christi infinita non est dignitas. D. Joannes postremò fulmen cum luce vibrat, quo omnes adversarios obruit, quando *in emundatis à peccato, omnes, sicut in Deo , abesse tenebras* pronuntiat. Ad quam lucem qui volens cœcutit, dignus luce non est, tenebrarum filius.

Alterum est, non minus triste, quàm horrendum, quod *licet concupiscentiæ motibus resistamus , delictis tamen contaminemur.* Quid enim ? an nolentes igitur peccamus, & Paulus verè deliquit, cum diceret, *non quod volo bonum hoc ago , sed quod nolo malum, cum mente quidem serviam legi Dei ; sed carne legi peccati?* sic enim arguunt. Fallit igitur axioma, à Deo , & ratione nostris insciptum mentibus, atque etiam ab Augustino consignatum literis *nullum peccatum, nisi voluntarium* & alterum *ad nihil impossibile lex obligat.* fallit Deus ipse per scripturas, quando toties *si volueris, si nolueris*, ad legis observationem, aut neglectum requirit ? *Ad quod volueris extende manum, quia ante hominem bonum & malum.* Eccli. 15. v. 17. Ante hominem, inquam, non ante brutum , nam *reliquit illum Deus in manu consilii sui.* ib. Non delinquit. qui nolens delinquit, malum talis cum Paulo perpetrat , sed abest peccatum : imò & *virtus* adest, quæ *in infirmitate perficitur* , *cum mente serviat legi Dei*, & non nisi bruta *carne* (quæ sola est sceleris incapax) *legi peccati.* Verùm opponunt nobis legem *non concupisces.* Sed quibus hæc scripta, nonne & ratione utentibus ? vetat itaque deliberaliberaliberaliberaliberaliberaliberaliberalibera-

liberatam lex ista concupiscentiam. Unde & *lex mentis* ab Apostolo dicitur Rom.7.v 22. & in Hebræo non est propriè concupiscere, sed vox quæ tam rebus cælestibus, quam terrenis adhibetur. Optimus suorum verborum interpres Paulus est quando hoc à nobis præceptum exigere docet, *ut non obediamus concupiscentiis*. Omnis autem obedientia consistit in deliberata voluntate; rursusque cum monet, *ambulantes in spiritu, desideria carnis non perficere*, Christum sequentes *concupiscentias cum vitiis crucifigere*, de carnis desideriis & concupiscentiis rationis voluntatisque imperio subjectis loquitur, quibus refrenatis, & in spiritu dignè ambulent, & Christum sequantur. Aut igitur Dei spiritu, ac Christo duce, primis concupiscentiæ motibus vexatos destitui necesse est: aut tales noxia carnis desideria contra legem non perpetrare. Non jam differam de horrore abominandæ illius sententiæ, quæ eò calamitatis hominem præcipitat, ut nolens invitusque etiam peccet ac pereat, & nec dormiens quidem amensque peccare desinat: non de iniquitate legis istius dicam quæ cum à sapientissimo nomotheta feratur, tamen inevitabilia vitare jubeat hominem, cum à potentissimo conditore fixa sit, exigat à suo opere, quod non contulit; cum à justissimo lata sit Rege & Judice, postulet plectatque in homine, quod extra potestatem est. Cum Ecclesiastico concludo, *post concupiscentias tuas non eas* (cap.18.v.30.) & obsequeris Domino, qui jubet, ne concupiscas. Et, ut cum quibusdam demus legem hanc, *non concupisces*, omnes concupiscentiæ motus vetare, quo fortasse sensu Augustinus dixit (ser. 5. de Verbis Apostoli) *non implet legem infirmitas mea, sed laudat legem voluntas mea*; non tamen ea parte, quâ in voluntarios actus spectat, sub peccati reatu aliter adstringit deficientem, quum si mente deliberata eosdem probet, quos mentem præveniens caro concitat. Ut cum Paulo *serviat mente legi Dei, dum carne servit legi peccati*, quod non est succumbere peccando, sed vincere pugnando: tum quod caro menti opposita sit incapax peccati: tum quod *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Quod verò rationalis homo non operatur, non potest esse peccatum, nisi pari improprietate, quâ concupiscentia, seu inclinatio ad hos motus peccatum appellatur, aut deficientis vel infirmæ naturæ vitium. Sic ipse communis loquendi usus obtinet, sic jam olim D. Augustinus Julianum 2. lib. instruxit. *Iamne*, inquit, *discernis, jamne perspicis, jamne respicis in baptismate fieri omnium*

remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? Non enim talia sunt vitia, quæ jam peccata dicenda sint, si ad illicita opera Spiritum concupiscentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum. Passiones sunt, vitia sunt; frenanda, cohibenda, sananda sunt.

§. III. Patres veteris Orthoxæ Ecclesiæ ex S. Scriptura ostendunt nos per baptismum à culpa mundari.

DUplici testimoniorum genere Patres hanc veritatem ex S. literis stabiliunt: altero quo ostendunt, nos ab omni culpa perfectè in baptismo emundari: altero quo ipsam concupiscentiam peccatum non esse, nisi impropriè, contendunt. A priori auspicabimur.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. *Tincti*, inquit baptismate, *illuminamur illuminati*, in filios adoptamur, *adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur*. Ego, *inquit*, dixi. Dii estis & filii excelsi omnes. *Psal.* 81. *Multis autem modis vocatur hoc opus*. Gratia, Illuminatio, Perfectum, & Lavacrum. Lavacrum *quidem per quod peccata abstergimus*. Gratia *autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur*. Illuminatio *autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id, quod divinum est, perspicimus*. Perfectum *autem dicimus, cui nihil deest. Est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta & undequaque plena.*

Origenes homil. 14. in Lucam. *Parvuli* baptizantur in remissionem peccatorum. *Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? vel quomodo potest ulla lavacri ratio subsistere, nisi juxta illum sensum, de quo paulò antè diximus*: nullus mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? Job 14. *Et quia per baptismi Sacramentum, nativitatis sordes deponuntur propterea baptizantur & parvuli*. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest intrare in regnum cælorum. Joh. 3.

Cyprianus de ablutione pedum. *Ornata & honorata est Ecclesia, quasi paradisus, in amplitudinis suæ* umbelico (Gen. 2.) fontem *continens gratiæ singularis*, flumina creans in vitam æternam salientia. (Joh. 4.) *Vivam habens originem & decursum perennem. Hinc egredientia quatuor Evangelii flumina per univer-*

univerſum mundum ſecum regenerationis evehunt lavacrum, & de abdito & ſecretiſſimo Spiritus S. munere, hujus gratiæ liquor emanat, ſic lavans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula, aliqua ſui, poſt ablutionem illam, veſtigia derelinquat.

Chryſoſtomus homil. ad Baptizandos. *Hæc*, ait *expurgatio lavacrum regenerationis dicitur.* Salvavit enim, *ait Apoſt. Tit.* 3. nos per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. *Dicitur & illuminatio:* Recommemorate namque, inquit, priores dies, quibus illuminati multam colluctationem ſuſtinuiſtis paſſionum. *Hebr.* 10. *Vocatur & baptiſma*: Quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis. Chriſtum induiſtis *Gal.* 3. *Vocatur & ſepultura.* Conſepulti enim, *ait idem*, ſumus per baptiſma in mortem. *Rom.* 6. *Vocatur circumciſio*. In quo, *inquit*, circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta, in exſpoliationem corporis peccatorum carnis. *Col.* 2. *Vocatur crux*: Vetus enim, *inquit*, homo crucifixus eſt, ut convertatur corpus peccati. *Sordes corporis Iudaicum lavacrum emundabat: divina autem gratia lavacrum, non corporis, ſed animæ maculam ſordeſque mundare conſuevit Cum illius fontis divinos ſenſerit rivos, ſolis radiis mundior elevator, &c. Hoc quæritur, ſi omnia lavacri virtute mundantur? Et ideo accipe, quæ ſequuntur.* Et hæc quidem (*omnibus inquinati peccatis*) fuiſtis, ſed lavati eſtis, ſed ſanctificati eſtis. 1. *Cor.* 6. *Nos quidem pollicemur vobis, oſtendere totius malitiæ vinculis abſolvi, & omni immunditia liberari eos, qui hoc lavacrum promerentur. Verùm ratio longè majora declarat. non enim mundos tantum, ſed & ſanctos, & juſtos effectos oſtendit, &c. Non lavacrum remiſſionis peccatorum dicitur, nec lavacrum purificationis, ſed lavacrum regenerationis, quia non nobis ſimpliciter peccata concedit, nec ſimpliciter nos purificat, malis actibus implicatos, ſed tanquam è cælo generatos efficit.*

Et homil. ad Neophytos. *Ecce*, ait, *libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi; & juſtitia in ſorte verſantur qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim ſunt tantum liberi, ſed & ſancti, non tantùm ſancti, ſed & juſti: nec ſolum juſti*, ſed & filii: *nec ſolum filii*, ſed & heredes, *nec ſolum heredes, ſed & fratres Chriſti, nec tantum fratres Chriſti*, ſed coheredes, *nec ſolùm coheredes*, ſed & membra, *non membra ſolum*, ſed & templum, *nec tantum templum, ſed & or-organa* Spiritus, Rom. 8. v. 17. & 1. Cor 6. v. 19. *Vides, quot ſint baptiſmatis largitates? Sed multis quidem videtur, cæleſtem*

gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint inquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ùt Spiritus habitatio fiant.

Ambrosius lib. 1. de sacram. cap. 4. *Qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad cælestia, hoc est enim* Pascha, id est transitus *ejus: transitur à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.* Et epist. lib. 10. Ep. 84. *Dum homo exterior abluitur, mutatur interior,* & fit nova creatura *de veteri, vasa ira in vasa misericordia transferuntur, & in corpus Christi convertitur caro peccati.* Et de iis qui mysteriis initiantur. *Dominus Iesus & ipse invitatus tanto studio charitatis, pulchritudinis, decoris, & gratia; quod nulla jam in ablutis delicta fordèrent, dicit ad Ecclesiam,* pone me ut signaculum in corde tuo. *Cant.* 8.

D. Augusft. de pecc. mer. & remis. l. 2. cap. 7. *In eo quod scriptum est,* qui natus est ex Deo non peccat, & non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet 1. *Ioh.* 1. *& si quid aliud eo modo dictum est, multum falluntur (haeretici) minus considerando scripturas. Non enim advertunt eò quoque fieri filios Dei, quo esse incipiunt* in novitate spiritus 2. *Cor.* 4. & renovari in interiorem hominem secundum imaginem ejus, qui creavit eos. *Col.* 3. *non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit à remissione peccatorum.* Et ibid. *Intrinsecus exuimus veterem hominem & induimus novum, quoniam ibi* deponimus mendacium & loquimur veritatem *& cetera quibus Apostolus explicat quid sit,* exui veterem hominem, & indui novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. *Eph.* 4.

Et de Gen. ad literam lib. 6. cap. 24. *Quomodo* renovari 2. Cor. 4. *dicimur, si non recipimus hoc, quod perdidit primus homo,* in quo omnes moriuntur 1. *Cor.* 16. *Hoc planè recipimus secundùm quendam modum. Non immortalitatem spiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recipimus justitiam ex qua per peccatum lapsus est homo.*

* * *

§. IV.

§.IV. Alterum testimoniorum genus de concupiscentia, non nisi impropriè cum Paulo peccatum appellata.

S Chrysostomus hom.17.in Matthæi cap. 5. *Non simpliciter dixit, qui concupiverit, sed* qui viderit mulierem ad concupiscendum, *id est, qui concupiscentiam sibi videndo consciverit, quique nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subitò immiserit. Hoc enim non jam naturæ, sed propria est desidia.* Et hom.11. in epist. ad Rom.6. *cum dixisset:* ut deleatur corpus peccati, *tum addidit,* ut ne amplius peccato serviamus, *huic enim ipsum volo esse mortuum; non quidem, ut deleatur, & moriatur: sed ut ne peccet. Et progressus manifestius, adhuc illud reddidit:* qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. *De quolibet homine hoc ait, quod quemadmodum qui è vita discessit, in posterum peccato liberatur, mortuus cum jaceat, sic & is, qui à baptismo descendit. Quandoquidem enim, illic semel mortuus est, peccato omnino mortuus maneat oportet, &c.* Peccatum enim vobis amplius non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia. *Si igitur non amplius nobis dominaturum est peccatum, quâ tandem causa tot tantaque præcipit, atque interdicit: dicens:* ne regnet peccatum in mortali vestrò corpore: & ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? &c. *Mihi videtur Paulus non omnem hominis fidelis vitam significare, sed comparationem facere baptismatis ac legis, id quod & alibi ait, his verbis* 2. Cor.3. litera quidem occidit, spiritus autem vivificat. *Nam ipsa quidem lex redarguit prætergressionem, gratia autem hanc tollit. Quemadmodum igitur illa* redarguens constituit peccatum; sic hæc concedens non *sinit esse sub peccato, quo fit, ut duplici ratione hac tyrannide liberatus, partim quòd sub lege non amplius sis, partim quod gratia potitus sis.* Et hom.13 ad Rom.7. Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum. Porrò si quod non volo ego facio, jam non ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. *Vides, ut tum anima, tum carnis naturam criminibus liberans, omnem culpam in sceleratam transtulit actionem. Nam si anima à malo abhorret, liberata illa est, & si id minimè perpetrat, liberatur & corpus, ac quæcunque culpa est, ea omnis voluntatis est.*

S. Hilarius in Psal. 118.v.28. Viam iniquitatis amove à me. *Promptum,* inquit, *erat dicere, iniquitatem amove à me, sed viam peccati, quæ ad peccatum pergere promptum est, amoveri à se*

depreeatur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ vel ignorantiæ, quâ tanquam per viam ad peccatum itur, ingruere.

D. Ambrosius in Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare. *Si irascimini,* inquit, *nolite peccare; sed vincite ratione iracundiam.* (Ita videlicet, non peccabitis irascendo.) Sed cum D. Augustino inprimis nitantur Adversarii, quod is concupiscentiam nonnunquam peccatum vocet. Ille potissimum nobis hoc loco audiendus est, ut constet, quo id sensu faciat.

D. Augustinus in expositione epist. ad Rom. propos. 47. Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Jesu. *Rom. 8. satis ostendit condemnationem non esse, si existant carnalia desideria, sed si eis ad peccandum obediatur,* similia habet ibidem *propos. 17. & Exposit.* ad Gal. c. 5. *Et contra duas epist.* Pelag. lib. 1. c. 10. Nulla ergo damnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu, *non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum* Idem de *peccat. mer. & remis.* lib. 2. c. 22. *Nobis pudendum, quod imperio nostro caro non servit; quia hoc fit per infirmitatem, quàm peccando meruimus, vocaturq;* peccatū habitans in membris nostris *Rom. 7. Sic est autem hoc peccatum, ut sit pœna peccati.*

Et contra Julianum lib. 2. circa finem. *Cum Apostolus clamet:* scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. *Ecce quantam nos pugnam cum mortuis habere peccatis ille strenuus Christi miles & fidelis Ecclesiæ Doctor ostendit, &c. Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum, &c. Quantum ad nos attinet sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed in quibus ab ipso rebellante, si non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, unde quotidie dicamus,* & dimitte nobis debita nostra. *Matth. 6.* Contra eundem *lib. 6. cap. 11.* Jam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum. *Rom. 7. Iam enim motus desideriorum malorum, non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine, quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam; quia peccato facta est, & si consentientem* traxerit, atque illexerit, concipit paritque peccatum *Iac. 1.* Confirmat idem *lib. 1. Retract. cap. 15.* (ne quis dicat, sibi non constitisse Augustinum) *Hoc* peccatum, *de quo sic locutus est Apostolus, ideò peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est, quando-*

quidem

quidem de concupiscentia carnis dicitur. Neque retractavit illud' *quod in lib. 1. cap. 23. de nuptiis & concupiscentia* dixerat. *Si non fit' quod scriptum est,* non concupisces. *Exod.* 20. (ubi latè hoc mandatum sumit) *fiat saltem quod alibi legitur* : post concupiscentiás tuas non eas. *Eccli.* 18 *&c. Sic autem* (concupiscentia) *vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum* : *sicut vocatur lingua locutio , & manus vocatur scriptura, quam facit manus.*

Quare quidquid denique ex Augustino & D. Paulo adduxerint adversarii locorum, ubi concupiscentia peccatum dicitur. Nunquam hæc evertisse ostendent. cum ex causa effectuq; tum etiam ex natura sua, materialiter (ut sic dicam) & bruto more ad peccatum inclinat, peccatum appellari queat: neq; inde consequatur, tale formaliter, citra consensum, dicendã esse.

§. V. Ex Protestantium confessione patet, veteris orthodoxæ Ecclesiæ Patres favere Romanis.

CAlvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 3. §. 10. Consentiunt omnes manere in homine regenerato mali fomitem. Neque opus est multum investigando laborare, quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnaque diligentia omnes sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis certi habere volent. Porrò inter illum & nos hoc discriminis videri potest interesse, quod ipse quidem, cum fideles concedat quamdiu in corpore habitant, sic illigatos teneri concupiscentiis, ut non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare (*proprie dictum*) non audet; sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consensus ad conceptionem accedit, hoc est, quando primæ appetitioni cedit voluntas, nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur: imò ipsam pravitatem, quæ ejusmodi cupiditates nobis degenerat, asserimus esse peccatum.

Hæc Calvinus, qui cum Augustinum veterum sensu Patrum concedit universè loqui, concedit eosdem quoque suæ isti sententiæ adversari: simulque illas, quas deinde in oppositum adducit ex Augustino sententias, contrarium non evincere, nisi ipse hæc statuens Calvinus contradictionis sit arguendus.

Magdeburgenses Centuriat. sic habent de primo ab Apostolis seculo *Cent.2.cap.*4 edit.ult p.45 *De lib. arbit.* Nullus ferè doctrinæ locus, qui tam citò obscurari cœperit, atque hic de libero arbitrio, ac virium humanarum potestate post lapsum, & hæc obscuratio corruptelas varias traxit, ut extenuationem peccati originalis & depravationem doctrinæ de merito Christi, &c. Speciatim quoque de Chrysostomo habent *Cent.*5.*c.*4. p.280. Periculosè admodũ Chrysostomus de efficacia baptismi loqui videtur, Hom.40.in cap.15.epist. ad Corinth. *solus Deus peccato liberare potest, quod in isto regenerationis lavacro facit. Mentem gratia tangit; hinc radicale peccatum evellit, &c.*

ARTICULUS XII.

CRedimus ex hac corruptione & damnatione universali, in qua omnes homines naturâ sunt submersi, *a* Deum alios quidem eripere, quos videlicet æterno & immutabili suo consilio, solâ sua bonitate, & misericordia, nulloque operum ipsorum respectu in Jesu Christo elegit: *b* alios verò in ea corruptione & damnatione relinquere, in quibus nimirum justè suo tempore damnandis, justitiam suam demonstret, sicut in aliis divitias misericordiæ suæ declarat. Nec enim alii sunt aliis meliores, donec illos Deus discernat, ex immutabili illo consilio, quod ante seculorum creationem in Jesu Christo determinavit, neque posset quisquam suavi sibi ad bonum illud aditum patefacere, cùm ex natura nostra, *c* ne unum quidem rectum motum, vel affectum, seu cogitationem habere possimus, donec nos Deus gratis præveniat, & ad rectitudinem formet.

a *Rom.*9.*v.*23.*Eph.*1.*v.*4. & 2. *Tim.*1. *v.*9. *ad Tit.* 3. *v.*4.
b *Exod.*9.*v.*16.*Rom.* 9.*v.*11.15.19.22.&*Tim.*2.*v.*20.c *Ierem.* 10.*v.*23.*Eph.*1.*v.*4.& 4.

ARTICULUS XIII.

CRredimus quidquid ad salutem nostram requiritur, nobis in uno demum illo Jesu Christo offerri & communicari, ut qui cum nobis servandis sit datus, *d* simul etiam sit nobis factus sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio, adeò ut quicunque ab eo declinat, misericordiæ Patris, id est unico refugio nostro renuntiet.

ARTI-

d 1.*Cor.*1.*v.*30 *Eph.*1.*v.*6.&7.*Colos.*1.*v.*13.&14.*Tit.*2.*v.*1.14

ARTICULUS XIV.

CRedimus Jesum Christum, sapientiam *e* & filium æternum Patris, *e* naturam nostram assumpsisse; ita ut una sit persona Deus & homo; homo, inquam & corpore & anima passibilis, *f* nobisque per omnia excepto peccato similis, utpote cujus caro *g* sit verè semen Abrahæ & Davidis, *h* quamvis arcana & incomprehensibili Spiritus S. virtute fuerit suo tempore in utero Beatæ illius Virginis Concepta. Ac proinde omnes illas hæreses, quibus olim turbatæ sunt Ecclesiæ, ut illi veritati contrarias detestamur, ac nominatim quidem diabolicas Serveti imaginationes, Domino nostro Jesu Christo imaginariam Deitatem tribuentis: ut quem videlicet dicat ideam fuisse & exemplar omnium, & filium Dei personatum, sive figurativum appellat: denique corpus ei fabricantis ex tribus increatis elementis compactum, ac proinde utramque naturam miscentis, & destruentis.

e *Ioh.1.v.14.Phil.2.v.6.* f *Heb.2.v.17.& 4.v.15. & 2. Cor.5.v.21.Phil.2.v.7.* g *Act.13.v.23.Rom.1.v.3.& 8.v.3.cap. 9.v.5.* h *Matt.1.v.18.Luc.1.v.35.*

ARTICULUS XV.

CRedimus *i* in una persona, quæ est Jesus Christus, verè & inseparabiliter duas illas naturas sic esse conjunctas, ut etiam sint unitæ: manente tamen unaquaque illarum naturarum indistincta proprietate, ita, ut quemadmodum in ista conjunctione, divina Verbi natura, proprietates suas retinens, mansit increata, infinita, *l* & omnia replens, sic etiam natura humana mansferit mansuraque sit in æternum finita, suam illam naturalem formam, dimensionem, atque adeò proprietatem habens, cui nimirum veritatem humanæ naturæ non ademerit resurrectio, & glorificatio, sive assumptio, ad dexteram Patris. Itaque sic Christum consideramus in sua Deitate, ut ipsum sua humanitate non spoliemus.

i *Matt.1.v.23.Luc.1.v.35. Ioh.1.v.14. & 1.Tim.2. v.5.& cap.3.v.16.* l *Luc.24.v.38.Rom.1.v.4.Phil.2.v.9.*

ARTICULUS XVI.

CRedimus *m* Deum immensam suam in nos charitatem, ac bonitatem

m *Ioh.3.v.16.& 15.v.3.*

bonitatem in eo demonstrasse, quod filium miserit, qui moreretur & resurgeret, & justitiam omnem impleret, ut nobis cælestem vitam acquireret.

ARTICULUS XVII.

Credimus *n* eo unico sacrificio, quod Jesus Christus in cruce obtulit, nos esse Deo reconciliatos, *o, ut pro justis reputemur coram ipso, quoniam non possimus ipsi esse grati, neque adoptionis nostræ fructu potiri, nisi quatenus peccata nobis ignoscit.* Itaque testamur *p Iesum Christum esse integram, & perfectam nostram ablutionem, in cujus morte plenam satisfactionem nanciscimur, quâ liberemur ab omnibus peccatis, quorum rei sumus, & à quibus absolvi alio remedio non possumus.*

n 2. *Cor.* 5. *v.*18. *Heb.* 5. *v* 7.8.9. o 1. *Pet.* 2. *v.*24.25. p *Hebr.* 9. *v.* 14. 1. *Pet.* 1. *v.* 18.19.

ARTICULUS XVIII.

Credimus q *totam nostram justitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione*, quæ sit etiam, ut testatur David, unica nostra felicitas. Itaque r *ceteras omnes rationes, quibus homines existimant, se coram Deo posse justificari planè repudiamus, omnique virtutum & meritorum opinione abjecta, in sola Iesu Christi obedientia prorsus acquiescimus, quæ quidem nobis imputatur, tum ut tegantur omnia nostra peccata*, tum etiam ut gratiam coram Deo nanciscamur. Denique credimus non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire ubi quiescamus, sed potius inquietos semper fore, quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certò nobis sit persuasum, nos in Jesu Christo diligi, quoniam in nobis ipsis omni odio digni sumus.

q *Psal.* 32. *v.* 1. *Rom.* 4. *v.* 7.8. 2. *Cor.* 5. *v.* 19.20. r *Act.* 4. *v.* 12. *Rom.* 5. *v.* 19. & 1. *Tim.* 2. *v.* 5 & 1. *Iohan.* 2. *v.* 1.

§. I. Reformatio artic. 17. & 18.

Credimus, *a* quod *credentibus in eum qui justificat impium fides reputetur ad justitiam*, & *b* quod *Deus nos sibi reconciliet per Christum, non imputans nobis delicta nostra, sed ipse pro nobis peccata sustinens, ut nos justitiam Dei in ipso accipiamus.*

a *Rom.* 4. *v.* 5. b 2. *Cor.* 5. *v.* 18.19.

mus. c *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constitui sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* d *Non quidem ex operibus* justitiæ, *quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis, & renovationis spiritus S. quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratia ipsius heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* e *Christus enim factus est pro nobis justitia, sanctificatio, & redemptio;* quia f *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &* g *per sanguinem illius effusum in redemptionem nostram habemus remissionem peccatorum: cum* h *emundet nos ab omni peccato.* Ita, ut i *charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis, & ex multis delictis gratia abundet in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ, accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum;* qui l *dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* m *Eramus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, quare ut filii lucis ambulemus. Fructus autem lucis est in omni bonitate justitiæ, & veritate.* adeò ut n *nulla maneat participatio justitiæ cum iniquitate, nulla societas luci cum tenebris,* nam o *in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis. Renovamini igitur* (Monet Paulus p) *Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, & deponentes mendacium, nolite locum dare diabolo; nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis, tollatur à vobis omnis malitia* q *ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.*

c *Rom* 5.*v*.19. d *Tit* 3.*v*.5. e 1.*Cor*.1.*v*.30. f 1.*Ioh*.2.*v*.2. g *Col*.1.14. h 1.*Ioh*.1.*v*.7. i *Rom*.5.*v*.5.& 15. l *Eph*.5.*v*.25. m *Ib*. *v*.5. n 2.*Cor*.6.*v*.15. o *Sap*.1.*v*.4. p *Eph*.4.*v*.23. q *Eph*.5. *v*.2.

§. II. OBSERVATIO.

IN superioribus articulis, si 2. ultimos exceperis, nihil est, quod orthodoxæ fidei repugnet: neque enim improba illa Calvini multorum reprobatio adstruitur, neque alterum dogma impium, quod pro omnibus mortuus non sit ille (negata quibusdam mediorum ad salutem sufficientia) *qui vult omnes salvos fieri, & neminem perire,* 1. Tim. 2. defenditur. Quare hunc solum per manifestas scripturas errorē planè fœdū corrigimus,

qui remissionem peccatorum nostrorum in sola obvelatione eorum à justitia intrinseca ipsius Christi per fidem apprehensa, ideoque nobis imputata constituit, & in ejusmodi remissione nostram justificationem collocat, propter quam Dei gratiam, seu favorem externum tantùm mereamur: ut si dealbatum Æthiopem dicerem, qui sub candido laritaret velo, fimum purgatum sub nive, ulcus sanatum, quod emplastro tegitur, ideoque hæc omnia grata esse in oculis utraque penitus inspicientium. Mirum verò est, hanc fundamentalem plurimarum assertionum doctrinam, extra omnem Scripturam S. quæ tam monstrosæ justificationis descriptionem nullibi iisdem expressè vocibus promit, neque infallibili consequentiarum robore stabilit, à quoquam veritatis salutisque amante defendi. *Non imputantur nobis peccata*, licet commissa quondam, cum per vivam in Christo fidem & pœnitentiam abolita sunt; *imputantur Christo* licet innocenti, cum ille luenda suscepit, *fides viva imputatur ad justitiam nobis*, quia illius initium est ac fundamentum, & quidem homini intrinsecum; ut hæc ipsa veritas extrinsecam Novatorum justitiam destruat, ab homine justificato extraneam, & in Christo positam, multòque id magis eminet, tot scripturis disertissimè justitiam salutiferam, non legalem solùm aut imperfectam (ut loquuntur adversarii) ipso in homine collocantibus. Si enim *ita* per *obeditionem Christi* multi *justi* constituti sunt, *sicut* per *inobedientiam Adami injusti*, quis neget justitiam illorum non imputatam solum, sed intrinsecam esse, ut injustitia in posteris Adami est? paritas hæc utrimque requiritur. Iterum, quomodo potuimus *regenerari*, *& renovari per effusum in nos Spiritum S.* sine intrinseca illius receptione, atque immutatione? an potest aliquid regenerari sine novæ cujusquam rei in ipso productione? an renovari, sine abstersione saltem contractæ labis? *Si Christus nostra justitia & sanctificatio, & redemptio & propitiatio est*, scriptura modum quo sit indicat, non utique per imputationem (sic enim nequit esse nostra redemptio) sed efficienter, *per effusionem sanguinis sui in redemptionem nostram*, per quem *emundat nos à peccato, abundantiam gratiæ, & justitiæ, & charitatis nobis donat*, nosque accipimus. Et ne imperfecta hæc esse dona sentias; adeò sanctificat animam, ut, *sine ruga, aut macula ulla peccatorum, sancta & immaculata* reperiatur, *tenebræ nulla remaneant*, imò remanere omnino non possint quæ lucem eripiant, seu tollant gratiam, amicitiam

citiam cum Deo solvant; quod *nulla sit participatio iustitiæ cum iniquitate*, quæ hostem ex amico facit, idemque simul esse conversus & aversus Deo nequeat. Deniq; requiritur novus homo, qui secundum Deum in justitia & sanctitate creatus sit, ideoque per hanc intrinsecè, juxta imaginem Dei, reparatus; cum *in dilectione* ambulare iubeatur, *sicut Christus nos dilexit*.

Neque verò quicquam favent illæ Apostoli voces 2. *Cor. v.* 21. *quod Christus pro nobis peccatum factus sit, ut nos efficeremur iustitia Dei per ipsum*. Ex quibus si arguas, nobis imputari iustitiam, licet intrinseca corruptione iniusti simus; sicut Christo peccatum, licet intrinseca virtute iustus manserit: retorquebo argumentum, dicamque ergo vel Christum per hoc verè peccatorem, filiumque Diaboli per imputationem peccati; sicut nos verè iusti filiique Dei (per talem iustitiam extrinsecam, iuxta Adversarios) dici posse; vel neutram partium ab extrinseca hac denominatione, vere proprieque (ut nos sentimus) iustam, aut improbam appellari: Quidquid hic discriminis attulerint, non sufficiet ad tantam utriusque dominationis constituendam differentiam, ut cum in uno propria sit, in altero tamen debeat impropria censeri. Quare, ut peccatum nostrum Christo imputatur, quoad debitum satisfactionis in se receptum; ita vicissim Christi iustitia nobis imputatur, quoad satisfactionem (cui præstandæ impares fuimus) pro nobis Deo exhibitam: & sicut nobis propria fuit, mansitque iniustitia, ita Christo sua est manetque propria justitia: rursumque, ut nostra iniustitia, non formalis, sed effectiva causa est pœnarum Christi; sic huius iustitia, non formalis, sed effectiva causa est, donorum gratiæ & justificationis nostræ. Quæ distinctio vbi semel animo impressa fuerit, facilè intelligimus, ex quo fonte nobis justitia Christi, tanquam nostra imputari dicatur, nosq; à Christo gratis etiam justificemur, qui remissionem peccatorum, omnemque justitiæ gratiam, per illius sanguinis effusionem, velut causam efficientem, aut meritoriam possidemus.

Sed imperfecta, inquiunt, nostra iustitia est, quæ coram divino iudicio, neq; sanctificare nos plenè, neq; salvare poterit, Fateor, si hæc à donis & gratia Christi separetur, inanis est: cum his juncta sufficiens. Sic enim inquit, magnus assertor veræ iustitiæ, *omnia possum in eo, qui me confortat*. Phil. 4. satis est, quod *iustificati gratia ipsius heredes simus vitæ* Tit. 3. *& consortes divinæ naturæ* 2 *Pet*. 1. Verum hoc aiunt erit sibi nimium tribuere, derogare Deo. Paulo monente, *quid habes, quod non accepisti? si*

 autem

autem accepisti, quid gloriaris? Rectè Paulus, sed isti perperam. nam *cum gloriamur, in Domino gloriamur.* Qui dixit, *ego sum vitis, & vos palmites,* idem dixit, *palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite:* non tamen suum negavit succum palmiti, suum viti, licet ab hac suum ille traheret, eique ut principio deberet. Planè dignam non concedit virtutem viti, qui hanc negat, suam in palmitem vim succumque posse transfundere, sed hunc aridum relinquit, illi vigorem omnem communicat. Magna vitis imbecillitas est non posse in propaginem transferre, quod sibi communicatum est. Sic res habet in Christo, enervant virtutem meritorum justitiæque ipsius, qui hanc transfundi ad regeneratos fideles per Christum posse negant; sed alienarũ tantum sordiũ velamentum indignissimũ faciunt, & plus ad propagandã in posteris injustitiã tribuunt peccato delinquentis Adami, quàm ad justitiã cõmunicandam virtuti patiẽtis Christi.

§. III. S. orthodoxæ Ecclesiæ Doct. ex S. Script. reformant.

D Ambrosius in Epist. ad 2. Cor. 5. *ubi Paulus ait*, quod in Christo nova creatura simus, & Deus nos sibi reconciliarit per Christum: *quicunque* inquit, *in Christo baptizantur, Christum induunt. Itaque si in forma baptismi, & traditione manserimus exspoliati corpore non nudi invenimur, quia in interiori homine habitat Christus.*

S. Chrysostomus in Epist. ad Ephes. 5 hom. 18. *in verba*: eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. *sicut vulnus,* inquit, *quamdiu supernè tectum delitescit, & per ima excurrit, non curationem. Quamdiu quidem occultatur, tanquam in tenebris latet magna securitate, postquam autem fuerit manifestum, fit lux, & non manet peccatum. Quando ductus pœnitentia est, & remissionem assecutus, nonne expurgata sunt tenebræ, & vulnus curatum?* (Et paulò post) Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Dormientem & mortuum dicit eum, qui est in peccatis. Tetrum enim odorem spirat ut mortuus; nec potest operari, ut qui dormit, & nihil videt Discede à peccatis, & poteris videre Christum:* nam qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, *sed hoc non solum dicit, de incredulis: nam multi ex fidelibus non minus sectantur vitium, quàm infideles. & sunt etiam qui multò magis, & ideò necesse est eis dicere:* expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Hoc quoque convenit eis dicere.* Deus non est mortuorum, sed vivorum. *Si ergo non est Deus mortuorum, vivemus.*

Id hom. 3. de pœn. inquit. *Deus cum deleverit iniquitates*

Ps. 50.

ps.50. sic delet, ut neq; cicatrix neque cicatricis supersit indicium, non vestigium quodquam; sed & cum sanitate decorem elargitur. Post pœnæ liberationem, iustitiam inserit, & peccantem æquat non peccanti.

D. Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 11. *Tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis, gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adiuvet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia*, diffundendo charitatem in cordibus nostris per spiritum S. qui datus est nobis Rom. 5. *neque consideras eum, qui dicit*: video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, *& ab hoc malo, non se liberari clamat*, nisi gratia Dei per Jesum Christum Rom. 7.

Idem Epist. 105. ad Sixtum, *Post remissionem peccatorum nisi mundatam domum habitet spiritus S. nonne cum aliis septem redit spiritus immundus, & erunt novissima hominis illius peiora, quam erant prima? ut autem habitet spiritus S.* nonne ubi vult spirat, & charitas Dei, *sine qua nemo bene vivet* diffunditur in cordibus nostris? *non à nobis*, sed per spiritum S. qui datus est nobis Rom. 5.

Idem de *spiritu & litera* cap. 9. Justitia (*inquit Apostolus*) Dei manifesta est. Rom. 4. *non dixit, iustitia hominis, vel iustitia propria voluntatis, sed iustitia Dei, non quâ Deus iustus est, sed quâ induit hominem, cum* iustificat impium Rom. 4. Et Epist. 120. ad Honoratum cap. 20. *Hac* inquit, *iustitia, quâ nos Dei munere iusti sumus, significatur in psalmo illo 35. ubi scriptum est*, iustitia tua sicut montes Dei, *montes quippe Dei sancti eius sunt* &c. *sicut ergo quod legitur.* Domini est salus ps. 3. *non ea salus intelligitur, quâ Dominus salvus est, sed quâ salvi sunt, quos ipse salvos facit, sic et legitur* Dei iustitia, *in eo quod scriptum est.* Rõ. 10. ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere: *non est illa intelligenda quâ Deus iustus est; sed quâ iusti sunt homines, quos gratia sua iustificat. Inde enim salvi, unde iusti.* Idem *de spiritu & lit. cap.* 27. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. & *ideo quia non est distinctio.* egent gloria Dei justificari gratis per gratiam ipsius. *Ro.* 3. *qua gratia in interiore homine renovatio iustitia scribitur, quam culpa deleverat.* Et ibid. cap. 32. Charitas quippe Dei dicitur diffundi in cordibus nostris, *Rõ.* 5. *non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores, sicut* iustitia Dei, *quâ nos iusti eius munere efficimur. &* Domini salus, *qua nos salvos facit, &* fides Jesu Christi, *qua nos fideles facit. Hac est* iustitia Dei, *quam non solum docet per legis præceptum*,

verùm etiam dat per spiritus donum. Idem de *peccatorum meritis & remissione. cap.* 9. In hæc verba 1. Cor. 15. v. 28. sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. *Sicut*, inquit, *ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis; sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentia sua, tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes.* Et ibid. cap. 10. *Legimus* iustificari in Christo, qui credunt in eum Gal. 2. *propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis quâ quisquis* hæret Domino, vnus est spiritus. 1. cor. 6. Idem de natura & grat. cap. ultimo. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est, charitas provecta, provecta est iustitia. charitas magna, magna est iustitia, charitas perfecta, perfecta est iustitia; sed* charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta 1. Tim. 1 *quæ tunc maxima est in hac vita quando pro illa ipsa contemnitur vita. Sed miror, si non habet quò crescat, si de mortali cesserit vita. Vbicunque autem & quandocunque ita plena fit, ut ei non sit quod adiiciatur, non tamen* diffunditur in cordibus nostris, *vel natura, vel voluntatis opibus quæ sunt in nobis; sed* per spiritum S. qui datus est nobis, *qui & infirmitati nostræ opitulatur, & sanitati cooperatur. Ipsa est enim* gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Hæc ex Patribus, atque Augustino in primis (quo frustra gloriatur) ad cognoscendam illam, quam ex S. scriptura pronunciant, sententiam, sufficere iudico. Quæ verò ex parte opposita producuntur Patrum testimonia, iustitiam nostram, vel remissioni peccatorum, vel iustitiæ Christi tribuentia, nihil veritati à nobis traditæ officiunt: cùm utraque ad perfectam iustitiam requiratur. Nam, sine remissione peccatorum, gratiæ divinæ iustitiæque sanctificantis incapaces sumus: nec eandem promeremur, sine iustitia satisfacientis Christi, quæ nobis ita imputatur; ut nos, velut per illam à nobis profectam, satisfecisse Deo, gratiamque iustificantem (quâ in pristinum iustitiæ, ab Adamo possessæ, statum restituimur) promeriti videamur, ideoque per illam gratis, sine nostrorum operum meritis, non formaliter, verùm efficienter, iustificamur. Nimis enim ridicula, Deoque & hominibus probrosa, illa palliata iustificatio est, quâ cum purissima Christi iustitia impurissimæ vitiorum in peccatoribus sordes, tanquam chimæra quædam ex repugnantibus inter se rebus, componuntur.

§. IV.

§. IV. Protestantes suismet testimoniis ex Patribus erroris arguuntur.

PRæpostera in hoc articulo de justificatione (quo sequentes duo spectant) Novatorum querela est, quod primorum seculorum Patres hic plerique à veritate deflexerint; cùm de suo errore queri, atque erubescere deberent, quod ipsi adeò temerè veterem Ecclesiam deserant, veritati constanter insistentem.

Melanchthon queritur in 1. Cor. 3. quod *statim initio scriptores veteres obscurarint doctrinam de iustitia fidei.*

Calvinus lib. 3. Inst. cap. 11. §. 15. postquam Augustinum rectius de justificatione loquentem, præ Lombardo probasset: denique subiicit. Ac nec Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio, per omnia recipienda est. Tametsi enim egregiè hominem omni justitiæ laude spoliat, ac totam Dei gratiæ transcribit, *gratiam tamen ad sanctificationem refert, quâ in vita novitatem per Spiritum S. regeneramur.*

Pareus *lib. 2. de iustificat.* fateor, *inquit*, in Patrum libris, quos habemus nonnulla legi, quæ sententiæ (Bellarminianæ) favere videntur.

Brigtmannus *in Apocalyp.* cap. 14. v. 2. concedit Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, *modo iustitiam per unum Christum prædicasse, modò etiam tribuisse operibus.*

Centuriatores idem sentiunt. Nam *centur. 3. cap. 4 p. 55.* Incommodiores Patrum sententias, ajunt, indicabimus, & videtur magna ex parte hunc summum articulum de justificatione obscuratum esse. Justitiam enim coram Deo operibus tribuerunt & inter legalem justitiam, & evangelicam ferè nihil discriminis perspicuè ostenderunt. Ex *Methodio* Serm. de *Resur. lib. 2.* hæc verba recitant. *Impotentiã naturalis boni Deus recuperavit misso filio, peccato ad interitum condemnato, ut non amplius fructificaret in carne iustificatio naturalis legis, & impleretur redundans obedientia, in his qui non secundùm concupiscentiam carnis ambulant, sed secundùm concupiscentiam spiritus eiusque ductum.* Ubi per naturalis legis impletionem intelligit naturæ per gratiam instauratæ opera, cùm ea juxta ductum spiritus S. exerceri tradat. Inducunt & p. 56. *Originem* Hom. 24. in Num. quod *Conversio sit opus quoque nostrum*, cùm *regnum Dei intra nos sit*. Et p. 57 *Cyprianum* lib. 1. Epist. 12. de baptismo his verbis allegant.

Oportet mundari & sanctificari *aquam prius à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere: quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, & aspergam super vos aquam mundam.* Ubi inquiunt Centuriat. Et hoc affirmare audet, *quod persona baptizans spiritum S. conferat, & baptizatum intus sanctificet.* Quę aliis deinde locis confirmant, nobis hæc pauca suffecerint.

De quarto Augustini seculo leviores Centuriatorum de doctrinæ huius inclinatione querelæ non sunt. Sic habent *Cent.* 5. c. 4. p. 276. Operibus de justificatione & acceptatione hominis coram Deo, etiam nimium tribuunt huius seculi Doctores. Interdum quidem satis commodè loquuntur, interdum verò quasi obliti sui, in opera toto impetu delabuntur. Ex *Chrysostomo* hæc recitant. Hom. 48. in Ioh. c. 7. *Amplectamur iustitiam, cuius legem nullo pacto transgrediamur. Quem enim ex præsenti vita fructum reportabimus, nisi hinc virtute præditi migraverimus? Sola anima virtute opus est, ipsa nos salvos facere, & sempiterno igni liberare sola poterit, ipsa nos ad cœlorum regnum transmittet. a.* Et Hom. 5. in cap. 1 Mat. *Vnusquisq; nostrûm, nulla in re alia spem suam, nisi post Dei misericordiam, in morum sanctitate constituat.* Ex Sedulio subijciunt, in cap. 4. ad Rom. *Iustificat Christus eos tantummodo qui novam vitam exemplo resurrectionis eius susceperunt, & vetusta iniustitiæ & iniquitatis indumenta, velut causam mortis, abijciunt.* Hæc aliaque testimonia Centuriatores, adversus doctrinam suam ex veteri orthodoxa Ecclesia coguntur promere. De Augustino tamen altum hoc loco silentium est: adeò omnes hunc magis amicum optant, quam habent. Inconstantiam quam hoc loco tribuunt Patribus, figmentum est. Justitia rectè uni Christo, tanquam causæ meritoriæ, ab illis tributa est; cùm per hunc solum peccatores, & gratis quidem justificentur, Unde cum eam nostris operibus, vel in alio genere causæ, vel in homine jam ante justificato tribuunt, & secum & nobiscum orthodoxè sentiunt.

DE FIDE
ARTICULUS XIX.

CRedimus *a.* nos hac una ratione libertatem obtinere Dei invocandi, certâ cum fiduciâ, futurum, ut sese nobis Patrem

a. Rom. 5. v. 10. & 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. Eph. 3. v. 12.

trem demonstret. Nec enim ullus nobis ad Patrem aditus, nisi hoc mediatore, patet: Atque ut in eius nomine exaudiamur, convenit, ut ab eo vitam nostram, tanquam à capite nostro, teneamus.

ARTICULUS XX.

CRedimus nos *b. sola* fide fieri hujus justitiæ participes, sicut scriptum est, ipsum passum esse acquirendæ nostræ saluti, ut quicunque crediderit in eum non pereat. *c.* Hoc autem ideò fit, quod promissiones vitæ, nobis in ipso oblatæ, tunc usui nostro applicantur, & nobis redduntur efficaces, dum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obventura, de quibus ore Dei certiores simus. *d.* Itaque justitia, quam fide obtinemus, pendet à gratuitis promissionibus, quibus nos à se diligi Deus declarat, & testificatur.

b. *Rom.* 3. *v.* 27. *Gal.* 2. *v.* 16. *&* 3. *v.* 24, *Ioh.* 3. *v.* 15. *&* 16. c. *Mat.* 17. *v.* 20. *Ioh.* 3. *v.* 16. d. *Rom.* 1. *v.* 17. *&* 3. *v.* 24. 25. 28. 29.

ARTICULUS XXI.

CRedimus *e.* nos arcana Spiritus S. gratia donari fidei lumine, quæ sit gratuitum Dei Donum, & unis proprium, quibus Deo libuit illud tribuere; ut non habeant fideles, de quo in seipsis glorientur, cum potius duplo sint obligatiores, quod cæteris præferantur. Sed & illud credimus *fidem electis dari, f.* non ut semel tantùm in rectam viam introducantur; quin potius: *ut in ea ad extremum usque pergant.* quia, *g.* sicut à Deo initium est, ita etiam complementum.

e. *Eph.* 1. *v.* 18. *&* 2 *v.* 8 *&* 1. *Thess.* 1. *&* 2. *Petr.* 1. *v.* 3. f. 1. *Cor.* 1. *v.* 8. *Rom* 11. *v.* 29. *Iuda* 3, g. *Phil.* 1. *v.* 6. *&* 2. *v.* 13.

Catechismi Heidelbergensis quæstio 21.

QUid est vera fides? *Resp.* Est non tantum certa notitia, quâ firmiter assentior omnibus, *i.* quæ Deus nobis in verbo suo patefecit; sed etiam *certa fiducia,* l. à Spiritu S. per Evangeliũ m. *in corde meo* n. *accensa,* quâ in Deo acquiesco, *certò statuens,* non solum alijs, sed *mihi* quoq; remissionem peccatorũ,

h. *Iac.* 2. *v.* 19. *Luc.* 8. *v.* 13. i. *Act.* 24. *v.* 14. l. *Hebr* 10. *v.* 1. *Rom.* 4. *v.* 20. *Eph.* 3. *v.* 12. m. 2. *Cor.* 4. *v.* 13. *Rom.* 10. *v.* 17. n. *Rom.* 10. *v.* 10.

aeternam justitiam, & vitam donatam esse, o idque gratis ex Dei misericordia p propter unius Christi meritum q.

o 2. *Reg.* 12. *v.* 13. *psal.* 102, *v.* 3. *Mat*, 9. *v.* 2. *Rom.* 10. *v.* 9. *Gal.* 2. *v.* 20. & 2. *Tim.* 4. *v.* 8. p. *Eph.* 2. *v.* 8 & 9. q. *Eph.* 1. *v.* 7. *Col.* 1. *v.* 14.

§. 1. Reformatio art, De Fide.

CRedimus hinc *esse vitam aeternam, quòd cognoscant* (homines) *solum Deum vivum, & quem misit Iesum Christum.* a *Nam qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se, & hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis.* b *quia in illo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius, qua superabundavit in nobis.* c *Gratia enim salvati sumus per fidem, & hoc non ex nobis. Dei, enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* d *Quod si igitur ore tuo confitearis Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris,* e si (ut Abram) *in promissione Dei non hasitaveris diffidentiâ, sciens quia quacunque promisit Deus potens est & facere: id enim reputabitur tibi in justitiam.* f *In Christo eim habemus fiduciam & accessum in confidentia, per fidem eius, &c. In charitate radicati & fundati* g Ita tamen, ut simul *cum metu & tremore salutem nostram operemur,* h memores illius Davidici. *servite Domino in timore, ne fortè pereatis de via justa.* & Paulini: *Tu fide stas, noli altum sapere; sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte tibi parcat.* l Nam *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, quoniam mandata eius custodimus, & hoc mandatum eius sit, ut credamus in nomine filii eius, & diligamus alterutrum.* m tamen *cum averterit se justus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur.* n Quocirca *qui stat, videat ne cadat.* o sed cum David ex lapsu erecto precetur: *Ne proijcias me à facie tua, & spiritum S. tuum, ne auferas à me* p Nam & Nicolaus Antiochenus, *qui plenus erat spiritu sancto & sapientia* q & Simon Magus, qui *credidit & baptizatus adhaerebat Philippo,* r & *quidam alij circa fidem naufragarunt, in quibus fuit Hymenaus & Alexander* s & *surgent pseudopropheta*

a *Ioan.* 17. *v.* 3. b 1. *Ioan.* 5. *v.* 10. c *Eph.* 1. *v.* 7. d *Eph.* 2. *v.* 8. e *Rom.* 10. *v* 9. f *Rom.* 4. g *Eph.* 3 *v.* 12. & 16. h *Phil.* 2. *v.* 12. i *psal.* 2. *v.* 11 l *Rom.* 11. *v.* 20. m. 1. *Ioh.* 3. *v.* 21. n *Ezech.* 18. *v.* 24. o 1 *Cor.* 10. *v.* 12. p *ps.* 50. *v.* 13. q *Act.* 6, *v.* 3. r *Act.* 3. *v.* 12. s 1. *Tim.* 1. *v* 19.

propheta & seducent multos, & quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit hic salvus erit. t *Noli itaque altum sapere, sed time.* Nam *sunt impii, qui ita securi sunt quasi justorum opera habeant, sed hoc vanissimum judico.* u.

t *Mat.* 24.*v.*11. u *Eccle.*8.*v.*14.

§. II. Observatio.

HÆ similesque Scripturæ S. quæ nunc fidei, nunc fiduciæ, nunc charitati, nunc timori Dei, justificationem, salutem, perseverantiam, vitamque nostram tribuunt, pari veneratione audiendæ sunt, & autoritate admittendæ; quando nihil vetat, plano omnes plenoque sensu accipere. Nam ad primam gratuitamque peccatoris justificationem hæ omnes virtutes disponunt, nullæ illam promerentur.

Pugnant secum, & cum scripturis. Reformati, quando omnem salvificam fidem cum fiducia confundunt. Secum, quia cum justificationem nostram in applicatione justitiæ Christi constituant, diffiteri non possunt illâ nos fide justificari, quâ justitiam pro nobis satisfacientis Christi mente apprehendimus, nobisque illam applicamus. Sed hæc fides nequit esse fiducia, quòd illa intellectus opus sit, hæc voluntaris: illa præcedat applicationem satisfactionis Christi, remissionemq; peccatorum; hæc sequatur: illa velut objectum attrahat, hæc ab illo trahatur; illa in omnem veritatem à Deo revelatam feratur, hæc solis promissionibus adhæreat. Cum Spiritturis pugnant: tum illis, quæ aliis, quàm fiduciæ justificationem & vitam tribuant; tum iisdemmet, quæ soli fidei in Jesum Christum. Nam & Petrus ex eo solùm capire, quod de Christo fateretur: *Tu es filius Dei vivi, beatus* dicitur. Matt. 16. v. 17. & *Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum.* Et Paulus 2. Cor. 7. v. 10. asserit, quòd *quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operetur.* Denique & ipsa fidei, quæ apud Paulum est definitio, quod sit (ὑπόστασις) seu *fundamentum rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, Hebr. 11. planè huic errori resistit. *Credere enim oportet* (non ait *fidere*) *accedentem ad Deum* (*utique fide salutifera*) *quia est, & quia remunerator est.* Huic fundamento, & spes, & fiducia nititur, nec ipsum utraque est fundamentum. Eadem fides argumentum est non apparentium (ἔλεγχος ὀ βλεπομένων) sed argumentum, non nisi intellectus opus est, & res non ap-

parentes, quâ intelligibiles sunt, eodem referuntur. Hac *fide intelligimus constructa esse secula verbo Dei* v. 2. at credere, Deum esse conditorem rerum omnium, actus fidei, non fiduciæ est; uti & cum Petro confiteri, *Christum esse filium Dei*, nisi, contra scripturam, hanc fidem esse divinam & salvificam non sentias. Datur igitur fides justificans, quæ non sit fiducia.

Sed neque ejusmodi fiducia, quam fingunt adversarii, Christi fidelibus, citra peculiarem de suæ fidei & salutis certitudine revelationem, omnino datur. Audax certè Calvinistarum præsumptio est, statuere quod verè fidelis, fide ac salute suâ non possit excidere. Quæro enim (ut suum errorem palpent) ex quâ scriptura propositionem hanc forment: ego Andreas, aut Joannes, ut oportet credo, vel fidem habeo veram vivamque, quæ nunquam defectura est. Solus Petrus audivit, *oravi pro te, ut non deficiat fides tua*, & Paulus jam in tertium cœlum raptus, & arcanorum particeps, affirmare potuit, *certus sum, quia nihil me separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu.* Sed quis istis suppar est? Extra scripturam igitur est, quod credis *te* ut oportet credere, nec posse *tua* fide ac salute *te* excidere. Si ex conscientia tua argumenteris, *quod ipse Spiritus reddat testimonium Spiritui nostro, quod simus filii Dei* Rom. 8. v. 16. falli poteris non minus, quàm centenæ hodiedum fanaticorum sectæ, quæ tuomet judicio in hac illatione falluntur, dum non norunt *probare Spiritus, an ex Deo sint.* Et verò demus, te nunc filium Dei, hoc testimonio fidei non falli, quis de futuro securum te fecit? & quomodo *timere* poteris, *ne pereas de via justa*, si fide certa tenes, te perire non posse? aut igitur, si potes excidere, credis quod falsum est; aut si non potes stultè times ne excidas. Iterum Deus nos fallit, cum minatur justo se *à justitia* (utique salvifica) *sua avertenti mortem.* Nam quid minatur, si neque averti ab hac justitia is potest, neque mortem, qui fide vivat, incurrere? Quid Pastores Doctoresque, ipsæque S. literæ tot cohortationibus in justitia fideles tanto opere stabilire conantur, si fide certum sit, non posse tales excidere, & necessariò (ut postea intelligemus) fidem consequantur bona opera? Umbræ illi in Ecclesia futuri sunt, ad terrorem inutilem relicti. De inani isto fiduciæ commento, jam nil ago sigillatim, cùm abundè illud secunda parr. Conc. discussum sit.

Sed quid argumentis ad tam crassum errorem expugnandum utimur, quando ex scripturis exempla adeò manifesta exhibe-

hibentur in fide naufragantium, ut qui hęc abnuat, fidem Christi Spiritumque S. amisisse, hic fide ac divino Spiritu destitutus omnino sit. Et quomodo denique per pseudo prophetas seducuntur illi, qui nunquam verâ fide ad Christum ducti sunt? An nulli quotquot per baptismum ritè Christo initiati sunt, fide semel susceptâ potuêre excidere? aut negandum, omnibus his fidem conferri, qui baptismo regenerantur? Videte rem stupendam, quam hoc dilemmate includo. Illi, qui toto orbe Christi baptismo, etiam in Romana baptizantur Ecclesia, vel regenerantur in vera Christi fide, vel non regenerantur. Si regenerantur, ergo juxta Reformatos omnes etiam Romani vera fide, neque olim, neque nunc possunt excidere, suoque damnantur judicio Calvinistæ, quod ab illis, quorum fides salusque certissima est, Ecclesiam separent. Si non regenerantur, ergo apud hos Christi baptismus validus non est, & tenentur ad eosdem iteratò baptizandos Calvinistæ, si qui transeant. Iterum, si in verè fideles Christianos nulla cadit defectio, (cum juxta Reformatos eorum liberi sancti sint, ita ut sine Baptismo etiam salventur: nisi hæc tantum quorundam sit sanctitas, commento etiam magis ridiculo) impossibile fuit ab Adam verè fideli, quenquam nasci reprobum ac periturum, adeóque diluvium & flammæ Sodomiticæ immerentes plexuêre: vel totus etiamnum infernus ab hominibus vacuus est. Denique si verè fideles nequeunt deficere, nec David, nec Magdalena, nec Petrus, nec ipse Adam coram Deo prolapsi sunt, nam si in justificante fide perstitere, etiam in ipso facinore justi erant, neque illis crimen imputatum est, ideóque si in hoc periissent facto, rectà cœlum ex adulteriis, homicidiisque adire poterant, & hodiedum possunt Reformati omnes. Tam abominanda, nisi quis horreat, sensum omnem mentemque profligavit.

§. III. Veteris orthodoxæ Ecclesiæ Doctores ex S. scriptura male reformatos melius in fide reformant.

De peccatorum remissione, aut justificatione non esse nos certos per fidem, multorum testimoniis Patrum orthodoxorum ex S. literis probatur.

D. Ambrosius serm. 5. in Ps. 118. Amputa, *inquit David*, opprobri-

probrium, quod suspicatus sum. *Sui volebat auferri opprobrium, quod suspicatus est. Vel quia cogitaverat in corde, & non fecerat: & pœnitentiâ licet abolitum, suspectum tamen erat, ne fortè adhuc maneret ejus opprobrium; & ideo Deum precatur, ut illud auferat, quia solus novit, quod nescire potest etiam ipse, qui fecit &c. Vnde Apostolus.* nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.

S. Chrysostomus hom 11. in Epist. 1. ad Cor. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui enim judicat me, Dominus est. *ait Paulus. Duabus enim, vel tribus potius, rationibus incertum est nostrum judicium. Primâ quidem, quod etsi nobis nihil conscii simus, ejus tamen indigemus, qui peccata nostra, certa ratione, corrigat: altera, quod multa opera nos latent &c. sed qui abscondita judicat, ille certò judicat.*

S. Hieronymus in illud *Ionæ* 3. Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus? *Ideo*, inquit, *ambiguum ponitur & incertum, ut dum homines dubii sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam provocent Deum.*

Et in illud *Ecclesiastæ* 9. Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. *Sensus*, inquit, *est: inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare, utrum ad probationem, an ad supplicium? In futuro igitur scient &c.* Et lib. 2. adversus Pelagian. *Qui hoc* (nullius mihi con conscius sum) *dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat; Sed quia legerat:* delicta quis intelligit? *Ps.* 18. *ideò temperabat sententiam, ne fortè per ignorantiam deliquisset.* Et Epist. 120. ad Fabiolam. Noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. v. 20. Dominus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam. Jac. 4. *Et qui se exaltat, videat ne cadat.* Potentes potenter tormenta patientur. *Sap.* 6 v. 8. *Timor virtutum custos, securitas ad lapsum facilis. Vnde & in quodam Psalmo, postquam Dominus dixerat.* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, *jungit timorem, qui custos est beatitudinis, & infert:* Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt Ps. 22. *Et est sensus, dum tormenta formido, servavi gratiam, quam acceperam.*

D. Augustinus de perfectione Justitiæ cap. 15 *Quantalibet justitia præditus sit homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt inveniatur esse culpandum, cùm* Rex Justus sederit in throno, *cujus cogitationem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum*

dictum est, delicta quis intelligit? Ps. 18. Cùm *ergò* Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? (Prov. 20. v. 9.) *nisi fortè isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius Iudicis misericordia gloriari* &c. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus, accipiemus 1. Joh. 3. *Hoc enim agitur credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, &c. ut cor mundetur, & peccatum omne tollatur.* Et in Psal. 18. Expos. 2. *Dicamus* ab occultis meis munda me Domine. Quis enim delicta intelligit? *Si videntur tenebræ, delicta intelliguntur.*

Item in Ps. 41. Ad meipsum anima mea turbata est. *Nunquid ad Deum turbatur?* Ad me turbata est. *Ad incommutabile reficiebatur, ad mutabile perturbatur. Novi quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens*: qui se putat stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. Et in Expos. Ps. 54. Videbunt justi & timebunt. *Dixit Apostolus* Phil. 2. in timore & tremore vestram ipsorum operamini salutem, *quia dictum est in Psal. 2.* servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Quare cum timore? quia propter hoc ait Apostolus*: qui se putat stare, videat ne cadat 1. *Cor.* 10.

Item de Verbis Apostoli serm. 16. *Erit quisquam vestrum, qui audeat dicere, justus sum? Puto enim hoc esse, justus sum, quod est peccator non sum. Si audes hoc dicere occurrit tibi Ioannes.* Si dicimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est 1. Joh. 1.

Eadem testimonia evertunt abominandum illum errorem, qui docet fideles de sua perseverantia in justificatione & æterna salute securos esse, ideóque in omnem vitæ licentiam abripit. Nam si ne quidem de præsenti gratiæ statu, quanto minus de futuro per fidem constare potest. Sed unius alteriusve testimonio hæc lubet confirmare.

Cyprianus lib. 3. ad Quir. c. 27. *Baptizatum quoque gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servet, in Evangelio κατά Ioh* est. c. 3. Ecce sanus factus es. jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. *Item in Epist. Pauli* 1. *Cor.* 3 nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus. *De hoc ipso in* 2. *Paralip.* 15. Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos.

D Hieronymus lib. 2. c. 1. contra Jovinianum, solvit illud, quod

quod ex Joanne 1. Joan. 3. & 5. adducunt. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, &c. *Si inquit*, Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, & à Diabolo tentari non potest, *quomodo pracipit* (Idem Joannes) *ut caveant, ne tententur, & in eadem rursus epistola* 1. *Ioh*. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est &c. *Existimo quod Ioannes baptizatus ad baptizatos scripserit. Quid ergo? contraria sibi Apostolus loquitur? Minimè. In eodem quippe loco, cur hoc dixerit, statim edisserit*. 1. *Ioh*. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. *frustra enim habemus advocatum, si peccari non potest*. Et c. 2. ib. *Paulus inquit*, electionis vas, castigat corpus suum, & in servitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiatur 1. *Cor*. 9. Et *ad Corintheos* 2. c. 11. Timeo, *inquit*, ne sicut serpens decepit Evam in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo. *Et existimet aliquis securos nos esse post baptismum? Nec non ad Hebraos* 6. impossibile est enim eos, qui semel illuminati sunt, & gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt spiritus S. gustaveruntque nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi futuri & prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes. *Certè eos, qui illuminati sunt, & gustaverunt Dei donum caleste, & participes facti sunt spiritus S. gustaveruntque bonum Dei verbum, negare non possumus baptizatos. Si autem baptizati peccare non possunt, quomodo nunc Apostolus dicit*, & prolapsi sunt?

D. Augustinus de corrept. & gratia cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero pradestinatorum se esse prasumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam*, per angelum satanæ ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus 1. *Cor*. 12. *Hinc & Apostolis dicebatur Ioh*. 15 Si manseritis in me, *dicente illo, qui illos utique sciebat esse mansuros &c. Propter hujus ego utilitatem secreti, credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide qua per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac justè vivere, ac postea cadere*. Et de Dono Perseverantiæ lib. 2. cap. 22. *De vita*, inquit, æterna, *quam filiis promissionis promisit non mendax Deus, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista* vita, quæ est tentatio super terram. *Iob*. 7. *Sed faciet nos perseverare in se usque in ejus*

vita

vitæ finem cui quotidie dicimus: ne nos inferas in tentationem *Matth. 6.*

Si quæ adversarii hoc loco testimonia è Patribus producant, per hæc vel sola certitudo divinorum promissorum erga fideles, nobis ultro assentientibus, probatur; vel nostra, quantùm illis nitimur, securitas. Sed hæc non tollit justum metum, cum Dei justitiam, nostrámque fragilitatem intuemur. Ex diversis objectis & cognitionibus diversi necessariò in animis affectus generantur, nisi jam omnis ratio & philosophia apud hos Novatores sepelienda sit.

Confessione Adversariorum, in consensu Patrum Veterisque Ecclesiæ manifesto minimè indigemus. Siquis tamen hanc desideret, hic illa, quæ de libero arbitrio dicta sunt, tum quæ de Justificatione atque etiam pœnitentia postea fusius tradentur, consulat. His enim locis omnibus idem quoque error subvertitur.

DE OPERIBVS ET MERITIS.

ARTICVLVS XXII.

Credimus *a* nos qui natura servi sumus peccati, hac eadem fide intercedente, in novam vitam regenerari. Recipimus autem per fidem hanc sanctè vivendi gratiam, dum promissionem illam Evangelicam amplectimur, quod daturus sit nobis Dominus spiritum S. *b* Tantum abest igitur, ut benè & sanctè vivendi studium fides extinguat, ut etiam illud cieat, & inflammet in nobis. Unde bona opera *necessariò* consequuntur. *c* Ceterum quamvis Deus, ut nos plenè servet, regeneret nos, & ad sanctam vitam formet: *d* tamen *profitemur bona opera, quæ duce ipsius spiritu edimus, non respici à Deo, ut per ea justificemur, aut filii Dei censeri mereamur*: quoniam perpetua dubitatione fluctuaremus, nisi satisfactione illa niteremur, per quam nos omni noxæ Jesus Christus exemit.

§. 1. Re-

a *Rom*: 6. & 7. *Colos*. 2. *v*. 13. & 3 *v* 10. & 1. *Petr*. 1. *v*. 3. b. *Ind* 2. *v*. 14. *Gal*. 1. *v*. 6. & 1. *Ioh*. 2. *v*. 3. & 3. *v*. 3. & 5. *v*. 18. c *Deut*. 30. *v*. 6. *Ioh*. 3. *v*. 5. d *Ps*. 16. *v*. 2. *Luc*. 17. *v*. 10. *Rom*. 4. *v*. 1. &c. *Tit*. 3. *v*. 5.

§. I. Reformatio ex S. literis.

CRedimus cum D. Paulo, & *arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis*; quod *sine lege, justitia Dei manifestata sit, per fidem Iesu Christi* e ideoque Apostoli *gentes Iudaizare* nolebant, *scientes, quòd non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem IesuChristi* f imò universè, *non operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & ut justificati gratiâ ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ* g *Quid ergo dicemus invenisse Abraham Patrem nostrum secundum carnem? si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam.* Legis igitur Moysaicæ, & carnis, seu naturæ opera non justificant, *ut de his omnis gloriatio nostra exclusa sit.*

Nec minus eidem credimus, quia *apud Deum factores legis, justificabuntur*, h legis inquam gratiæ. *Nam quid proderit si fidem quis habere se dicat, opera autem (Christianæ legis) non habeat, nunquid fides poterit salvare eum? Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Sicut ergo corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* i Quare *cùm averterit se impius ab impietate sua, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* l Joanne fatente. *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, qui enim non diligit manet in morte.* m *Charitas est, quæ operit multitudinem peccatorum.* n Ita enim *nos spiritu ex fide (viva) spem justitiæ exspectamus.* Nam *in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* (per opera legis, aut naturæ) *sed fides, quæ per charitatem* (ἐνεργουμένη *efficaciter mota*) *operatur.* o Quia, *si habuero omnem fidem, charitatem autem non habue-*

e *Rom. 3. v. 21 & 28.* f *Gal. 2. v. 15. &c.* g *Tit. 3. v. 5.* h *Rom. 2. v. 13.* i *Iacob. 2. v. 17. &c.* l *Ezech. 18. v. 27.* m *1. Ioh. 3. v. 14.* n *1. Pet. 4. v. 8.* o *Gal. 5. v. 6.*

habuero, nihil sum &c. charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet p Verbo sine charitate fides mortua est, quæ per illam vivit & operatur.

p 1.*Cor*.13.*v*.2.

Credimus denique audiendum Paulum dum monet: *Exhibete membra vestra servire iustitiæ* (iam utique obtentæ) *in sanctificationem*: q ita, ut *qui iustus est iustificetur adhuc, & qui Sanctus sanctificetur adhuc* r. Qui enim *parcè seminat, parcè & metet &c. potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Multiplicabit ille semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis*. s

q *Rom*.6.*v*.18 r *Apoc*.22.*v*.11. s 2 *Cor*. *v*.6. & 10.

Credimus postremò, quod licet, *gratia Dei sit vita æterna*, t qui *operatur in nobis velle & perficere, secundùm bonam suam voluntatem*, u & quod *cum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicere* consultum sit, *servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*: x tamen *si quis se emundaverit à delictis, erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum* y & audire poterit: *Euge serve bone & fidelis*, QUIA *super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* z Non fallit vox Christi: *Qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum*; a Qui autem *manet in eo*, & *seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam*. b Quia, *unusquisque propriam mercedem accipiet* SECUNDUM *suum laborem* c *Quodque momentaneum, & leve est tribulationis, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus* OPERATUR *in nobis* d *Patrem* enim *invocamus eum, qui sine acceptione personarum iudicat, secundum uniuscuiusque opus*. e *Promisit* autem *Deus coronam vitæ diligentibus se*. f *Et pietas ad omnia utilis promissionem habet huius vitæ, quæ nunc est, & futuræ* g Hinc Paulus *gloriatur, sed in Domino*, h *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in*

t *Rom*. 6.*v*.*ult*. u *Phil*.2.*v*.13. x *Luc*.17.*v* 10.
y 2.*Tim*.2.*v*.21. z *Mat*.25.*v*.22. a *Ioan*.15.*v*.5.
b *Gal* 6.*v*.8. c 1.*Cor*.3.*v*.8. d 1.*Cor*.4.*v*.17.
e 1. *Petr*.1.*v*.17. f *Iac*.1.*v*.12. g 1.*Tim*.4.*v*.8.
h 1.*Cor*.1.*v*.31.

illa die justus judex. i *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis nostri.* l Vel igitur audiemus. *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, esurivi* ENIM *& dedistis mihi manducare, &c.* vel: *ite maledicti in ignem aeternum, esurivi* ENIM *& non dedistis, &c.* m Illi *ambulabunt cum Christo in albis* QUIA DIGNI *sunt* n sicut alii ibunt in *ignem aeternum* QUIA indigni. *o*

i 2. *Tim.* 4. *v.* 7. l *Heb.* 6. *v.* 10. m *Matt.* 25. *v.* 35. n *Apoc.* 3. *v.* 4. o *Matt.* 3. & 7.

§. II. Observatio.

Error iste, quod bona opera *necessariò* fidem sequantur, jam supra profligatus est, ubi intelleximus Davidem, Petrum aliosque fideles cecidisse. Alter, *quod Deus bona opera non respiciat, ut per ea justificemur, ac salvemur,* hic paulò disertius ex S. literis erat proscribendus. Ex quibus, nisi adversarii perversè alias scripturas negligerent, dum alias suis erroribus opportunas audiunt, jam dudum lis omnis sublata esset. Opera naturæ & legis Moysaicæ proscribit à justificatione & salute Paulus; opera gratiæ, seu legis Christianæ quæ fide Christi nituntur, admittit Jacobus, tam apertâ utrobique sententia, ut interpretis hæc non egeat, ita ille Abrahamum negat ex operibus justificatum; hic asserit. Cum ille de Abrahamo *secundum carnem* loquatur; hic de eodem, *Isaacum super altare offerente* ex cujus tamen semine credidit Messiam venturum; ita ut *fides* in Messiam huic *operi cooperaretur.* Quare ille Abrahamum juxta naturæ legem; hic ex fide Christi operantem considerat. Ut hodiedum quivis Christianus, nunc ex lege rationis, aut scripta, virtutes politicas: non justificantes nunc ex fide Christi, verè Christianas, & ad justificationem salutemque spectantes exercere poterit. Sive igitur virturum opera ante fidem, ut in gentilibus: sive extra fidem, ut in Christianis quoque, exercita consideres, nihil ad justificationem salutemque conferunt, & Pelagianismi rei sunt, quotquot secus loquuntur.

Illa verò opera, quæ ex fide Christi procedunt, vel spectantur, prout justificationem peccatoris antecedunt, & sic, licet illam non mereantur, (ut quæ *gratis* confertur, *quia indigno* datur peccatori) tamen *spes timor, pœnitentia charitas,* quæ *operiunt peccata,* justificare suo modo dicuntur; quòd ad justificationem, gratis conferendam, congruè disponant, idque

non

non tam vi sua, quàm illius, ex qua fiunt, divinæ gratiæ; ut fons totius justificationis illa verè dicatur.

Prout verò justificationem sequuntur, sive opera hominis justificati Deoque grati sunt, ita & gratiam justificantem augent, & gloriam salutemque merentur, idque non gratis amplius, sed *quia* jam à justo facta, *digna* sunt, dignitate tamen radicaliter ex Christi meritis orta, atque in opera justificati diffusa *Sicut enim palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, ita nec vos* (ait Christ. Joh 15.) *nisi in me manseritis.*

Iterum fides distinguitur à Jacobo Apostolo cap. 2. in mortuam, quæ sine operibus est, & vivam cui hæc sociantur, in quibus hâc justificari homo dicitur, illa negatur, Protestantes eandem distinguunt ex parte objecti crediti, in historicam, qua credimus revelatis omnibus propter Dei revelantis autoritatem: & justificantem, qua Dei promissis ita, credo, ut his nixus firmissimè confidam, ex ipsius misericordia, propter Christi merita mihi imputata, me salvum fore: vel (ut Calvinistæ volunt) certam esse salutem meam, vitamque æternam mihi donatam esse, *ut Cathech. Heidel. supra.* Verùm nos hoc fidei monstrum, quod hac compositione extra S. literas conceptum est, jam supra rejecimus. Et certè si in hoc salvifica fides consisteret, immeritò Arius, Nestorius, Eutyches aliique in SS. Trinitatem olim injurii, hæreseos damnati essent, cùm solum in historica (ut appellant) fide, quæ non agit de promissis divinis, sed natura & essentia Dei, aberrarint. Nam hic articulus, *Credo Deum esse, unum in natura, in personis triplicem, & Patri filium æqualem in substantia, Spiritum S. utrique, quia Deus hæc revelavit,* vel est fidei justificantis articulus, vel non est. Si sit, historica fides justificat: si minus, prisci hæresiarchæ huic articulo repugnantes ab hæresi absolvuntur; quia fidem salvificam non oppugnarunt. Hic laqueus Protestantibus inevitabilis est.

Illud quidem ultro damus, mortuam hanc fidem, atque inutilem, sine virtutum ex illa dependentium operibus, ut fiducia, & charitate fore, adeòque nec sine his justificare, libenter itaq; assentimur sentientibus, quod fides viva sola perfectè sive quod idem est, operibus juncta fides (non autem opera sine fide justificet.) Quia juxta Paulum hæc *fides* justificat, *qua per charitatem operatur.* Ergo seclusa operatione charitatis non justificat, quia operando justificat, & disertè Jacobus, *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus*, ut igitur

I 2 corpus

corpus operari non poteſt niſi per ſpiritum;ita nec fides , niſi per opera. Magis etiam Ioannes id exprimit, *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte*. Denique ratio evincit, cùm enim juſtificare ſit viventis opus fidei , debet ab ipſa profluere, quâ viva eſt. At non eſt viva niſi per opera, ergo niſi per opera perfectè non juſtificat.

Porrò quod opera juſtificati hominis *incrementum* præſtent *juſtitiæ, operenturque* in illo gloriam, *ac mercedem, juxta laborem dignitatemque ſuam, æternæ ſalutis*, non minus, quàm mala opera ob indignitatem, pœnam ſuam conſequantur, tam diſertè ex S. ſcripturis traditur, ut qui hæc audeat evertere, atque à communi detorquere ſenſu, ſenſum amiſiſſe omnem videatur. Neque tamen cum hac pugnat ſententia, quod nonnunquam *vita æterna* ab iiſdem S. literis *gratia* dicatur: quia in ſola gratia per Chriſtum totum opus ſalutis noſtræ fundatur; ut, hac ſublata, tota ſpes ſalutis everſa ſit. Sicut igitur idem homo, modò mortalis, modò immortalis, idque ex diverſo ſolum reſpectu dici poteſt: ita nihil impedit, quo minus diverſo quoque intuitu, eadẽ ſalus hominis, nunc merces ac debitũ, nunc gratia ac donum appelletur. Cum ſalutiferum hominis opus, neque prorſus Dei, neque prorſus hominis, ſed utriuſque ſit. unde diverſæ illæ appellationes ducuntur. Eſtque hic loquendi modus adeò generalis, ut ob præciſos imperfectoſque mortalium conceptus, ubique locum reperiat.

Abſurda quæ adverſarii ex noſtra procudũt ſententia; ut quod derogetur meritis Chriſti, & fragili noſtrorum operum fundamento, de ſalute fluctuantes, innitamur, figmenta ſunt, quibus ſe alioſq; decipiunt. Plus quàm illi, meritis Chriſti tribuimus, quorum in nobis gratiam ſterilem eſſe non patimur , & huic, tanquam anchoræ ſpei noſtræ, firmiſſimè, ſine diffidentia, ſed non abſque ſalubri metu, inde Chriſti meritis, promiſſiſque firmati, hinc lubrica hominum in bono conſtantia territi, adhæremus. Illi contra, dum uni Chriſto ad juſtificationem ſalutemque ſuam tribuunt, ſine ſua cooperatione , omnia; curam bonorum operum, tanquam infectorum, mortalibus eripiunt, adeoque in hac deſperatione ſynceræ virtutis, & erecta per ſolam fidem ſalutis confidentia, ſceleri libertatem ſub titulo neceſſitatis faciunt, ideoque pro vera in Deo fiducia, certam, cum hæreticis, pertinaciam amplectuntur. Cùm impoſſibile illis ſit hac in cauſa argumentum ſuæ certitudinis promere, quod hæretici nequeant uſurpare.

§. III.

§. III. Patres Orthodoxæ Ecclesiæ ex S. literis De operum Iustificatione & merito statuunt.

SS. Patrum in hac doctrina magnus consensus, & apertissima sententia.

CLemens Alexandrinus lib. 3. Strom. Hæc dicit Dominus Eunuchis, si custodieritis Sabbata mea, & feceritis quæcunque præcipio vobis, dabo vobis locum meliorem à filiis & filiabus. *Non sola enim iustificat castitas, sed nec Sabbatum Eunuchi, nisi fecerit mandata.* Et lib 6. *Quando audierimus*, fides tua te salvam fecit; *non accipiamus eum dicere absolutè, eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta. Proportione habita sunt variæ* mansiones *pro dignitate & meritis eorum, qui crediderunt.*

Origines cap. 2 ad Rom *Ne fideles putent, hoc sibi solum sufficere, quod credunt; sed sciant iustum iudicium Dei*, reddere unicuique secundum opera sua &c. *Non expedit incircumcisum esse fide & operibus*, ut sit circumcisus corde, *qui fidem habet*, & circumcisus carne, *qui opera habet, alterum namque sine altero reprobatur*, quia & fides sine operibus mortua est, & ex operibus sine fide nemo apud Deum iustificatur. *Sic ergo, ut ego, arbitror, dictum propheticum* Exod. 44. *convenienter aptabitur fidelium populo, quibus dicitur*: omnis alienigena, qui est in vobis in medio domus Israel, circumcisus corde, & incircumcisus carne, non introibit in sancta mea *Hoc est nimirum quod & Dominus in Evangelio, dicit Ioh.* 14 qui credit in me, mandata mea custodit. *Et iterum*, qui audit verba mea, & facit ea. Et non omnis qui dicit mihi Domine, Domine; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum. Matth. 7. *Vides ergo ubique fidem cum operibus iungi*, & *opera cum fide sociari.*

Idem in cap. 3. ad Rom. externum quidem opus ad fidem justificantem non judicat necessarium, dum ait. *Dicit Apostolus, sufficere solius* fidei justificationem, *ita, ut credens quis tantummodo* j ustificetur, *etiamsi* nihil ab eo operis *fuerit expletum*. Sed cap. 4. ad *Rom.* subiicit: *credentibus quidem Christo*, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis, *fides reputari non potest ad justitiam.*

D. Ambrosius nonnunquam solam fidem (vivam utique) in justificatione commendat. Sic verò loquitur lib.2.offic.c.2. *Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, & fructu bona operationis* Hæc autem *inquit Ioan.* 17. est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Et de operibus ita respondit Matt.*19. omnes qui reliquerit domum, vel fratres, propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam. *Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum; habent & bona facta, quia vir justus & dictis & rebus probatur.* Et ad Hebr.4 cap. *Magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac salvari non possibile, sicut dictum est*: sine fide impossibile est placere Deo *Heb.*11. *Sed sola fides non sufficit*, operari per dilectionem fidem necessarium est, *& conversari dignè Deo.* Et lib.10.82. *Quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra, cum scriptura dicat*, jejunium & eleemosyna à peccato liberat, *Tob.*4.*&* 12. *Qui sunt ergo hi præceptores, qui meritum excludunt jejunii? Nonne gentilium vox ista est*: Manducemus & bibamus, &c.

Basilius Magnus *in proœm.* de judicio Dei, *in verba illa Christi*: Ite maledicti, venite benedicti, &c. *Causam cur ita abs se discedere illos jubeat, subjicit: non quod aut quenquam interfecistis, inquit, aut fornicati estis. Sed quid? Quod bona opera facere neglexistis.* Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.

D. Chrysostomus quoque aliquando fidei soli adstipulatus, de qua ait ad Philemonem hom.2. fides efficax est, si habeat opera. Hom.9. in Joannem sic loquitur. *Nolumus fidem ad salutem nobis satis esse existimare. Nam nisi vitam puram habuerimus, & hac cælesti vocatione digna nos induerimus vestimenta*, quibus ad nuptias admittamur, *nihil nos eripiet, quin eodem, quo miser ille, afficiamur supplicio.* Matth 22. Et hom. 30. ib. *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam* in filium credere? *Minimè.* Non enim omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. *Matth.*7. *Cum ergo dicit*: hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Joan.17. v.3. *Nolumus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est & vita & morum puritate pollere, &c.* Et hom.70. in Matth. *Ne fideles sola se fide salvari posse confidant, de pœna malorum disserit* (Christus apud Evangelistam) *ita infideles ad fidem; fideles verò ad recto vivendum cohortatur.*

D Hieronymus in cap.5. ad Gal. *Exemplum fidei* per charitatem operantis, *de Evangelio illa meretrix tribuat, quæ cum in-*

domo

domo Pharisæi accubanti Domino pedes lavisset lacrymis, tersisset crinibus, linisset unguento, & Pharisæo murmuranti Dominus parabolam 550. denarios debitoris propo, uisset, adjecit Proptər quod dico tibi, dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, & ad *ipsam* mulierem conversus ait: fides tua te salvam fecit, vade in pace. *Luc.* 7. *Apertè enim, in hoc loco demonstratum est, mulierem istam habuisse fidem per charitatem operatam, quæ multum valuerit in Christo.*

D. Augustinus disertissimè ex S. literis hanc doctrinam explicat, & licet alicubi solius fidei, nempe vivæ, ad salutem sufficientis meminerit, tamen mentem plenius aperit. *De fide & operibus* cap. 14. *Quoniam,* inquit, *hæc opinio* (Paulum fidem solam tanquam saluti sufficientem commendasse) *tunc fuerat exorta: alia Apostolica Epistola Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant*, fidem sine operibus nihil prodesse. *Sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. &* fides *inquit*, quæ per dilectionem operatur. *Gal.* 5. *Vnde illam fidem qua sufficere quibusdam ad salutem videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat*: Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam nihil sum. 1. Cor. 13. Et in epist. Johan. Tract. 5. *Non discernuntur,* ait, *filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate.* Qui habent charitatem nati sunt ex Deo 1. *Ioh.* 4. Qui non, non sunt nati ex Deo, &c.

Idem lib 83. quæstionum, scripturas pro hac veritate coacervat quæst. 76. *Manifestum est,* inquit, *quod Paulus dicit Rom.* 5. arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus. *Non tamen ita intelligendum est, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi malè vixerit. Ideo exemplo Abrahæ & Apostolus Paulus utitur Rom* 4. quia sine operibus legis (*quam non acceperat*) per fidem justificatus est. *& Iacobus* c. 2. fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse *demonstrat. ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus prædicavit. Nam qui putant istam Iacobi Apost. sententiam contrariam esse illi Apost. Pauli sententia, possunt arbitrari etiam ipsum Apostolum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco Rom.* 2 *v.* 13. non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, *& alio loco Gal.* 5. *v.* 6. sed fides quæ per dilectionem operatur, *& iterum Rom.* 8. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis, &c. *quod &*

ipse Dominus commemorat, dicens Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est &c. *Quapropter non sunt sibi contraria duorum Apostolorum sententia Pauli & Iacobi, cum dicit unus,* justificari hominem per fidem, sine operibus *Rô.* 3. *& alius,* inanem esse fidem sine operibus *Iac.* 2. *quia ille dicit de operibus, qua fidem pracedunt, iste de ijs, qua fidem sequuntur. Sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.*

Idem, quando gratis justificemur tradit *in psal.* 18. *Expos.* 2. Omnes peccaverunt, *inquit, ex Rom.* 3. v. 23. & egent gloria Dei, justificati gratis, per sanguinem ipsius, *quia gratis, ideo gratia: non enim gratia nisi gratuita; quia nihil boni ante feceramus, unde talia dona mereremur &c. Ille autem* non propter nostram justitiam, sed propter suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis *Tit.* 3.

Idem docet, & *gratiam* & *debitum* vitam æternam dici, *In Ioh. Tract.* 3. *Pro quo merito accipis vitam aternam? Pro gratia. Si enim ipsa fides gratia est, & vita aterna quasi merces est fidei. Videtur quidem Deus vitam aternam, tanquam debitam reddere. Cui debitã? fideli, quia promeruit eam per fidem. Sed quia ipsa fides gratia est, & vita aterna gratia est pro gratia. Aud: Paulum Apostolum confitentem gratiam & postea debitum expetentem. Confessio gratia qua est in Paulo?* Qui prius fui blasphemus & persecutor & injuriosus, sed misericordiam, inquit consecutus sum 1. Tim. 1. *Indignum se dixit, qui consequeretur; consecutum tamen, non per merita sua, sed misericordiam Dei. Audi illum flagitantem debitum, qui primò indebitam susceperat gratiam.* Ego enim, *inquit,* 2. *Tim* 4. jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cetero reposita est mihi corona justitiæ. *Iam debitum flagitat, iam debitum exigit. Nam vide verba sequentia*: quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. *Vt ante susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat; Vt pramium gratia, iudicem iustum.* Hæc Aug. qui similia planè tradit in lib 50. *homil hom* 14. c. 2 & *in Psal.* 83. *in verba,* Misericordiam & veritatem diligit Deus, Et *in psal.* 100. *& Epist.* 105 ad Sixtum.

Alibi vitam æternam labore & passione nostra emendam docet. *Ita in psal.* 49. *verba,* congregate illi justos eius: *Quos iustos, inquit, nisi viventes ex fide, facientes opera misericordia? &c. quibus dicit Paterfamilias Mat.* 25. Venite benedicti patris mei, percipite. *Quid percipite?* Regnum, *Pro qua re?* Esurivi & dedistis

mihi

mihi manducare. *Quid tam vile, quid tam terrenum, quam* frangere panem esurienti? *Tanti valet regnum cælorum* Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuā, si videris nudum vesti. *Isa.* 58. *Si non habes facultatem frangendi panem, non habes demum quo inducas, non habes vestem, qua cooperias;* da calicem aquæ frigidæ *Matth.* 10. mitte duo minuta in gazophylazium *Mar.* 12. *Tantum emit vidua duobus minutis, quantum Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium. Tantum valet, quantum habueris* Et in psal. 93. *Attende te hic habere laborem; sed attende qualem ille requiē pollicetur. Quid ait Apostolus?* 1. *Cor.* 13. Etenim quod ad præsens est temporale &c. æternum gloriæ pondus operatur nobis &c. *Æternam vitam tibi daturus est Deus, cogita quanto labore emenda sit. Intendite fratres, venale est, venale est, quod habeo dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo, eme illam &c.*

Denique diversitas justitiæ in hoc mundo, & præmiorum in cœlo ab eodem diserte traditur. Ut lib. 14. *de Trinit.* c. 17. *Duo,* inquit, *demonstrantur in psalmo, ubi legitur:* qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, *quod fit in batismo, deinde sequitur,* qui sanat omnes languores tuos. *psl.* 102. *quod fit quotidianis accessibus, cùm hæc imago renovatur. De qua re Apostolus apertissimè locutus est, dicens:* Et si exterior homo noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem 2. *Cor.* 4 Renovatur autē in agnitione Dei, *hoc est.* justitia & sanctitate veritatis. *Eph.* 4. v. 15. & 24. Et Tract. 67. in Evang. Joh. *Cum audiunt, inquit,* in domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locū. *Ioh.* 14. *à perturbatione recreantur, certi ac fidentes, etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros. Quia etsi alius alio est fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior,* in domo patris mei mansiones multæ sunt. *Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Denarius *quidem ille æqualis est omnibus,* quem Paterfamilias eis, qui operati sunt in vinea, jubet omnibus dari, *Mat.* 20. *non in eo discernens, qui minus, & qui amplius laborarunt. Quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones diversas meritorum, in una vita æterna, significant dignitates.* Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum 1. *Cor.* 15. *Tanquam stellæ sancti, diversas mansiones, diversas claritates tanquam in cœlo, sortiuntur in regno.*

Plura Veterum testimonia de justificatione, & meritis bonorum operum non adduco, cum omnes sacrorum scriptorum libri redundent, & sicubi justificationem tribuunt soli fidei, attentque opera, vel agunt de fide viva, quæ spem & charitatem involvit: vel excludunt, opera fidem talem antecedentia, vel etiam externa justificationem consequentia (nam sine his plures, à justificatione accepta mori possunt & salvari) vel denique opera fidelis, in peccato constituti, negant justificationem promereri, quæ omnia orthodoxæ veritati consentiunt. Quo verò iidem sensu, vitam æternam: nunc *gratiam* nunc *debitum*; nunc *mercedem*, cui *meritum* respondere necesse est, nunc *donum* appellent, satis vel ex S. literis, vel ex solo Augustino manifestum est. Nunc ipsa Adversariorum testificatione erroris eosdem convincamus.

§. IV. Protestantes agnoscunt veterem orthodoxam Ecclesiam operum justificationem & meritum professam esse.

IN hoc uno articulo de summa controversiarum agitur. In quo si nobis orthodoxam Priscorum Ecclesiam favere adversarii fateantur, causâ apertissimè ceciderunt.

Lutherus tom. 1. Germ. Jen. *de summa Mandat. Dei* fol. 480. Ego, inquit, neminem scio, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis, ad id ipsum electis, ut eam rem purè docerent, & doctrinæ fundamenta jacerent. In ceteris libris omnibus id nequaquam invenitur, ut ita mirum non sit, eam doctrinam nostris temporibus adeò periisse.

Calvinus, ubi operum bonorum pretium expendit, hæc de Veterum Patrum sensu profitetur. *Instit. lib. 3. cap. 15.* § 2. post quæstionem positam. *An opera nostra apud Deum gratiam promereantur?* Respondet. De *meriti* nomine id mihi præfari necesse est Quicunque primus illud operibus humanis, ad Dei judicium comparatis aptavit, eum fidei synceritati pessimè consuluisse. Usi sunt, fateor, passim vetusti Ecclesiæ scriptores, atque utinam voculæ unius abusu erroris materiam posteris non præbuissent. *Hæc ille*, non expendens, toties in S. literis *meriti* vocem necessario supponi, quoties *mercedis* memoria est; merces enim nulla est, nisi ubi est meritum.

Pareus idem locis diversis fatetur, singulatim *Comment. in*

Genes. cap. 26. v. 5. Non negamus, ait, Patres merita humana passim adstruere. *Augustinus* de civit. Dei lib. 16. cap. 36. de hoc loco disputat; an majora & potiora fidei & obedientiæ Abraham merita fuerint, quam Isaac. *Et infra.* Sed merita fidei & obedientiæ statuit, id est, opera impetrantia à Deo præmia gratuita, manifesta vocis χαλαχεύσει.

Hospinianus *part. 1. hist. sacr. in dedicat. Epist.* de Patribus concludit. Et ne, *ait*, de singulis dicendum sit. Omnibus ferè hoc vitium fuit, quod viribus humanis nimium tribuerent. Etsi enim interdum asseverent, sola fide in Christum nos justificari, subinde tamen operum fermentum simul aspergunt. *Hæc ille.* Sed tamen Augustinum sibi, ut ratus maximè faventem, vendicare ridiculè conatus est.

Magdeburgenses *in præfatione ad secundum seculum Apostolis proximum*, candidè de hujus ævi Patribus enuntiant. Articulũ, *ajunt*, justificationis non satis perspicuè explicarunt, & operibus justificatorum plusquam debebant adscripserunt. *Ac deinde* Cent. 2 cap. 4. de *operib. & perf.* Obscurari, *inquiunt*, cœpisse Clementis ætate doctrinam de fine bonorum operum, ex ipsius Clementis scriptis apparet. Nu quam enim videas eum in hac parte satis sibi constare, sed à sententia sua subinde variare, & interdum ea ponere, quibus sibi manifestè contradicat: ut cum salutem æternam aliàs fidei, aliàs operibus, alias utriusq; simul adscribit, &c. Ita, *inquit*, lib. 5. Strom. *gratia servamur, sed non absque bonis operibus.* Et libro *6. quando audierimus*, fides tua te salvam fecit: *non accipiamus, eum dicere absolutè, &c.* ut supra.

Similia, inquiunt, apud Theophilum lib. 2. deprehendas, *legem*, ait, *& præcepta sancta communicavit nobis Deus: quæ si homo servaverit, salutem consequi, & resurgens hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit.*

Ita illi de proximo ab Apostolis seculo, ubi istas Clementis, quas perperam appellant, contradictiones, non pro veritate amplectimur; quod idem S. Scriptura cum illo dicat, & jure dictam supra vidimus.

De Patribus ætatis tertiæ *Cent. 3. c. 4.* ajunt, per hos magna ex parte hunc summum art. de justificatione obscuratum esse. Justitiam enim coram Deo operibus tribuerunt. Ita Origines lib. 1 in Job. *Proculdubio, quod omnia justè* (Job) *disposuerit & judicaverit, non reveritus personam, non accipiens munera, non despiciens oppressum, non spernens viduam, non obliviscens orphanum: pro his omnibus, & ex his omnibus, atque per*

hæc cuncta erat iustus. Et Methodius apud Epiphan. in serm. de Resur. *Impotentiam,* inquit, *naturalis boni , ob quam languebat* (homo) *à concupiscentia in corpore sita, superatā Deus recuperavit misso filio suo* &c.

Et *de bonis operibus* subjiciunt. Magis, quam superioris seculi, Doctores hujus ætatis, a vera doctrina Christi & Apostolorum (ita hi somniant) de bonis operibus declinarunt. Opera enim electitia multa excogitarunt, & inculcarunt. Quemadmodum immodicis Tertullianus *castitatem laudibus extollit & pudicitiā.* Zachæo lib. 4. contra Marc *præcipuam causam iustificationis fuisse* ait, *quòd Isaiæ 58. preceptum, frange esurienti panem tuum , impleverit.*

Illud quoque Origenis tract. 32. in Mat. citant. *Qui profitentur quidem fidem in Iesum, non autem preparant se bonis operibus ad salutem, assimulantur virginibus fatuis.* Et libro 8. in Epist. ad Rom. *Sciendum quia opera, quæ Paulus repudiat, & frequenter vituperat, non sunt iustitiæ, quæ mandantur in lege ; sed ea in quibus hi, qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur, id est, circumcisio carnis, vel sacrificiorum ritus, vel sabbatorum observatio, & neomeniarum Hæc & similia sunt opera, in quibus dicit, neminem potuisse salvari.* Et ibidem. *Si in præsenti seculo dat Deus unicuique gratiam, secundum mensuram fidei, sine dubio & in futuro dabit unicuique gratiam , pro mensura meritorum.*

De Cypriano sic habent. sensit 15. lib. 3. Epist. 25. *meritorum præcedentium defensione obvelari peccata subsequentia.* Quo errore, & *disciplinæ.* id est, bonis operibus, *tribuit , quòd sit custos spei, retinaculum fidei, & faciat in Christo manere semper, iugiter in Deo vivere, & ad promissa cœlestia, & divina præmia pervenire.* Et ser. de orat. *qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Sic & serm. 1. de Eleemos. ex professo sentit, peccata commissa post baptismum eleemosynâ & bonis operibus extingui. *Semel* inquit, *in baptismo peccatorum remissio datur. assidua & iugis operatio, baptismi instar imitata, Dei indulgentiam largitur.* Idque probare conatur dictis scripturæ, ut Tob. 4. *Eleemosynis & fide purgantur peccata.* Et Eccli. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleimosyna peccatum* Item ex dicto Christi Joh. 5. v. 14. *Ecce sanus es: vide ne quid pecces, ne quid gravius tibi accidat:* ratiocinatur bonis tuendam esse salutem, & amissam recuperandam.

Ex quartæ ætatis Patribus pauca è multis tangam. Cent. 4. cap. 4.

4.cap.4. *Lanctantius*, inquiunt, asserit lib.7.cap.17. *Deum dare nobis aeternam salutem, propter virtutes nostras, labores, aerumnas.* Hilarius in Mat.cap.7. *De nostro est beata illa aeternitas promerenda, praestandumq; aliquid ex proprio* &c. Nazianzenus orat.de cura pauperum *Eleemosynis & fide purgantur peccata. Misereſcendo igitur purgemur, pulchra hac herba animae nostrae abstergamus sordes &c.*

Praeter hos citant in eandem sententiam Nilum *in Gnomis* Chromatium *de octo Beat.* D. Ambrosium *lib.1.Ep.*82. Theophilum Alexandrinum *lib.3. Paschali*, B. Ephrem *lib de vera Poenit. c.1, De Beat. animae c.2. De extr. iud. c.1. & ſerm. de Virg.* D. Hieronymum *in cap.3. ad Gal* & *alibi*. Ac sic denique concludunt. Jam cogitet pius lector, quàm procul haec aetas in hoc articulo, de Apostolorum doctrina (Protestantium dicendum erat) desciverit.

Ex quinto seculo, magna Patrum series, justificationem & salutem operibus quoque nostris meritisque tribuentium, inducitur, Cent.5.cap.4.

Chrysostomus *hom.6.* in Joh.c.1. *Primum errata tua in Deum confiteare, ut justificeris. Hinc David.* dixi pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei *&c. Audi Danielem*, peccata tua eleemosynis redime &c. Et hom.48.in Joh.c.7. *Si Noe, si Iob, si Daniel nobis pater esset, nihil conferrent, si propriis meritis vacui reperiremur.* Et hom. 20.in Joh.c.2. *Nostris ipsorum operibus salutem consequi totis viribus adnitamur.* Item hom.41.& 61.in Joh.c.11. hom. 72. in Joh.c.14. Hom.1.in Gen.c.1. hom 5.in Mat.c.1.ser.1. in c.1. ad Eph.&c. Augustinus, *aiunt*, nimium interdum operibus tribuit, ut de peccat merit & remil. *Dominus quaedam salubria remedia, contra reatum & vincula peccatorum, etiam post baptismum dare & valere dignatus est, opera scilicet misericordiae, cum ait*, dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis. Item cap. 4.&c.

Prosper ait *lib.*1. de vita Cont.c.19. *Nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat.* Et in Epilog l.de Promiss. & Praed. Dei *In ara contriti cordis immolavi holocausta, non sine incenso orationum omnium sanctorum, quibus me ab omni peccato expiari posse confido.* Citatur & S.Leo *serm.2. & 5. collect. & Epist. 9. ad Theod.* Maximus *hom. de diversis*, Eusychus *in c.4. Levit.* Sedulius *in c.4. adRom.* Salonius *in Prov.* Thalassius *hecat.*2. Theodulus *in cap 4.3. & 10. ad Rom*, Eucherius *in l.3. Reg.* Salvianus *lib.*

lib. 3. & 4 de Provid. De quibus omnibus, vel autores, vel Centuriatores consuli poterunt. Mihi veteris orthodoxæ Ecclesiæ sensus tam manifestè in omnium eminere scriptis videtur, ut qui hunc neget, lucem soli negare videatur.

ARTICULUS XXIII.

CRedimus *a* omnes legis figuras adventu Jesu Christi sublatas esse, quamvis earum veritas & substantia nobis in eo constet, in quo sunt omnes impletæ. Legis *b* tamen doctrina & prophetis nobis utendum est, tum ad vitam nostram formandam, tum ut eo magis in promissionibus Evangelicis confirmemur.

a *Rom.* 10. *v.* 4, *Gal.* 3. & 4. *Colos.* 2. *v.* 17. b 2. *Tim.* 3. *v.* 16. & 2. *Petr.* 1. *v.* 19.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

ARTICULUS XXIV. Pars I.

CRedimus *c* quoniam Jesus Christus *datus est nobis unicus advocatus*, *d* qui etiam præcipit, ut ad Patrem suo nomine confident er accedamus *e* *Neque nobis licet, alia forma* preces concipere, nisi ea quam nobis Deus verbo suo dictavit. *f* Quidquid homines *de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse, quã & fraudes fallacias Sathanæ*, ut homines à recta precandi forma abduceret.

c *Tim.* 2. *v.* 5. & 1. *Ioh.* 2. *v.* 1. d *Ioh.* 16. *v.* 33. e *Matth.* 6. *v.* 9. *Luc.* 11. *v.* 2 f *Act.* 10. *v.* 25. & 14. *v.* 15. *Apoc.* 19. *v.* 10.

§. I. Reformatio ex S. literis.

CRedimus, quod *unus sit Mediator Dei & hominum Iesus Christus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* g *Quem & advocatum habemus ap ud Patrem, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris ac totius mundi.* h Sed & *Moyses*, sine sanguine *mediator fuit,* i *sequester & medius inter Deum & homines* l per alios & ipse mediatores Deum placans *Iacui*, inquit, m *coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, & orans dixi : recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, & Iacob: ne aspicias duritiam populi, &c.*

Hoc

1. *Tim.* 2. h 1. *Ioh.* 2. i *Gal.* 3. *v.* 19. l *Deut.* 5. *v.* 5. m *Deut.* 9. *v.* 25.

Hoc olim Jacob docuerat, *invocetur nomen meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum.* n Jobum amici monebant, *ad aliquem Sanctorum convertere* o Jacob ipse, post Deum invocatum, ajebat. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* p Quare nihil vetat, & nos his orandi formulis uti.

n *Gen.* 48. *v.* 16. o *Iob.* 5. *v.* 1. p *Gen.* 48.

Deus hujus vitæ mediatores adhibendos suadet. *Ite ad servum meum Iob, orabit pro vobis & faciem ejus suscipiam.* q Israelitæ rogant *Samuelem, ne cesses clamare pro nobis ad Dominum D.N. ut salvet nos.* r Et D. Paulus, quantumvis sanctus, *obsecro,* inquit, *vos fratres, per D.N.I C ut adjuvetis me in orationibus vestris apud Deum.* ſ Sed & alterius vitæ mediator fuit *Angelus Raphael, qui obtulit orationem Tobia coram Domino* t *& viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* u Nec ignorare nos possunt, qui *spectaculum facti sumus Angelis* x *& mandavit Deus Angelis, ut custodiant nos in omnibus viis.* y nam *sunt administratorii spiritus missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* z Ut nec homines ignorant qui *digni habentur illo seculo, æquales enim Angelis sunt, & filii Dei* a *qui enim vicerit, habebit potestatem super gentes.* b Quid? quod *majus sit gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super 99. justis?* c Si aliquando invocatus *Abraham, nescivit suos & Israel ignoravit eos* d indignos aversando; scivit tamen, *quod haberent Moysen & Prophetas, quos audire possent, & deberent* e Horum intercessio verò post mortem potens est, ut Deus fateatur. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum,* ſ

q *Iob.* 42. *v.* 8. r 1. *Reg.* 7. *v* 8. ſ 1. *Rom.* 15. *v.* 30. t *Tob.* 12. *v.* 12. u *Apoc.* 5. *v.* 8. x 1. *Cor.* 4. y *Psal.* 90. *v* 11. z *Heb.* 1. *v.* 14. a *Luc.* 20. *v.* 35. b *Apoc.* 2. *v.* 26. c *Luc.* 15. *v.* 7. d *Isa.* 63. *v.* 16. e *Luc.* 16. *v.* 29 f *Ier.* 15. *v.* 1.

Credimus quoque audiendum sequendumque. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* (λατρεύσεις) g & cavendū, ne quis juxta Platonicos *nos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, &c. ac seducat in humilitate & religione Angelorū.* h Ideoq; Joannem absterritum, ne Angelum, qui in persona Dei dixerat, *ego sū* primus & novissim⁹, *& ego sum α & ω initiū & finis.* i Ita

g *Matt.* 4. *v.* 10. h *Col.* 2. *v.* 8. & 18. i *Apoc.* 1. *v.* 17. & 21. *v.* 6.

Ut Deum adoraret: *vide ne feceris, conservus enim tuus sum. Deum adora.* l Tamen Angelos sanctosque tanquam Dei amicos rectè veneramur & adoramus, ita uterque Tobias, *cum audisset. Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum, trementes ceciderunt in terram super faciem suam.* m Et *cum aperuisset Dominus oculos Balaam, & vidisset Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravit eum pronus in terram* n Ita Josue, dicente Angelo: *Sum princeps exercitus Domini, cecidit pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus loquitur ad servum suum?* o Et Rex Saul Samuele post mortem apparente: *cum intellexit quod esse Samuel, inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit.* p Nihil igitur vetabit, horum nos exempla hoc in obsequio imitari.

l *Apoc.1.v.17.& 21.v.6.* m *Tob.12.v.15.* n *Num.22.v.31.* o *Ios.5.v.14.* p. *1.Reg.28.v.14.*

§. II. OBSERVATIO.

SI has omnes æqua ratione scripturas ponderes, intelliges illorū fallaciam, qui solum Mediatorem intercessionis Christum, solam adorationem religiosam Deo debitam, nobis conantur, scripturis ceteris obliteratis, persuadere. Unum hoc ubique fallendi est artificium. Multa ex S. literis, vel oculis, vel intelligentiæ mortalium subducere, aut nonnisi detorto depravatoque sensu exponere. Ita se aliosque hi magistri fraudum volentes decipiunt.

Primò, cùm de natura cultus, *quis*, ille, & *cui* debeatur, lis tota sit: & nos, juxta veram certamque Philosophiam, hunc distinguamus, ex triplicis objecti diversitate, hoc est *increatæ excellentia*, quæ solius Dei est: *creata supernaturalis*, quæ gratiæ & gloriæ in beatis est: tum denique, *creatæ naturalis*, quæ est excellentia quædam politica, quâ alius in rep. præ alio eminet, ac necesse omnino sit, ex tanta objectorum, rationumq; moventium diversitate, cultus quoque existere diversitatem: tamen adeò nos præposteros adversarii in hac causa fingūt, ut idololatras faciant, hoc est, dicant nos cultum Deo debitum transferre ad creaturas, sive, quod idem est, tam nos esse hebetes, & perversos; ut non distinguamus cultū excellentiæ creatæ debitū, à cultu qui defertur excellentiæ increatæ. Potestne tanta sentiendi perversitas, vel in nos cadere, qui hæc faciamus; vel in illos, ut intolerabili hæc nobis affingant injuria? Imò, potéstne fieri

fieri adversus intentionem & professionem nostram, dum excellentiam creatam, (licet supernaturalem) veneramur in sanctis, ut dicamur excellentiam illis tribuere increatam, infinitis objecti & rationum intervallis dissitam? Estne mens ac Philosophia in hominibus, qui hæc de nobis sentiunt: aut pudor & religio, si non sentientes asserunt?

Quæro ab adversariis, si Turcæ Christum venerentur, ut Prophetam Dei excellentem, an debito, divinoque illum honore prosequantur? Negabunt certè. Quæ causa? nunquid verus est Deus, quem venerantur? Verus, dicent? sed ipsi, ut talem sua intentione non venerantur, cùm excellentiam illi solum creatam tribuant. Age igitur, & edissere, qui fieri possit, ut nos, qui in Sanctis & creaturam, & non nisi propter excellentiam creatam eandem veneramur, habeamur idololatræ?

Si dicant, nos increatam sanctis tribuere excellentiam; facere enim omniscios, facere omnipotentes, tanquam Deum, facere mediatores, cum unus tantùm Christus sit: non probant, sed calumniatur. Dicimus, sanctos hæc saltem intelligere, quæ ad illorum statum spectant, atque ad eosdem diriguntur, alioquin miseriores forè hominibus in terra, quæ absentium quoque voluntatem communicatione nuntiorum intelligunt.

Quod si tamen Sanctis omnium, quæ fuerunt, sunt, eruntque, in hoc mundo scientiam tribueremus, imò si & illorum quæ in omnem æternitatem futura sunt; an iccirco hæc scientia esset omni ex parte, qualis Dei est, infinita, quæ & ab æterno fuit, & omnium posibilium rerum cognitionem amplectitur? En cæcos convitiatores, quibus his figmentis adversus veritatem tam incompositis grassari lubet. Sed mirantur, quemadmodum è cœlis nostra hic vota etiam intueantur. An non mirantur solem, qui cum ipse in cœlo sit, suis tamen in terra radiis etiam specus illustrat? Et *quomodo*, ait vir maximus, *non omnia vident qui videntem omnia vident?* De omnipotentia frigidius est, quàm ut responso dignum sit, hominis in terra vox erat, *omnia possum in eo, qui me confortat*. Qui per Deum magna operantur, *glorientur* etiam cum eodem *in Domino*. Sed hic (ajunt) cùm tribuat, possitque per seipsum omnia: inviter quoque, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*? Ut quid ad rivulos vertimur, cùm possidemus fontem? ℟. Qui sic invitavit, idem quoque dixit, *ite ad servum meum Iob*. Eundem, cùm perdere Israelitas vellet, Moyses tenuit vivus, Onias mortuus, 2. *Mach*. ult. uterque mediator, non sanguinis,

guinis, aut redemptionis, qualis solus Christus 1. *Tim.* 2. sed intercessionis, qualis ipse non solus; verùm omnes, tam mortales, quàm immortales homines angelique, qui centenis exemplis intercessisse pro aliis leguntur. Ut si hoc argumentum de solo mediatore intercessionis Christo quicquam evincat, tollat omnem etiã hominum pro se invicem apud Deum intercessionem. Quod si per intercessionem advocatus & mediator homo possit esse hominis, neque iccirco Christi mediatoris officium evertitur, quid est, cur beatis & Angelis id nequeat concedi?

At scriptura inquiunt, omnem Angelorum cultum prohibet. ℞. Non omnem, sed illum qui Deo est debitus, qualem, olim Philosophia Platonicorum decepti, quidam Angelis habebant (de quibus Iren. lib. 1. c. 20. Tertull. August. l 8. de civ. c. 12. & alii videri possunt.) Unde monet Paulus *ne per inanem Philosophiam decipiatur*. Verbo, omnis latria proscribitur hoc præcepto. *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies*; dulia si non præcepta, saltem nulli est vetita. Sed vox δουλεύειν *servire* ajunt, etiam in divino cultu usurpatur à scriptura ut *Matth.* 6. v. 24. imò & λατρεύειν, colore quandoque cultui ad Deum non spectanti tribuitur. Apud Latinos quoque cultus religiosus magis Deum, quàm homines spectat. ℞. Si hæ voces grammaticè spectentur, generales esse non diffitemur. At cum veterum recentiumque Theologorum placito, ad hoc, quod intendimus, significatione pressiori usurpentur, satis erit de hoc usu constare, cum nostra de rebus, non verbis sit controversia. Si magis opportunas nobis voces suggerere adversarii poterunt, ultro hîc de vocibus cedemus. Latriam interea pro cultu tantùm divino, ut plerumque scriptura facit, duliam pro cultu servorum Dei, cum ipsa vox δοῦλος servum designet, religiosum cultum promiscuè usurpabimus, ut & vox *adoro* & προσκυνεῖν, tam in creaturarum, quàm Dei veneratione adhibentur; licet illa pro principali significato, quod est, *adorare Deum*, à nonnullis usurpetur. Sat est de vocibus ultro citroque convenisse. Vicerunt Catholici, si constet illos in sanctis non venerari excellentiam increatam, nec civilem tantùm, sed alterius ordinis supernaturalem gratiæ gloriæque divinæ, quàm à naturali tam certum est distingui, quàm certum est supernaturalia dona à naturalibus toto genere separari: ab increata verò qui distingui negaverit, inter homines ratione præditos

ditos habendus non est. Ut autem securi sint non nisi creatam nos excellentiam venerati; Ego præsenti scripto, ex sensu totius Ecclesiæ Romanæ, detestor execrorque universos tanquam læsæ divinæ majestatis reos, hostesque illius gravissimos, quotquot alicui creaturæ, divinum honorem, excellentiamque tribuunt increatam. Anathema illis, universisque tam abominando sacrilegio faventibus.

Jam verò perditis illis falsariis, & criminatoribus, qui innoxiis idololatriæ adeò detestandæ scelus, sine teste ac Judice legitimo imponunt, tamquam profligatæ mentis desperatæque salutis hominibus, idem anathema dicimus, atque ut Dei, veritatis, religionis, pacisque hostes, nisi resipiscant, execramur. At æquiores omnes futuros existimem, quàm ut cum tam iniquis censeri velint, neque tam æquam nostram contestationem probare.

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ Patres cultum sanctorum longo usu certisque Scripturis S. Invictè stabiliunt.

Quandoquidem ex adversariis nonnulli Sanctorum cultum in veteri Ecclesia primis seculis ignotum fuisse contendunt, ab æqualibus Apostolorum, & proximè succedentibus, quædam nobis petenda erunt, quæ historiæ saltem fidem sustinebunt. Martialis Epist. ad Burdeg. cap. 3. *Dum*, inquit, *altaria Dæmonum in pulverem redigerentur*, aram in noti Dei *Act.* 17. *ad consecrationem reservari jussimus. Quâ dedicata in nomine Domini Dei Israel, & ipsius Testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est.*

Clemens lib. constit. Apost. cap. 8. (si qua scripti fides) ait. *De Martyribus dicimus vobis, ut apud vos in omni honore sint, quemadmodum & apud nos in honore habiti fuerunt B. Iacobus Episcopus & S. noster condiaconus Stephanus. Ii enim à Deo beatitudinem sunt consecuti, immutabiles in bonis, securi in laudibus, de quibus David dicebat* psal. 115. pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum. *Et Salomon* memoria justi cum laude. *Proverb.* 10.

Dionysius Eccles. hierarch. cap. 3. par. 3 De sanctis inquit: *Non mortificati, sed in divinam penitus vitam è morte translati sunt. Inspice autem, ut sacris quoque memoriis adscripti sunt* Novit

enim, *ut ait scriptura*, qui sunt ejus, *&* pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus *psal.* 115.

Justinus in 2. Apol. p. 2 *illum* (Deum inquit) *& eius filium qui venit, nosque hac docuit, & aliorum sequentium similiumque bonorum Angelorum exercitum, & spiritum propheticum colimus & adoramus* &c. Vide *Originem* hom. 3. in diversos. In Job. lib. 2. & 3. In lament. Jerem. De principiis lib. 2. c. 12. & alibi, ubi vel docet sanctos de cœlo nos intelligere, piéque ac rectè invocari: vel conceptis ipse precibus disertè invocat, ac veneratur.

Idem diversis locis facit *Basilius Magnus*, ut homil 20. de 40. Martyr. *Sape, inquit, laborastis, ut unum pro vobis orantem haberetis. Quadraginta sunt hi unam orationis emittentes vocem.* Ubi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi est Deus, & Homil. 26. de Mamante Martyre.

Ita S. *Ephrem* in sermone de SS. Martyr. eosdem invocat. S. *Gregorius Nazianzenus* orat. 18 de laud. S. Cypriani, eundem supplex implorat. Ut & S. Basilium orat. 20. & in Epitaphio. S. Athanasium orat. 21. *Deo*, inquit *omnes vivunt, qui secundum Deum vixerunt, etiamsi ex hac vita migrarint. Vnde & Deus*, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob dicitur, ut viventium Deus non mortuorum Matth. 22. &c. *O charum & sacrum caput, tu nos utinam benignus desuper & placidus adspicias* &c.

D. Ambrosius lib. de viduis. Magnis, inquit, tenebatur febribus, & rogaverunt illum (Petrus & Andreas Christum) pro ea. *Luc.* 10 *Et tu habes proximos: qui Deo pro te supplicent, habes Apostolos proximos, habes martyres proximos* &c. Iste qui pro socro rogat Petrus & Andreas frater ejus, *tunc pro affinitate poterant, nunc jam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare.* Vide eundem de fide Resurrectionis in fine, & in cap. 22. Lucæ.

Chrysostomus homil. 2. in psal. 50. *Cum esset Ezechias vir justus*, rogavit Deum, & prostratus lacrymis precabatur, ultionem de adversariis postulans. 4. Reg. 19. *venit ad eum Isaias propheta, & dicit*: protegam hanc civitatem propter me, & propter David servum meum, *David mortuus est, & merita eius vigent. O rem admirandam & ineffabilis clementia! homo mortuus vivo patrocinatur.* Vide eundem homil. 27. in Matth. & 42. in Gen. & 60. ad pop. Antioch. & serm. de adoratione caten.

D. Hieronymus contra Vigilantium cap. 2. *Quis, ô insanum caput, aliquando* (ut Deum) *Martyres adoravit? quis hominem*

minem putavit Deum : Nonne Paulus & Barnabas, cum à Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, & iis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua & se homines dixerunt *Act.* 14 *quod & de Petro legimus*, qui Cornelium se adorare cupientem manu sublevavit, & dixit. Surge, nam & ego homo sum. Act. 10. *Vide eundem ad Eustochium de Epitaphio Paulæ, in vita S. Hilarionis, & alibi.*

D. Augustinus super Genes. quæst. 61. *In verba:* Exurgens autem Abraham adoravit populum terræ *Gen.* 23. *Quæritur*, inquit, *Quomodo scriptum sit*, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies? *Deut.* 6. *cum Abraham sic honoraverit populum quendam gentium, ut etiam adoraret? sed animadvertendum est in eodem præcepto non dictum* : Dominum Deum tuum solum adorabis *sicut dictum est*, illi soli servies, *quod est græcè* λατρεύσεις : *talis enim servitus, non nisi Deo debetur. Vnde damnantur idololatræ, id est eiusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ Deo debetur. Nec moveat, quod alio in loco, in quadam scriptura Apoc* 16. & 22. prohibet Angelus adorare se. *Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo possit adorari, & ideò fuerat corrigendus adorator* Et de Trin. lib. 1. cap. 6. *Iubemur* non servire creaturæ, sed Creatori. Rom. 1. v. 25. *non eo modo, quo jubemur per* charitatem servire invicem *Gal.* 5. v. 14. *quod est græcè* δουλεύειν, *sed eo modo, quo tantum Deo servitur, quod est græcè* λατρεύειν.

Idem Tom. 3. locut. l. 1. c. 200. *Iacob benedicens, Nepotes suos Ioseph, ait inter cetera* : Et invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum *Gen.* 48. *Vnde notandum, non solum exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquando, quæ non Dei, sed hominum sit* Et tom. 4. Annot. in J b. c. 19. Miseremini mei, miseremini mei (vos amici) *Angelos,* inquit, *videtur postulare, ut pro eo deprecentur, aut certè sanctos, ut pro pœnitente orent.* Et in festo Apostol. Petri & Pauli *Serm.* 5. *qui est de sanctis* 29. *Et* ponebant infirmos, ut umbra saltem transeuntis Petri adumbraret eos. *Act* 5. *Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis ; Si tunc supplicantibus proderat aura quadam pertranseuntis, quantò magis gratia nunc permanentis?*

Idem de vera Religione cap. 55. *Quisquis Angelorum diligit hunc Deum certus sum, quod etiam me diligit.* Quisquis in illo manet *& potest humanas sentire preces,* in illo me exaudit. *Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi eius participationem potest invidere.* Et de Civit. Dei lib. 22. cap. 29.

Si propheta Helisæus puerum suum Giezi *absens corpore vidit accipientem munera*, quæ dedit ei Naaman Syrus, &c. 4. Reg. 5. *quantò magis in illo corpore spirituali videbunt Sancti omnia, non solum si oculos claudant: verùmetiam unde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus* 1. Cor. 13. ex parte, *inquit*, scimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur. *Et de cura pro mortuis gerenda*. c. 14. *Quomodo quid hic ageretur Abraham pater nesciebat ubi* sciebat, esse Moysen & Prophetas, &c. *ubi noverat, divitem illum in deliciis; pauperem verò illum Lazarum in laboribus doloribusq; vixisse? Nam & hoc illi ait*: memento fili, quia percepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala *Luc.* 16. v. 25.

§. IV. Propria adversariorum testificatione constat Sanctorum cultu & veteri orthodoxa viguisse.

Beza in *præfatione ad Nov. Test.* Ipsa, *ait*, temporum historia manifestè probat optimis etiam illis temporibus, si cum posterioribus conferantur, eam fuisse Episcoporum partim ambitionem, partim futilitatem & ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam, & desperatissimam improbitatem, ut Satanam planè cæribus eorum præfuisse, vel ipsi cœci facillimè perspiciant. Jam enim jaciebat Satan prima mortuorum invocationis fundamenta. *Et infra*, Invalescebat eorum tempore mortuorum invocatio, & stulta opinio cælibatus. Quos pudendos errores apertè defendit Hieronymus.

Centuriatores postquam *Cent.* 2. c. 4. falsò dixissent, consuetudinis invocandi sanctos in Doctoribus hujus seculi nulla vestigia conspiciuntur, *mox tamen retractare sententiam videntur cùm addunt*, nisi quis pro incommodo dicto accipiat hoc, quod apud *Irenæum* lib. 5. est. *Sicut illa* (Eva) *seducta est, ut effugeret Deum: sic hæc* (Maria) *suasa est obedire Deo; uti Virginis Evæ Virgo maria fieret advocata*. Ubi manifestè alius præter Christum, pro nobis advocatus agnoscitur. Poterant iidem Centuriatores *Justinum* quoque consulere supra à nobis productum, si reliquos autores aspernarentur. Et verò si in tanta hujus seculi scriptorum penuria, nemo esset, qui invocationis meminisset (quomodo enim singulos autorum singulas hasce attigisse materias prudenter statuamus?) an proxima, ad hujus veritatis testimonium, secuta non sufficient?

In altero certè seculo cent. 3. cap. 4. palam fatentur & agnoscunt, invocationem SS hisce verbis. Videas in Doctorum hujus seculi scriptis non obscura vestigia invocationis sanctorum. Habes ejus formulam apud Origenem l. 2. in Job sub finem *O beate Iob, ora pro nobis miseris, ut etiam nos terribilis Dei misericordia protegat, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni* &c.

Et Autor Homil. in canticum hom. 3. *omnes Sancti*, inquit, *qui de hac vita discesserunt, habentes adhuc charitatem erga nos, qui in mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & adjuvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens asserere. Scriptum namque est in Machab. libris ita:* Hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.

Origenes sentit hom. 16. in Jos. *Sanctos Martyres pugnare nobiscum, & nos adjuvare orationibus suis.*

Cyprianus lib. 3 *Epist.* 15. *Lapses*, dixit, *auxilio Martyrum apud Deum adjuvari* Idem ex aut. re serm. de Stella & Magis, tum ex Eusebio lib. 1. c. 5. probant.

In tertio seculo Cent. 4. c. 4. disertissima pro invocatione Sanctorum à Centuriatoribus occultari ex instituto non poterant.

Athanasius de *incarnat. Verbi*, ait, *Si adoras hominem Christum, eò quod ibi inhabitet Dei verbum, unà opera adora quoque Sanctos, ob Deum qui in illis domicilium habet.* Et in Evangelio de S Deip. Audi, inquit, filia *Davidis & Abraha,* & inclina aurem tuam *in preces nostras* & ne obliviscaris populi tui. Ad te clamamus &c. *Ave gratiosa, Dominus tecum, intercede hera, & Domina, & Regina & Mater Dei pro nobis.* Ista prorsus (*subjiciunt Centuriatores*) idololatriam spirant. *Basilius* ab iisdem orat. in 40. Martyres citatur, de quo nos supra

Gregorius Nazianzenus orat in laudem S. Basilii. *Tu sacrum, inquit, & divinum caput, ex alto nos respice, & carnis stimulum, aut tuis siste precibus; aut fortiter me ferre persuade.* Et orat. in Cyprianum. *Tu nos ab alto propitius respice, nostrumque sermonem ac vitam dirige, & sanctum ovile hoc pasce, aut unà rege.*

Ambrosius in precatione præparantis Missam. *Ut efficax*, inquit, *hac mea sit deprecatio, B. Maria Virginis suffragia peto, Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deposco, Confessorum orationes expostulo.* Similia citant ex lib. de Viduis. Sed alibi l. 3. de Spir. S. c. 12. malè aliud sensisse statuunt, cum dicit. *Dom Deum tuum adorabis* Matth. 4. *Ne quis hoc derivet ad Virg. Mariam, erat templum Dei, non Deus templi.* Hoc enim idem contra Antidicomarianitas

marianitas & Collyridianos statuit, quod Epiphanius contra eosdem Deiparam videlicet cum Christo divinæ naturæ participem facientes, docuit. Sic ille inter cetera lib. 3. contra hæreses. *Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Revera Virgo ipsa erat Virgo, & honorata sed non ad adorationem (*tanquam Deus*) nobis data.*

Prudentius in hymno ad D. Laurent. *Indignus agnosco & scio, quem Christus ipse exaudiat; sed per patronos Martyres, potest medelam consequi.*

His concludo, quia ad reliqua secula, in tam manifesto veritatis deprehensæ in veteres argumento, nequaquam transire, necesse est. Ceterùm sicui adire hic quoque Centuriatores placeat, is Cent. 5. cap. 4. *de oratione* videat.

§. V. PARS II. ARTICULUS XXIV.

Rudiamus etiam quæcunque alia media, excogitarunt homines, ut sese divinæ iræ eximant, utpote quæ sacrificio, & morti Christi tantundem derogent, quantū illis tribuitur.

Ex confessione Helvetica, & Confœderatorum.

CAp. IV. Rejicimus non modò gentium idola, *sed & Christinianorum simulachra.* Negavit se Christus venisse ad solvendum legem & Prophetas. At lege & Prophetis prohibitæ sunt imagines [*Exod.* 20. 4.] Negavit Corporalem suam Ecclesiæ profuturam præsentiam, Spiritu S. se nobis perpetuò adfuturum promisit. Quis igitur crederet umbram, vel simulachrum corporis aliquam conferre piis utilitatem? Et quando beati Spiritus ac Divi cælites, dum hic viverent, omnem cultum sui averterunt [Act. 10. v. 26. Apoc. 19. v. 10.] cui verisimile videatur Divis cælitibus, & angelis suas placere imagines?

Cap. V. Multò verò minus credimus Reliquias Divorum adorandas esse, aut colendas. Veteres isti Sancti satis honorasse videbantur mortuos suos, si honestè mandassent terræ reliquias, postquam astra petiisset spiritus.

§. V. Reformatio de imaginibus & reliquiis SS.

EXecremamur *simulacra gentium, argentū & aurum, opera manuum*

nuum hominum a, omnesque *qui appellarunt Deos opera manuum suarum*; b vel *qui mutaverunt gloriam incorruptibilis* Dei *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium*; vel (qui figmenta, pro Deo, amplexi) *commutaverunt veritatem in mendacium, & coluerunt ac servierunt creaturæ potius, quàm Creatori*: c vel, qui *immolant Dæmoniis, & non Deo*. d In tali idolo non vult coli, qui dixit: *assimilastis me, & adæquastis. & comparastis me, & fecistis similem, qui fertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes aurificem, ut faciant Deum, & procidunt & adorant*. e *Non* enim *habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo desuper, vel in terra deorsum, non adorabis ea, neque coles*. f. Universè omnibus dictum: *Non facietis vobis idolum*, & *sculptile, ut adoretis*: quemadmodum *fecerunt vitulum in Horeb; & adoraverunt sculptile*, & *obliti sunt Deum, qui salvavit eos* g dicentes: *hi sunt Dii, qui eduxerunt nos de Ægypto*. g Ceterùm nihil prohibet, citra ejusmodi cultum, hoc facere, quod Salomon. a. qui *omnes parietes templi per circuitum sculpsit, variis celaturis, & fecit in iis Cherubim*. h honorare quoque ut *Iosue pronus cecidit in terram, coram arca Domini, tam ipse, quam omnes seniores Israel* i & *David cum summo honore ex domo Obeded marcam transtulit*. l Nam *Philisthæi qui sine reverentia contrectare ausi erant, puniti sunt*. m Israelitæ verò jussi sunt *adorare scabellum pedum eius* (arcam) *quoniam sanctum est*. n Rei tamen creatæ honor divinus tribui non debet. Unde *Serpens æneus erectus à Moyse est, ut populus à serpente percussus, eius conspectu sanaretur* o sed *postquam incensum* tanquam Deo *immolarent*, licet figura Christi esset, *Rex Ezechias destruxit*. p Ergo omnia in hoc cultu licita, præterquam quod soli Deo debitus honor & adoratio, signis non sit præstanda.

a *Psal*. 113. b *Sap*. 13. c. *Rom*. *v*. 23. & 25. d 1. *Cor*. 10. *v*. 20. e *Isa*. 46. *v*. 5. f *Exod*. 20. *v*. 2. g *Psal*. 105. & *Exod*. 32. h 3. *Reg*. 6. i *Ios* 7. *v*. 6. l 2. *Reg*. 6. m 1. *Reg*. 5. n *Psal*. 98. *v*. 5. o *Num*. 21. *v*. 8 p 4. *Reg*. 18. *v*. 4.

Credimus quoque, Reliquias Sanctorum venerandas, tanquam *templa Spiritus S*. q *membra Christi* r *glorioso olim Christi corpori conformanda*. s Ut *Moyses fecit ossibus Iosephi, quæ transtulit in terram promissionis*, t & *corpori Moysi ipse Dominus*[u], *quod sepelivit in valle terræ Maob contra Phogor, & non cognovit homo sepul-*

 chrum

q 1. *Cor*. 6. *v*. 19. r *Eph*. 5. *v*. 30. s *Phil*. 3. *v*. 21.
t *Exod*. 13. *v*. 19.

chrum eius, u *Archangelo etiam Michaële pro corpore illius contra Dæmonem decertante*. x. *Iosias quoque, aliorum ossi flamma abolitis, ossa sancti Prophetæ reperta asservari iubet, dum contra idololatriam destructis idolis pugnat*. y De Ch isto prædictum, *ij sumgentes deprecabantur, & erit sepulchrum eius gloriosum*. z *Christi fimbriam tangit Hemorrhoissa & sanatur*. a *Ioannes Baptista*, audet dicere, *non esse se dignum, qui solvat corrigiam calceamenti eius* b D. Pauli Apostoli *sudaria, & semicinctia Dæmones fugabant, sanabant ægros* c *ipsa Petri umbra ægros inumbrans morbos abstersit*. d *Virga Aaron, quæ fronduerat, in arca servabatur, & super arcam erant Cherubim*. e *Ad pallii Eliæ attactum aqua Iordanis divisa viam fecerunt*. f *Elisæi ossa solo contactu mortuum ad vitam revocarunt*. g De terræ parte præceptum Moysi est: *Solve calceamenta de pedibus, quia locus in quo stas, terra sancta est*. h Similem igitur honorem, reverentiamque habere ossis, sepulcris, locis, vestibus, aliisque reliquiis sanctorum laudabile est.

u *Deut*. 34. *v*. 6. x *Iudæ*. 9. y 4. *Reg* 23. *v*. 17. z *Isa*. 11. *v*. 11.
a *Mat*. 9. *v*. 20. b. *Ioan* 1 *v*. 27. c *Act*. 9. *v* 12.
d *Act*. 5. *v*. 16. e *Hebr* 9 *v*. 5. f. 4 *Reg* 2. *v*. 8.
g 4. *Reg*. 13. *v*. 21. h *Exod*. 3.

§. VII. Observatio.

HIc articulus ex prioris evictione suisque scripturis clarus facilisque est, atque iccirco etiam à Genevensibus neglectus, & solũ generatim insinuatus. Quæ de modis hujus cultus, qui in relatione consistit, nonnulli per reflexos speculantur, & etricantur actus, ad fidei momentũm non spectant. Ubi Theologi hærent, rustici etiam quoad exercitium rem esse planam obviamq; sentiũt. Nam quidquid in religioso cultu, vel imaginibus, vel reliquiis defertur, totum refunditur spectatque ad Sanctos, Deumque, qui designãtur. Unde si quis argenteam e. g. statuam, etiam propter artificium, vel pretium amet, hoc ad religionem omnino spectare nequit. Si verò amet, quia ad repræsẽtati Christi memoriam amoremque excitat; honoret etiam, quia tam dilecti nobis Domini, vel speciem aliquam, vel præsentiam contactumq; ut in sepulchro proponit; totus ille honor non nisi ad Dominum, in quam honorans mente fertur spectabit: ideóque si falsæ nonnunquam reliquiæ, pro veris supponerentur, non tamẽ colam nisi illum, quem specto in reliquiis, nec errabo nisi in materia, uti is qui hostia, sed per errorem non consecrata,

Christum

Christum adoret, non tamen adoraret nisi Christum, quia ubicunque is fuerit, ad hunc fertur adorantis animus. Tota rerum illarum observatio in ipsum Dominum refunditur.

Hæc tam manifesta sunt, ut ab ultima etiam plebecula Catholicorum queant palpari, in qua ego jam ab annis 50. tam stupidum caput non reperi, quod reliquias vel imagines, more gentilium, Dei alicujus loco haberet; vel longè etiam, quàm gentes perversius, divinum illi cultum exhiberet, quod novit non esse Deum. Gravius aliquid dicturus sum. Aio impossibile videri, ut divinus honor rei habeatur, aut veneremur, ut Deum, quod non credimus esse Deum. Nam *quomodo* honorabunt, aut *invocabunt Deum, in quem non crediderunt?* ait Paulus Rom. 10. Fides necessariò omnis divini honoris & invocationis est fundamentum. Quem non credo Deum, nec honoro ut talem, nec invoco, nisi insanus sim, & contra propriam mentem sine mente pugnem. Quæ Calvinus, Molinæus, Amesius, aliique ad subversionem S. scripturæ moliuntur, ac si hæc traderet, Judæos etiam ob similem cultum, quem non simulacris, sed vero Deo in iis culto detulissent, esse damnatos, omnino frivolum confictumque ex scripturis ante recitatis cognoscitur, quæ dicit, quod *vel ipsa idola, opera manuum suarum, vel creaturas, aut figmentum capitis sui, aut Dæmones pro Diis habuerint:* neque alia simulacra proscribit, quã quæ adorantur coluntur que, ut Dei alieni: nisi se ipsam ipsa destruat, cùm Cherubim admittit. Unius Serpentis figura atqui ēto est, quæ cum in illa honoratur Dei potentia, placuit; cum ipsa, ut Deus, immolatis colitur, displicet.

Atqui quantus honor delatus intuitu Dei, & cur id pati nunc ratione non queat? Ipsi Reformati, nunquid honorem habent figuræ panis Ecclesiastici in cæna, scriptis Christi figuris in S. Bibliis, totique verbo Dei non civili cultu, sed quia Dei est? & quo illud tuentur pacto, nisi prototypon religiosè venerentur in typo? Quando hi imagines, reliquiasque, vel Christi, vel sanctorum à templis ad fimeta & ignes proscribunt, vellentne imaginem suam, aut ossa, è domo & sepulchris ad fimeta & patibulum transferri? Ipsos relinquam hac in re judices, meque ad alia transferam. Poterunt interea Cromwellistas hac de re consulere ex Angila, ut cum his expendant; an sine dedecore illorum Princeps ex sepulchro ad patibulum translatus sit?

§. VIII.

§. VIII. Veteris Orthodoxæ Ecclesiæ usus sententiaque exponitur.

NE prorsus hunc locum sine Patrum suffragiis transiliam, non nullos audiemus, adjuncta tamen historicorum veterum autoritate: cùm historicæ quæstionis sit, utrum imagines olim cultæ sint?

Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem c. 22. sic differit. *Deus* similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cœlo, & in terra, & in aquis, *ostendit causas idolatriæ scilicet substantiam cohibentes: subjicit enim*, non adorabis ea, neque servietis illis. Exod. 20. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Mosi à Domino, *non ad idololatriæ titulum pertinebat*; sed ad remediendos eos, qui à Serpentibus infestabantur. *Et taceo de figura remedii*. Num. 21. Sic & Cherubim, & Seraphim aurea Exod. 25. in arcæ figuratum exemplum, *certè simplex ornamentum, accomodata suggestui, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditine, ob quam similitudo probibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur*.

Eusebius Cæsariensis demonst. Evang. l 5. c. 9. Aparuit Deus Abraham ad quercum Mambre. Gen. 18. *quamobrem ad hoc usque tempus, iis locum tanquan divinus ad honorem illorum qui* illic Abraham apparuerunt *à vicinis populis cebratur*, *& spectatur adhuc firma terebyntus*, & qui ab Abraham excepti sunt hospitio *pictura sic expressit, ut duo quidem utrimque tertium, ut honore prastantiorem medium habeant. Sit autem hic declaratus nobis Dominus ipse servator noster, quem etiam ignari venerantur, qui divinis oculis credunt*.

Athanasius Alexandrinus Interr. ad Antiochum Princ. c. 38 *Quemadmodum* Jacob cum esset è vita discessurus fastigium virgæ Joseph adoravit: Heb. 11. v. 21. *non virgam ipsam honorans, sed eum qui virgam tenebat.: ita nos Christiani non alia ratione imagines colimus: nisi quemadmodum etiam, cum filios nostros & Patres osculamur, animi nostri desiderium indicamus. Sicut* & Judæus olim legis tabulas, & duo Cherubim aurea, & sculprilia quondam adorabat: *non lapidis aurive naturam colens, sed Dominum, qui ea, ut fierent, pracipiebat.*

Sozo-

Sozomenus lib. 5. c. 20. narrat. *Quod, cum certus factus esset Iulianus Apostata, Cæsareæ Philippi præclaram esse Christi statuam: quam* mulier quæ sanguinis profluvio laborabat (Mat. 9.) *cum esset morbo liberata, ibi collocarat; eam deturbavit suamque in ejus loco posuit. Quo facto ignis violentus de cœlo lapsus, statuam eam circa pectus diffecuit* &c. *Christiani verò statuam Christi in Ecclesia posuerunt, ubi etiam adhuc custoditur.* Vixit hic scriptor quinto Christi nati seculo.

D. Athanasius in libello de passione imaginis Christi, qui in 7. Synodo generali est recitatus, sic habet cap. 4. *Postquam curati sunt (perunctione sanguinis Christi, qui ex imagine fluxerat) cuncti qui ægritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum S. Ecclesiæ quæ in eadem urbe erat, ubi & Metropolitanum invenerunt, cujus provoluti vestigiis, se peccasse, se graviter deliquisse, magnis vocibus fatebantur. Is cum ab iis perquireret omnem rei gestæ veritatem. Sanctam iconam Domini Salvatoris eidem demonstrantes, annuntiaverunt cuncta quæ in ea exercuerant, & qualiter ab ista lancea sanguis & aqua emanavit ex latere ipsius, necnon de mirabilibus ab ea ostensis ipsi retulerunt per ordinem. Ille verò interrogabat, qualiter icona ipsa ab eis fuisset reperta; & si ab aliquo eam accepissent. At illi retulerunt ei, quod quidam Christicola per oblivionem in cellula Synagogæ proxima dimisisset eandem iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statim jubetur inquiri, & repertus in præsentia Domini Metropolitani statuitur. Cumque ab eo studiosissimè fuisset interrogatus, quomodo icona ad se devenisset, vel à quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quod Nicodemus qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset, Gamaliel autem Doctoris gentium Pauli Magister, cum diem sibi cerneret adesse extremum Iacobo eam reliquit, & Iacobus Symeoni, & Symeon Zachæo, & sic per successionem temporum in Ierosolyma perduravit, usquequo subversio illius urbis parata est quadragesimo & tertio anno post ascensionem Domini Salvatoris ad cœlos &c. Quo tempore icona cum ceteris rebus ecclesiasticis deportata, usque hodie in Syria permansit, quam ego ipse à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam jure hereditario usque nunc possedi. Hæc certa, & manifesta ratio est de icona sancta Dom. Salvatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes pervenit.*

Nicephorus Callistus. l. 6. hist. Eccl. c. 16. *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusque adeò Christi, & quæ eum supra naturæ captum mirificè genuit Virginis Matris, coloribus adumbratas*

bratas, imagines plurimas ad hunc usque diem conservatas esse novimus. Ac Lucas quidem Apostolus ipsas accuratè, opus id exorsus, manibus suis depinxit. Deinde verò ex veteribus alii quoque viri, pro eo atque par erat, veluti servatores suos, insignis & picturis servantes, idem fecere. Idem de imagine Christi ad Augarum (alii Abagarum) missa, ex antiquis monumentis l. 2. c. 7. probat, uti & de alia Christi, quàm Matris, & à Rege Persarum in magna veneratione habita.

S. Damascenus adversus iconomachos, atque inprimis Leonem Imp. multis testimoniis scripturæ & Patrum [quibus propinquus ætate fuit] imaginum honorem tuetur. Sic habet l. 4. orth. fidei c. 7. *Vt ille magna rerum divinarum eruditione præditus Basilius*, ait, c. 18. *libro de Spiritu S.* Imaginis honor ad exemplar transit. *Exemplar, porrò est id, cujus effigies exprimitur, ex quo forma hinc ducta fit. Quid ergo causa fuit, quamobrem Mosaicus populus tabernaculum illud, quod cœlestium rerum, imo universæ creaturæ imaginem ac formam gerebat, adoraret? Exod. 33. Ait quippe Mosi*: vide, ut omnia facias, juxta formam tibi ostensam in monte. *Exod. 25.* Quid Cherubim illa, quæ propitiatorium obumbrabant, *an non humanarum manuum opera? At scriptura divina eos*, qui sculptilia adorant Dæmoniisque victimas offerunt, *insectatur. Siquidem tum Græci, tum Iudæi sacrificabant. Verùm Græci Dæmoniis, Iudæi autem Deo, ac proinde Græcorum quidem sacrificium reiiciebatur ac damnabatur: Iudæorum autem Deo gratum & acceptum erat.*

Denique ex secunda Synodo Nicena quæ est 7. generalis, & à 350. Episcopis celebrata est, tanta autoritate Patrum & Scripturæ S. imaginum cultus stabilitur, ut facile illa quæ ex quibusdam Conciliis adversus hunc producuntur concidant. Recitatur in hac synodo act. 2. præclara Epistola Adriani I. Pontificis ad Constantinum Imper. & Irenen matrem, ubi postquam docuisset Constantinum Mag. Ecclesias passim imaginibus ad Christi D. & Sanctorum reverentiam exornasse, (de quibus Damasus Papa, in vita S. Sylvestri disertè) subjicit ex Epistola D. Basilii contra Julianum: *Confiteor filii incarnatam* οἰκονομίαν: *deinde S. Mariam, quæ secundùm carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suscipio etiam SS. Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à SS. Apostolis non est prohibendum; sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum historias erigimus.*

Adfert

Adfert deinde Chrysostomi, Cyrilli, Athanasii, Ambrosii, & B. Stephani Episcopi Bostrensis testimonium. Et hic quidem sic inquit: *Omnis imago, sive Angelorum sive Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum, aut alioquin, in nomine Domini Dei facta, sancta est, non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum quod in ligno datur contemplandum, atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim Principes etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus & reverenter salutamus. Quid vetat igitur, quo minus non liceat sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum imagines statuere?*

Plus igitur non exigimus à Protestantibus, quàm SS. Patres, veteres historici, ratio, ususq; perpetuus, vel exponit, vel exigit. Hæc si præstent, detestentur licet nobiscum idololatriam omnem, & antiquæ orthodoxæq; Ecclesiæ vestigiis inhæreāt. Imo si alio fine imagines Christi Sanctorumque à se amotos nolint quàm ne per imbecillitatem phantasiæ suæ in idololatriam incidant, omittant sanè, negligantque & soli sese Deo honorando colendoque ex animo impendant, sic etiam nobiscum facient: modò illos, qui citra idololatriam his utuntur, non rejiciant.

§. IX. De reliquiis Sanctorum orthodoxæ sensus Ecclesiæ.

CLemens Rom. Constit. Apost. l. 6 c. 29. *Eorum*, inquit, *qui apud Deum vivunt, ne reliquiæ quidem corporum inhonoratæ sunt.* Siquidē Elisæus Propheta, postquam defunctus est, mortuum suscitavit à pyratis Syriæ occisum. Attigit enim corpus ejus corpus Elisæi 4. Reg 13. & excitatus revixit. *Quod quidem nunquam accidisset, nisi corpus Elisæi sanctum esset.*

S. Basilius Mag. in psal. 115. *Pro legis Iudaicæ ritu, si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi. Contra mors, si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud:* non contaminabitur super ullo mortuo. *Leu* 21. &, si quis tetigerit cadaver, immundus erit *Num.* 6. & hoc: lavabit vestimenta sua *Num.* 19 *nunc è diverso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps.* Quare pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

D. Ambrosius Epist. 85. *Respexit sanè humilia Dominus, qui latēntes sub ignobili cespite Reliquias Sanctorū* (Gervasii & Protasii) *sua Ecclesia revelavit.* Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperē, quos videtis, ut eos cum principibus populi sui

collo-

collocarit psal. 112. &c. *Cognovistis, imò vidistis ipsi multos à Damoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus absolutos &c. Succedant triumphales victima in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est, isti sub altare, qui illius redempti sunt passione.* Idem ser. 91. de iisdem. *Quia celebritatem vestram invidus animis ferre non possunt* (Ariani) *causam celebritatis odêre, atque amentia in tantum prodant, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam Damones confitentur. Dicebat Diabolus:* Jesu fili Dei vivi, qui venisti ante tempus torquere nos? *Mat. 8. & cum hoc audirent Iudai, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes Damones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes: quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis. Et Ariani dicunt: non sunt isti Martyres, nec torquere Diabolum possunt, nec aliquem liberare. Negant cacum illuminatum, sed ille non negat se sanatum &c. Hoc est Christo non credere. Ipse enim dixit:* Et majora his facietis. Joan. 14.

Et serm. 93. vel in edit Basileensi 29. *Honoremus B. Martyres, principes fidei, intercessores mundi, pracones regni, cohaeredes Dei, Quod si dicas mihi: quid honoras in carne jam resoluta atque contempta, de qua nulla jam Deo cura? Et ubi est illud charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam?* Pretiosa, *inquit*, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. psal. 115. *Et iterum*: mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus. ps. 138. *Honorare debemus servos Dei, quantò magis amicos Dei, & de quibus alio loco dicitur*, Dominus, *inquit*, custodet omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur. ps. 33

S Ephrem Encomio in S S. Martyres. *Semper*, inquit *Sanctis Reliquiis gratia adest Spiritus S. qua cuncta in eis miracula edit*, quoniam *viriliter* Christum coram hominibus *in magna patientia* confessi sunt. Quare & ipse eos coram patre suo, & Angelis prædicavit. &c. Mat. 10. v. 32.

S. Hieronymus in hoc argumento contra Vigilantium hæreticum acer disertusque est in Epist. 53. ad Riparium, sic ait *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut ejus, cujus sunt Martyres adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait.* Qui vos suscipit, me suscipit. Mat. 10. *Ergo Petri & Pauli immunda sunt reliquia? Ergo Mosi corpusculum immundum erit, quod juxta Hebraicam veritatem*, ab ipso sepultum est Domino? Deut. 34. *Et quotiescunque Apostolorum & Prophetarum*

phetarum omnium basilicas ingredimur, toties idolorum templa veneramur, accensique ante tumulos eorum cerei, idololatriæ insignia sunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in autoris caput. Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit &c. Si non sunt honoranda Martyrum Reliquiæ, quomodo legimus: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus? Ps. 115. *Si illa mortuorum polluunt contingentes, quomodo* Elisæus mortuus mortuum suscitavit? 4. Reg. 14. &c. Pluribus hic contra Vigilantium differentem consule.

D. Augustinus De sanctis serm. 11. *Videte quem eidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt. Dicit enim scriptura Apoc. 6.* Vidi enim sub ara Dei animas occisorum propter Verbum Dei, & propter testimonium Jesu Christi quod habebant. Sub ara, *inquit*, vidi animas occisorum. *Quid reverentius, quid honorabilius dici potest quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur? &c. Non immeritò, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur, ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet.* Faveant Protestantes hos Sanctorum Reliquiis memoriæque honores, & nobiscum erit concordia.

§. X. Confessione adversariorum veritas agnita.

PRotestantes iconomachi, quantumvis inviti diffiteri non possunt in veteri orthodoxa Ecclesia frequentem imaginem, Reliquiarum, Crucisque honorandæ usum viguisse, divinisque etiam miraculis illustratum esse. Nonnulla ex Centuriatoribus producemus.

De festis & cultu Reliquiarum sic habent in seculo Apostolis proximo cent. 2. c. 6. *Et de festis* quidem ex *Ignatio.* Epist ad Philadelp. *Dies festos nolite inhonorare, quadragesimam verò nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conversationis.* Qui locus adeò his censoribus displicet, ut dicant (more refutandi sibi consueto) suspicionem falsationis non abesse. Et paulò post subjiciant De Dominico diximus ex testimoniis Ignatii & Justini. Legitur quidē & de aliis festis, sed non alibi, quàm in historia Rom. Ecclesiæ, ut de festo Epiphaniæ, de Natalitiis Apostolorum, in quibus sint consecrandæ Virgines In historia de decretis Pii Pontif. Sed ex *Eusebio* l. 4. c. 15. non obscurè apparet, Christianos jam sub Antoninis consuevisse celebrare memorias SS. qui martyriū fecissent, agere annuos & solennes conventus

ad eorum sepulcra, non superstitione (*quod facile ad mittimus*) aut cultu quodam (*quod Romani negamus*) Sic enim Christiani, qui Polycarpi ossa condunt: dicunt. *Non tantum ossa illius nacti condidimus, ubi id fieri decebat. Ubi etiam quoad fieri potest congregatis, cum exultatione & gaudio, Dominus natalem Martyris sui diem, cum ad memoriam eorum, qui antea certarunt, & futurorum exercitationem ac præparationem celebrare largietur.*

De seculo secundo ab Apostolis hæc habent *Cent.* 3. *c.* 6. de ritibus baptismi. *Origenes* signo crucis baptizatos signari solitos ostendit hom. 2. in Ps. 38. Cujus ritus etiam *Tertullianus* lib. de resur. carnis meminit. Meminit & manuum impositionis. & signationis etiam *Cypr.* lib. de hæret. rebaptiz. & c. Iidem Centuriatores ib. de ritu sepult, addunt. De festivitatibus memoriæ Sanctorum quædam *Origenes* narrat l. 3. in Job. Sic Cyprian. ad Presbyt. Rom. deligenter jubet annotari dies, quibus Martyres decedant: ut comemorationes eorum in Martyrum memoriis celebrari possint. Ibidē & de oblationibus & sacrificiis in Martyrum memoriis celebratis dicit. *Significet mihi*, inquit l. 3. Epist. Cypr. *dies, quibus in carcere Beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt: & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum.* Est & oblationum frequens mentio apud *Tertullianum, oblationes*, inquit, lib. de Cor. mil. *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.*

In seculo tertio ab Apostolis hæc narrant Cent. 4. c. 6. de trāslationibus. Cum Sacerdotes Apollinis Juliano Antiochia juxta fontem Castalium litanti dixissent, sepulchrum Babylæ Martyris, quod in vicinia erat in causa esse, quod Apollo non daret responsa, mandavit ille, ut Galilæi (sic appellans Christianos) venirent & sepulchrum Babylæ Martyris auferrent. Igitur universa Ecclesia conveniens, matres & viri, Virgines juvenesque immensa exultatione succincti trahebant longo agmine arcam Martyris, psallentes summis clamoribus, & cum exultatione dicens: *confundantur qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulacris suis.* Ps. 97. ut Ruff. l. 1. c. 35. & Socrates l. 3. c. 18.

Ritum deniq; in lavandis & transferendis Martyrum corporibus observatum in occidentalibus Ecclesiis Ambros. Epist. 85. ad soror, indicavit, ad hunc modum. *Primum inventa, seu studio, seu casu, Sancti alicujus reliquiæ populo monstrabantur, & cujus essent Martyris, significabatur. Deinde ordine cōponebantur, & transferebantur ad aliquod templum: ubi vigilia sequebantur totâ nocte: habebatur concio de vita istius Martyris: fiebant miracula* (Si Ambrosio isti credimus) *agri enim, qui vestes saltem Sanctorum manu contigissent, sanabantur, obsessi liberabantur &c.* Nota,

Nota, lector improbam censuram de fide *Divi Ambrosii*, quam D. *Augustinus* postea, se aliisque testibus fulciet.

Ibid. de discipl. Christ. Ad omnem incessum crucis signo frontē consignarunt, sicut Hieronym. ad Eust. ostēdit, & alibi fieri pręcipit, *Claudas*, inquit, *cubiculū pectoris & crebro signaculo crucis munias frontē tuam, ne exterminator Ægypti in te locū reperiat*. Testatur Ruff. l. 2. c. 19. pro thoracib. Serapis, Alexandrinos jā conversos signū Crucis per singulas domos ad ingressū substituisse.

In quarto ab Apostolis seculo Centuriatores fatentur plurimis exemplis Cent. 5. c. 6. de cerem. Templa Sanctorum honori ædificata esse, eademq; picturis, & imaginib. exornata, Reliquias eorū solenniter cultas multisq; miraculis celebratas. Pauca ex multis decerpam. Ex *Nicephoro* l. 14. c. 43. dicunt; *ante urbem Antiochia templū Babyla Martyris, etiā hac tempestate, duravit*. Ex Victore persecut Vandal. l. 1. *ante muros Carthaginis duo templa fuisse Cypriani, unū in eo loco ubi interfectus est; alterum ubi corpus ejus sepultum*. Rursum ex Nicephoro l. 15. c. 24. & 25. tradunt, in extructa à Leone templa fuisse *vestem Mariæ ex Palæstina translatam*. Et infra. *Templa autem ipsa picturis, vasis aureis, & aliis rebus etiam immodicè ornare atque locupletare studuerunt*. Quæ licet Centuriatores de superstitione accusent, nos etiamnum, ut syncera probamus. Sed videat lector perversitatem istorum hominum, illas quas recitant historias ubique sua tantum crisi, nullo veritatis historicæ argumento corrumpentium.

Ibid. in §, de Reliquiis ajunt inter cetera. Constantinopli extra muros in quodā occulto subterraneo oratorio 40. Martyres ad Sebasten Armeniæ sub Licinio passi. Thyrsi Martyris apparitione (*si credere fas est*) reperiuntur, qui in thecam inclusi juxta Thyrsim collocati sunt, cultu addito peculiari. Huic inventioni se interfuisse scribit Sozomenus l. 9. c. 2. *Sic scilicet malus spiritus imposuit deditis superstitiosis cultibus*) &c. Sic & Ignatii Reliquiæ Antiochiam sunt illatæ, & in templum, quod ipsi structū erat, reconditæ, addito festo in ejus honorē sub Theodosio posteriore, ut Evagrius narrat l. 1. c. 16. & Nicephorus l. 14. c. 14.

Augustinus quoq; l. 22. de Civit Dei. c. 8. de Reliquiis S. Stephani scribit, magnum cōcursum multitudinis ad eas in Africâ usq; factum, miraculisq; fuisse celebres. Sed quod addunt *superstitione & illusione dementatos populos*. Centuriatorū figmentū est, non Augustini dictum. Nam D. August. hoc loco ad probādam miraculorum apud sepulchra Sanctorum veritatem multa congerit. Et sic inter cetera, inquit. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnū est ipse prodigiū* (audiant Protestantes:) *qui*

mundo credente non credit. &c. *Etiam nunc fiunt miracula in Christi nomine, sive per sacramenta ejus, sive per memorias Sanctorum ejus &c.* Probat deinde specialiter per exempla Sanctorum Gervasii, & Protasii Mediolani, & 40. Martyrum Hipponensium, cum B. Stephani, refertq; ex contactu florum & vestium oleiq; inde relati cæcos illuminatos, mortuosq; excitatos, & quidem 70. fere intra biennium apud Hipponem regium, nonnullis etiam ex tabulis publicis recensitis, ut de Petronia clarissima femina, & fratre ac sorore misero tremore percussis. Lubet verò ad defensionem D. Ambrosii cujus supra fidem Centuriatores maligne sugillabant, quædam ejus verba ex hoc cap. adjicere. *Miraculum*, ait, *quod Mediolani factum est, cum illic essemus quando illuminatus est cacus ad multorum notitiam potuit pervenire; quia & grandis est civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Gervasii & Protasii, qua cum laterent, & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnum revelata sunt, ubi cacus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit.* Et in lib. 1. Retr. c. 13. eadem confirmat. *Non est*, inquit, *sic accipiendum quod dixi* (non semper durare miracula) *ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum cacum illuminatum fuisse jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea qua cognoscimus, enumerare possimus.*

Ipsa quæ ab Adversariis producuntur ad hunc cultum evertendum argumenta, ejusmodi sunt, ut stabiliant potius, quàm evertant. Post Eliberrinum (quod solum agit de iis imaginibus submovendis quæ cultu divino, ut ab Ethnicis quibusdã etiam Christi imagines adorabantur) tria præcipuè Concilia adducũt Constantinopolitanum sub Leone Isauro unum, & alterum ibidem sub Constantino Copronymo, quemadmodum habet Paulus Diacon. l. 21. & 22. Tertiũ Francofurdiense sub Carolo Magno: & in prioribus quidem aiunt, omnes prorsus imagines abolitas, in postremo toleratas quidem ad memoriam, sed cultum latriæ, seu adorationem prohibitam. Verum sibi ipsis hic laqueum collocant. Vel enim probant hæc Concilia ut legitima, & sic tenentur Sanctorum cultum & bonorum operum merita agnoscere à Constantinopolitano Concilio sub anathemate recepta, dein cum Francofurdiensi, imagines in templis tolerare, & solum latriæ cultum proscribere (ut Magdeburgenses Cent. 8. 9. c. 9. agnoscunt vel improbant, tum quod sine autorita-

toritate summi Pontificis celebrata sint, tum quòd à se invicem dissentiant, ideóque nemo prudens omnibus simul possit subscribere, ac postremò, quia Constantinopolitana ab improbis & Ariana hæresi infectis Imper. coacta sint, & sic aliud nihil conficitur quàm, ut ex pugna hac improborum adversus imagines, illarum usum in Ecclesia constanter perstitisse intelligamus. Quamvis verò Iconomachi illi tyranni multis eas locis destruxerint, tamen in occidente ubi vis abfuit etiam post Francofurdiense Concilium ubique perstitere. Quia tamen in hoc Concilio Nicenum II. quod est generale VII. per Adrianum Pontificem approbatum, confirmatumque deinde per Leonem Pont. damnatum, idque ex mala quorundam informatione, quasi Niceæ decretum esset, *imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium & adorationem impendendam* (ut habent libri Carolini in præfat.) ideóque legati Pontificii nollent subscribere, ipse etiam Adrianus huic se concilii decretò objecerit, ut Magdeb. l. c. fatentur, hujus Concilii autoritas eâ ex parte vacillat.

Imò & per seipsum destruitur, cùm inter ceteros Canones statuat: nullum Concilium sine Papæ autoritate legitimum esse. Vident igitur Protestantes ex hujus Concilii admissione suam se causam tueri non posse, imò tam ad Pontificis autoritatem, quàm usum imaginum agnoscendum teneri.

Patres non improbant, nisi cultum idolatricum imaginibus Cruci aut Reliquiis præstitum, quem & nos detestandum existimamus. Olim autem proclivior hac in re error Christianorum inter gentes erat, ac deinde Judæi & Mahumerani quoque Christianos aversabantur, quod simulacris non minus, quàm gentes uterentur; cum cultum utrorumque diversissimum non satis distinguerent. Unde mirum non est, quod toties olim in Ecclesia adversus imagines sit decertatum, & à quibusdam etiam Patribus acrius declamatum. Erant & hæreses in Christianis, ut eorum, qui Deum censebant corporeum, cujus homo similitudo esset. Unde Clemens imagines improbasse videtur, quæ ad Deum exprimendum fierent. Quidam ex Platonicis Angelos, alii Collyridiani Deiparam pro Dea habebant ideóque adversus ejusmodi imaginum adoratores multis egit Epiphanius. Quæ non tantùm non obsunt, sed etiam integritatem Catholicorum tuentur, qui adversus omnem abusum imaginum semper vigilantes, tolli illas maluerint, quàm quicquam in cultu suspectum

tolerari. Modò, cùm ejusmodi pericula, inter tot præsertim observatores Adversarios, procul absint, jure adversus omnes iconomachos illas tuemur.

Nec obstat, quod verbis quandoque adorationem divinam præ se ferentibus utamur, ut Ecclesia dum Canit: *O Crux ave, Spes unica* &c. Nam has figuratas locutiones esse, nimis apertum est. Quis enim tam nos amentes esse censeat, qui spem in ligno, non verò patiente Christo, collocare nos asserat? Hoc igitur similive phrasi maximè palam omnibus facimus, signum non esse, in quo colendo nostra figatur intentio, sed eò transire mentem, quò illam signum deducit. Unde patet, his ipsis quoque, quibus Adversarii nos oppugnant, argumentis, causam nostram magis magisque firmari, ut nisi pertinaciter desipiant, manus nobis ad concordiam jure sit porrigenda. Quod siqui Theologorum inter Catholicos sentiant, excellentiam quandam creatam, ex relatione in his signis existere, quæ majorem civili cultu venerationem in iis ipsis absolutè spectatis requirat, horum loquendi ratio tutò negligitur; cùm citra ipsum signatum, & relationis terminum hæc dignitas evanescat. Disputantium in scholis quæsita sunt non scita religionis.

§. XI. Pars III. Articuli 24. De Purgatorio.

DEnique purgatorium arbitramur figmentum esse, ex eadem officina profectum, unde etiam manarunt vota monestica, peregrinationes, a interdicta matrimonii, & usus ciborum, ceremonialis certorum dierum observatio, confessio auricularis, Indulgentiæ, ceteræque res omnes ejusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam & salutem mereri. Ea verò omnia non tantùm reiicimus propter falsam meriti opinionem ipsis adjunctam, sed etiam quoniam sunt humana commenta, & jugum ex hominum authoritate conscientiis impositum.

a *Mat.* 15. *v.* 11. *Act.* 10. *v.* 14. 15. *Rom.* 14. *v.* 1. &c. *Gal.* 4. *v.* 9. *Colos.* 2. *v.* 16. & 1. *Tim.* 4. *v.* 3. *&c.*

§. XII. Reformatio de Purgatorio.

AGnoſcimus duplicem finem æternum hominum & alios horum *benedictos*, alios *maledictos* : b alios *ſalvos*, alios *condemnandos* fore, c *æternum* inquam , quia dictum : *ibunt* hi in ſupplicium æternum, juſti autem *in vitam æternam* d *Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis* hujus e *Nihil enim damnationis eſt iis , qui ſunt in Chriſto Ieſu.* quia *ſi domus terrena noſtra habitationis diſſolvitur , habemus domum non manufactam æternam in cœlis.* g *Nihil* tamen *coinquinatum regnum Dei ſubire poteſt.* h Et, de *omni verbo otioſo , quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii.* i *Omnis etiã qui moritur iratus fratri ſuo, reus erit judicio , & qui dixerit fratrĩ ſuo raca. reus erit concilio.* l *tradetur judici, & miſſus in carcerem, non exibit inde, donec reddat noviſſimum quadrantem.* m *Qui verò dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei , neque in hoc ſeculo neq; in futuro.* n Diſcrimen itaq; magnum, & in hac, & in altera vita pœnarum eſt. *Ille enim ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis; qui autem non cognovit,* & *fecit digna plagis, vapulabit paucis.* o *Vniuſcujuſque enim opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit , ignis probabit ; an ſuperædificaverit ſuper fundamentum* ſalutis ſuæ, *quod eſt Chriſtus, aurum, argentum, & lapides pretioſos ; an ligna fœnum,* & *ſtipulas. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet: ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit,* (quia in Chriſto ſalutis fundamento ſtetit) *ſic tamen quaſi per ignem ,* p qui ſtipulâ, lignoq; conſumpto, expurgabit , Quocirca *Iudas Machabæus, collatione facta, mille drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium &c. quod ſancta & ſalubris eſſet cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur : bene & religioſè de reſurrectione cogitans.* q Nam *quid facient , qui baptizantur* , ſeu pœnitendo affliguntur , *pro mortuis , ſi omnino mortui non reſurgunt ?* r Hæc igitur , & credere neceſſarium , & imitari fas eſto.

b *Mat.25.v.34.*c *Marc.ult.v.16.*d *Mat.25.v.46.*e *Sap.3.v.1.*
f *Rom.8.v.1.*g *2.Cor.5.*h *Apoc.21.v.27.*i *Mat.12.v.36.*
l *Mat.5.v.22.*m *Luc.12.v.26.*n *Mat.12.v.32.*o *Luc.12.v.47*
p *1.Cor.3.v.12.&c.*q *2.Mach.12.*r *1.Cor.15.v.29.*

§. XIII. Observatio.

MAnifestum ex scriptura S. est, æternum hominis finem, vel esse in supplicio, vel in gloria. Neque per hunc excludi vel sinum Abrahæ, seu Patrum extra cælum diversorium, in quo Lazarus Samuel aliique quievêre; vel temporales pænas inter extremum judicii diem sententiamque ultimam judicis medias, quibus expurgentur homines; quia ex Evangelio constat, universum orbem cum suis incolis igne expurgandum, & quòd ante hunc diem mortui purgationem sustineant illi, qui *fundamento* salutis *Christo fœnum & stipulas & lignum*, aptam igni materiem *superædificarunt*: hoc est, jam in Christo justificati, venialibus tamen delictis offenderunt. *Nihil* enim *inquinatum Deus cælumq; patitur*. Quo ibunt igitur Protestantes nostri, qui in delictis ejusmodi, quæ *justus etiã septies de die incurrit*, repentè discedunt; imò universi, quotquot se originali labe perpetuò inquinatos non diffitentur, si in cælo nulli inquinamẽto locus sit, in purgatorio non expietur? Mors certè, quæ est quædam animæ corporisq; dissolutio, hanc infectionem non destruit: aut si id, supra naturam suæ operationis facit, cur in omnibus non facit peccatoribus? vel, quâ ex scriptura hanc illius vim cognoscimus? Si fortè adversarii nobis illud Prophetæ ingerãt, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiã omnium ipsius iniquitatũ non recordabor*: quare sentiunt ejusmodi pœnitentẽ in vita à labe originali, ejusq; pænis non expurgari? an plus a morte poterit, quàm vivens præstitit? A page ejusmodi, inter prudentes homines, deliramentis. Sed regerent in Catholicos eadem. Et quomodo, dicent, à morte culpa, si qua manserit, expiabitur, quãdo vitę meritiq; tempus exspiravit? Quærã ego, quomodo fieri possit, ut quod veniale delictum est, (ideóq; ęternũ esse, ex natura culpæ pœnæq;, nequear) non expietur, in *igne probante stipulasq; consumente*? quomodo *Moysi*, *& David* peccata dimissa non sint nisi temporalis conditione pœnæ adjuncta? unde nihil hic divinæ potentiæ objicitur impossibile, sive Deum sentias statim à morte culpã, sub conditione pœnæ sustinendæ remittere, sive illam cum pœna finiri. Estq; hæc curiosa magis Theologizantium, quàm utilis ad propositum quæstio. probum fidelẽ, non oportet scire, sed credere. Satis nobis esse debet. quod intelligamus quorundam à morte dari peccatorum *temporalem carcerem & remissionẽ*. Si tamen in tam diserta scriptura à nobis Protestãtes dissentiant, malo ego SS. Patrum, quàm nostra definitione S. literarum sententiam cognoscere.

§. XIV.

§. XIV. Prisci orthodoxæ Ecclesiæ Patres ex S. literis Purgatorium esse testantur.

TErtullianus tom 3. lib. de anima c. 35. *Hæc erit amicitia observatio sponsionis, ne quid eius postea resumas, ex his quæ ei peierasti, quæ illi reddidisti; ne te, ut fraudatorem, ut pacti transgressorem iudici Deo obijciat*, & iudex te tradat *Angelo executionis*, & te in carcerem mandet *infernum*, unde non admittaris, nisi modico quoque delicto *mora resurrectionis* expenso. *Luc.* 12.

Idem de corona mil. cap. 3. more Machabæorum *in Ecclesia oblationes pro defunctis continuari* docet. Et in lib. de Monog. c. 10 ad viduam ait. *Pro anima eius* (mariti) *oret & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitationis eius.*

Origenes hom. 35. in Lucam. *Quod si magnam pecuniam debuerimus*, sicut ille qui scribitur Luc. 12. decem millia tal. debuisse, *quanto tempore claudamur in carcere, non possum manifesto pronuntiare.* Si enim qui parum debet, non egreditur, nisi solvat minutum quadrantem, *utique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita illi ad reddendum secula numerabuntur.*

Cyprianus lib. de laudibus Mart. *Legis scriptum esse*, usque ad quadrantem nos ultimum reddere. *Sed hæc pars ablata Martyribus. Etenim qui salutis æternæ cupiditatibus freti, vitæ huiusce desideria vicerunt, hos experti doloris universi, Domini propitiatio coronat.* Et l. 4. Epist. ad Antonianum. *Aliud*, inquit, *est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire*: aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: *aliud statim fidei, & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.*

Eusebius Emiss. hom. 3. de Epiphania. *Hi verò*, inquit, *qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur*, quod non exeant inde, donec reddant novissimum quadrantem *per fluvium igneum transibunt.*

D. Ambrosius cap. 12. Lucæ in eodem loco. *Quadrantem in balneis*, ait, *dari solere, reminiscimur, cuius oblatione, ut illic levandi quisque accipit facultatem, ita & hic accipit eluendi, quia uniuscuiusque peccatum supra scripta genere conditionis eluitur, cum tamdiu exercetur noxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat.*

D. Bernardus de obitu Humberti. *Illud scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint neglecta rependuntur,* usque ad novissimum quadrantem.

Et quanta consensione per diversa secula orthodoxi Patres eandem Christi sententiam, eodem sensu amplexi sint. Videamus idem de Apostolo.

Origenes hom. 12. in Jerem. *Recedentes ex hoc seculo, & pro peccatis torquebimur, & pro iustitia recipiemus præmia, quæ meremur. Si enim post fundamentum Iesu Christi, non solum in tuo corde* aurum & argentum, & lapidem pretiosum (*si tamen habes aliquid auri vel argenti*) superædificaveris, verùm & ligna, fœnû, & stipulam (1. Cor. 3.) *quid tibi vis fieri, cum anima sei uncta fuerit à corpore? Vtrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno, & stipula, ut polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum, & stipulas foris residere, & pro auro, argento & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est: Quid igitur sequitur, nisi ut primùm propter ligna ignis tibi detur, & consumat fœnum, lignum, vel stipulam? &c. Primùm quippe propter iniustitias tormenta perpetimur, deinde propter iustitiam coronamur.* Similia habet hom. 13. in Jerem. & hom. 25. in Numeros & hom. 6. in Exod. Ubi hæc in cæteris adjicit. *Aurum terræ illius bonum esse dicitur, quam habituri sunt sancti.* Et sicut fornax probat aurum, sic homines justos tentatio. *Eccl. 27. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium. Sed enim* & conflat, & purgat filios Juda. *Malach. 3. Sed & illuc cum venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resolvitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum.*

Tertullianus lib. 5. adversus Marcion. cap. 6. Christus *futurus est* fundamentum *credentium in eum*, super quod prout quisque superstruxerit, *dignam scilicet, vel indignam doctrinam,* si opus eius per ignem probabitur, *si merces illi per ignem rependetur, creatoris est.*

D. Ambrosius in 1. Cor. 3. *Cum Paulus dicit*; sic tamen quasi per ignem, *ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne perpetuùm torqueatur.* Idem habet sermon. 20. in psal. 118.

Sanctus Hieronymus in illud Amos Prophetæ. *Capite quarto,* facti estis sicut torris raptus de incendio. *iuxta illud, inquit, quod in Apostolo legimus* 1. Corinth. 3. ipse autem saluus erit

erit quasi per ignem. *Qui autem salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapitur.* Idem docet super Isaiæ verba ultima c. ult. & lib. 2. in Jovinianum post medium.

D. Augustinus post psal. 37. Domine, ne indignatione tua arguas me *Non sim inter illos, quibus dicturus es* : Ite in ignem æternum, *Matth.* 25. neque in ira tua emendes me; *ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne non sit opus, propter illos qui* salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. *Quare? nisi quia hic* ædificant super fundamentum ligna, fœnum, stipulam?

Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, *& de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. &c. gravior erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.*

Hactenus Patres ex iisdem Scripturæ locis uno sensu hanc veritatem tradentes audivimus: nunc eosdem ex diversis quoque Scripturæ locis probantes audiamus.

Patres idem ex diversis Scripturis probant.

S. Ephrem in testamento suo. *Et nunc volo fratres mei commonefacere & adhortari vos firmiterq; constabilire, ut post meum exitum ac transitum assiduè memoriam mei in vestris precibus faciatis, &c. Mortui enim in viventium commemorationibus atque oblationibus recreabuntur. Audi patienter, quæ scripta sunt : & si volueris, prudenter etiam intelliges, quæ dicuntur.* Servus Dei Moyses in benedictionibus, nonne Ruben usque ad tertiam generationem benedixit *Deut.* 33. *Si ergo non redimuntur mortui, quâ de causa Ruben, usque ad tertiam generationem benedixit Moyses? Et si non est resurrectionis memoria, Audi quid clamet Apostolus Paulus dicens* 1. *Cor.* 15. Si omninò mortui non resurgunt, cur & baptizantur pro mortuis? Qui enim erant sub lege, *ad exspectationem resurrectionis in mysterio* detinebantur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Gal. 3. v. 23. legistis. 2. *Mat.* 12. quod in oblationibus sacrificiorum Sacerdotes in lege mundabant etiam eos, qui suis iniquitatibus in bello vulnerati erãt.

Pleni enim operibus iniquitatis & iis quæ scripta erant, tenebantur. Quantò autem magis novi Testamenti Sacerdotes Christi delere meritò poterunt debita eorum qui decedunt, in sanctis oblationibus & precibus linguarum suarum?

D. Augustinus de civit. Dei l. 21. c. 13. *Temporarias pœnas alij*

alii in hac vita tantum; alij post mortem: alij & nunc, & tunc; veruntamen ante judicium illud severissimum novissimumque patiuntur &c. *Nam quibusdam,* (Mat. 12.) quod in isto remittitur, remitti in futuro, *id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur, jam supra diximus.* Et ibid. c. 24. *Facta resurrectione mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur,* quod non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, *nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.* Et serm. 41. de sanctis, *illo* ait, *transitorio igne, de quo dixit Apostolus* 1. *Cor.* 3. ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, *non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* &c.

Idem tom. 4. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *In Machabæorum libris* (lib. 2. cap. 12.) *legimus* oblatum pro mortuis sacrificium. *Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva esset universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret autoritas; ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

D. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 39. *De quibusdam levibus peccatis esse ante iudicium, purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit Mat.* 12. quia si quis in S. spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. *In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari.*

§. XV. Ipsimet Protestantes veteris orthodoxæ Ecclesiæ sensum de Purgatorio fateri coguntur.

Zwinglius in Epichereſi de Canone Missæ, tom. 1. fol. 186. Orandi, *inquit,* & sacrificandi pro defunctis morem Chrysostomus & Augustinus ab Apostolis usque ad Manasse tradiderunt.

Bullingerus eius collega Dec. 4. serm. 2. Verum est, inquit, quod Papistæ aiunt, Veteres orasse, & sacrificasse pro defunctis &c. Serm. 32. de Verbis Apostoli, inquit, Augustinus *Hoc à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro orthodoxis sacrificium corporis & sanguinis Christi offeratur.*

Calvinus in libro de vera Ecclesiæ reformandæ ratione. Non nego, inquit, fuisse vetustissimam consuetudinem orandi & sacri-

sacrificandi pro defunctis] Et quoniam magna est vis consuetudinis vel potius regnum, ideo tandem Chrysostomo, Augustino, Epiphanio ac similibus probatam fuisse, quasi à Majoribus fuisset tradita. Chrysostomus Apostolis fert acceptam. Nempe ut alia multa, quæ tum vulgo recepta essent, tamen ignotæ erant originis. Et lib. 3. Inst. c. 5. n. 7. ait: superstitione & præpostero zelo non cauit factum Judæ Machabæi, qui oblationem misit pro mortuis in Jerusalem. *Agnoscit itaque hic Aristarchus, sed damnat factum.* Centuriatores de secundi seculi Patribus *Cent 3. c.* 4. de Purgat. aiunt. Semina purgatorij in aliquot locis apud Originem subinde sparsa videas. Sic. hom. 3. in psal. 36. *Veniemus ad illum ignem in* quo uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, *&* (*ut ego arbitror*) *omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus aliquis sit, vel Petrus, venit tamen ad illum illum ignem; sed illi tales audiunt*; etiamsi per ignem transeas, flamma non uret te. *Eccli* 28. *v.* 26. Et lib. 5. contra Cels. *singulos, quibus per ignem, vel pœna sit simul, vel medicatio offerenda, ignis iste amburit, non tamen exurit; ut qui nihil habent, quod per ignem sit absumendum,* &c.

In Centuria eadem cap. 6. de ritu sepult. sic. habent. Est oblationum frequens memoria apud Tertullianum, *oblationes*, inquit de cor. Milit. *pro defunctis, pro natalitiis annua die faciemus.* Cyprianus etiam lib. 3. Ep. 6. & lib. 4. Epist. 5. in Martyrum commemorationibus oblationes, & sacrificia fieri solita indicat. Tale quiddam & alibi lib. 1. Epist. 9. habet, ubi eas oblationes *sacrificia* vocat *pro dormitione mortuorum.*

De seculi tertij Patribus fatentur apertè purgatorij illos meminisse. Lactantius lib. 7. cap. 21. *Sed & justos cum judicaverit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata, vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni atque amburentur.*

Hieronymus lib. 18. Comment. in Esai. *Sicut Diaboli & omnium negatorum atque impiorum credimus æterna tormenta; sic peccatorum impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda moderatam arbitramur & mixtam clementiam judicis.*

De quarti seculi Patribus, in confesso res est, quanquam Centuriatores parcè eos citent. Ex Chrysostomo enim, postquam limbum Patrum subterraneum esse locum tradidissent, de Augustino subjiciunt. Purgatorium concedere videtur, in Enchirid. ad Laur. c. 69 *Posse nimirum fieri post hanc vitam ignem purgatorium, per quem salventur, qui hic taliter vixerant.* Defunctos item

item aliorum precibus sublevvari August.ib.c.10.apertè afferit. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt*, &c. Idem libro de cura pro mortuis affirmat cap.1.& c.5.inquit, *ergo fidelis mater filii defuncti corpus desideravit in basilicam Martyris poni: siquidem credidit eius animam meritis Martyris adiuvari, hoc quod ita credidit supplicatio quædam fuit, & hæc profuit, si quid profuit*,

Calvinus omninò perversè de veteribus atq; imprimis Augustino l.3. Inst. c.5.§.10. inquit. Abrepti etiam ipsi fateor in errorē fuerunt. Nempe ut inconsiderata credulitas privare judicio solet hominum mentes. Interea, quàm dubitanter preces pro mortuis commendent, lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam in libris Confessionum Augustin. narrat, vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis mysterijs fieret ad altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam scripturæ, sed pronaturæ affectu probari alijs voluit. Liber autem de cura pro mortuis agenda, ab eo compositus, tot hæsitationes continet, ut suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem extinguere, si quis mortuorum patronus esse appetat. Ita hic homo, cum Augustini sensum de scriptura ac veritate ferre non possit, superbè aspernatur, eumque anilibus deliramentis, & puerili hæsitatione contra scripturam pugnantem introducit. Credite hæc Calvino posteri, si cum illo, quàm Augustino sapere, & judicari malitis.

PARS IV. ARTICULI XXIV.

§. XVI. De cœlibatu & votis.

FRaus & fallacia Satanæ sunt vota monastica, interdicta matrimonij, &c.

Ex Confessione Helvetica universim recepta.

CAp. 18. Cum sciamus certò Monachos, & Monachorum ordines, vel sectas, neque à Christo neque ab Apostolis institutas, docemus nihil illas Ecclesiæ Dei utiles esse, imò perniciosas. Tametsi enim quondam cum essent solitarij, & manibus sibi victum quærerent &c. fuerint tolerabiles, tamen nunc quales

quales sint, videt & sentit universus orbis. Prætexunt nescio quæ vota, & vivunt votis suis vitam prorsus contrariam.

Cap, 19. Qui cœlitus habent donum cœlibatus, aptiores sunt curandis rebus divinis, quàm qui privatis familiæ negotijs distrahuntur. Quod si adempto rursus dono ustionem senserint durabilem, meminerint verbi Apostolici 1. Cor. 7. Melius est nubere, quàm uri. &c. Scimus Apostolum dixisse. Honorabile est connubium inter omnes & cubile impollutum. Heb. 13. &c. Numeramus autem cum eodem Apostolo inter dogmata satanica illorum doctrinam, qui matrimonia vituperant.

§. XVII. Reformatio ex S. literis.

CRedimus, *honorabile esse conjugium in omnibus* legitimè iunctis, a. *& spiritu erroris duci sic nubere prohibentes.* b. *Sunt* tamen *etiam Ennuchi qui se castraverunt propter regnum Dei, sed non omnes capiunt verbum hoc.* c. Quare *qui matrimonio jungit Virg. suam bene facit, & qui non jungit melius facit, beatior erit, si sic permanserit, secundum consilium meum,* ait Apostolus. *d. Qui se non continent, nubant.* e. *oportet autem Episcopum esse sanctum* & *continentem, &* (siquidem conjugatus fuerit) *non nisi unius uxoris virum.* f. *sicut & vidua olim ad ministerium eligebatur, quæ fuerat unius viri uxor.* g. *De* his prædixit Isaias, *colent eum hostijs & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* h. Et ijsdem *dicit Dom. Eunuchus, si tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea nomen sempiternum.* i.

a. *Heb.* 13. b. 1. *Tim* 4. *v.* 2. c. *Mat.* 19. *v.* 12. d. 1. *Cor.* 7. e. *ib.* f. *Tit.* 1. *v.* 6. *&* 8. g. 1. *Tim.* 5. *v.* 10. h. *Isa.* 19. *v.* 21. i. *ib.* 56.

Credimus & hoc esse Christi consiliũ. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes. & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo.* l. *Et si quis vult venire post me, abneget semetipsũ, tollat crucem suã & sequatur me.* m. Et *omnis qui reliquerit domũ, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Idq; fecisse, qui dixerunt, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. n.* His igitur consiliis exemplisque, ut non tenetur, cum citra hæc *diligi Deus possit ex toto corde.* ita tamen laudabiliter insistit Ecclesia fidelium, illasque damnat, quæ *cum luxuriatæ fuerint in Christo,* ob incontinentiam, *nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* o. *Si votum voveris, ne moreris reddere, quia requiret istud Dominus*

l. *Mat.* 19. *v.* 21. m. *Mat.* 16. *v.* 24. n. *Mat.* 19. *v.* 27. o. 1. *Ti.* 5. *v.* 11

nus. p. *Nemo* enim *mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* q. Quemadmodum *Ananias cum Saphira uxore sua, cùm mentitus esset spiritui sancto, & fraudasset de pretio agri,* malè perijt *Act.* 5.

p. *Deut.* 23. *v.* 21. q *Luc.* 9. *v.* 62.

§. XVIII. Observatio.

PLuribus hæc in part. 2, Concord. scripturis S. exposui, quæ hic paucis propono. Plana earum de cœlibatu, sive continentia clericorum sententia est: nisi quod Paulus obscurius loquatur, cum dicit, *oportere Episcopum unius esse uxoris virum, qui filios subditos habeat* &c. Hoc enim, si de tempore præsenti sumendum sit, & illo quo sonat rigore, nemo nisi maritus, & nec omnis, sed qui habet filios, eosque ut par est subditos, ad Episcopatũ idoneus erit. Quod cum nec adversarijs placere possit: non alio hæc sensu, quàm quo postea idem Apostolus de viduis Ecclesiæ ministrantibus loquitur, accipienda sunt: *Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor.* Digamiam igitur utrobiq; Apostolus submovet, atque ut hic, ita & illic de præterito conjugio loquitur. Quod ex eo quoque certum redditur, cum Episcopum simul velit esse continentem (ἐγκρατῆ) sed continentia, seu ἐγκράτεια, omnem veneris usum tollit, etiam conjugalis. Unde Encratitæ dicti hæretici, qui coniugio abstinebant, & Paulus ipse dicit, *qui se non continent, nubant.* Connubium igitur non continentium est. At continentes vult Paulus Episcopos & Diaconos Tit. 1. Tim. 3. ergo à conjugio abstinentes. Nimium itaque perversi interpretes sunt, qui hic Paulum hoc docent agere, ne duas simul uxores Episcopus habeat, quasi verò hoc ullis Christianis, etiam Laicis, unquam concessum sit, quod neque Ethnicis, neque Judæis Pauli temporibus usitatum fuit: aut etiam viduas Paulus noluerit, quæ simul duobus essent maritis obnoxiæ. Risum illa apud prudentes merentur, non responsionem. Sed quid, inquies, refert, si de præteritis uxoribus agatur, pluresne, an unam tantùm successivè habuerit, eligendus in Episcopum, cùm nihil hic sceleris appareat? Respondet Augustinus lib. de bono coniug. c. 18. *De sacramento agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia remittuntur, propter sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina, etiamsi catechumena fuerit, vitiata, non potest per baptismum inter Virgines consecrari: ita non absurdè visum est, eum, qui excessit uxorum numerum singularẽ, non*

peccatum

eccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse. Nolumus tamen asserere conjugium ex natura sua, vel etiam divina lege, cum statu clericali pugnare. Nam Apostoli suo id tantùm exemplo, instituto q; Ecclesiastico introduxêre, Christi consilium de uxore relinquenda secuti, non præceptum reveriti. Undè si majus Ecclesiæ bonum ex conjugio indulto speretur, dispensari ab eadem poterit; ut in orientalibus, alijsq; nonnullis factum cognovimus. Verùm Protestantium ministri in muliebri choragio Apostolos duces volunt, Paulo quærente: *nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & ceteri Apostoli?* 1. Cor. 9. At magnū discrimen inter sororem & uxorem mulierem est. Concilium 1. Nicenum sororem, Amitam, & Matrem clericis domi suæ indulget can. 3. præter has, aliam mulierem non concedit, cui Ancyranum, Neocæsariense, & Carthaginense 2. accedit, ab orthodoxæ Ecclesiæ Patribus celebrata. Deinde cum Apostolus, ne alijs gravis esset suâ sæpe industria impensisq; viveret, ut hic patet, muliere ad lavandum coquendumque utebatur, non ad stimulum carnalem infringendum: cujus remedium à Deo, non ut Ministri Verbi ab uxoribus, quærebat. 2. Cor. 12.

Cum objiciunt, cœlibatum esse omnis impuritatis officinam, tantùm moneo, ut suas suorumq; Protestantium familias excutiant, Ab illustrioribus domibus usque ad ipsa Ministrorum tecta transeant; dicantq, an hac ætate sua majora inter cœlibes Romanorum, an inter conjugatos Protestantium flagitia emineant: Nullum ego statum ab omni vitio immunem esse sentio. Ceterùm pleriq; illorum qui sola se fide justos sentiunt; quod in hoc argumento de se experiuntur, illud de alijs judicant: Uti Lutherus Calvinusq; duces. vitæ sermonisque exemplo testantur. *Si quis vestrum sine peccato est, primus in nos lapidem mittat.* Ullusne ex vestra reformatione qui profiteri ausit, se nunquam *concupisce uxorem, aut rem proximi sui?* Plus dicam. Quisquàmne ex vobis est, qui ausit profiteri, se illam possidere fidem, quæ omnem concupiscentiam illicitam abstelserit? Videte dilemma; quod adversarijs hoc loco discutiendum relinquam. Aut talem experiuntur se possidere fidem; quam necessariò sequantur bona opera; ideoque proscribat omnem voluntariam concupiscentiam; aut contra talem; cum qua adhuc scelera ipsa & concupiscentia hospitentur, ita ut mœchi perpetui & adulteri in vita maneant. *Nam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in*

M *corde*

corde suo. Si primùm, quid est, cur nequeant continenter omnes vivere, etiam cœlibes? si posterius, suo judicio veram fidem non obtinent; quia tam *bona*, ut volunt, *arbor malos fructus non parit*, & ubi talia regnant flagitia, fides viva exulat.

Ad consilia Evangelica quod attinet, malo illa consilio ab Adversarijs negantur, peiori violantur, præpostero verò prorsus sensu inter præcepta collocantur. Magnum discrimen inter præceptum, & consilium est. Præceptum de re bona, consilium de meliori: *benè facit, qui matrimonio se jungit; melius qui non jungit*. 1.Corinth. 7. Christianæ legis præceptum commune est omnibus, ut *non concupisces uxorem proximi*, consilium paucorum: ut *non omnes capiunt verbum hoc, quod non expediat nubere* Matth. 19. præceptum necessitatem adfert & obligat, consilium libertatem relinquit; ideoque sine culpa pœnáque negligi poterit, ut non potest quod præceptum est. Quare Apostolus Corinthijs Virginitatem suasurus, negat, se illis *præceptum* dare, sed *consilium*. *De Virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c. bonum est mulierem non tangere, hoc ait, ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam* supra v. 25. &c.

At inquiunt, mandatum Christi est: *estote perfecti*, Matt. 5. Et *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Matth. 22. Et *super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* Col. 3. Sub hoc igitur præceptum cadit, quidquid ex Christi vel Apostolorum consilio cuiuscunque perfectionis consequendæ studio feceris, neque tamen his omnibus, satis unicum hoc charitatis præceptum implebis, multò minus superogabis quippiam. *Resp.* cum hoc præceptum Charitatis *David*, ex toto corde Deum secutus, 3.Reg. 14. & *Iosias* Rex 4.Reg. 23. impleverit, clarum est præcisè aliud non præcipi, quàm ne quicquã Deo in æstimatione & amore præferamus; sed ut corde, mente, animâ totâ, ad Deum ita conversi simus, ne ulli creaturæ, Deo in amore prælatæ, adhærescamus. Et hoc est, Deum super omnia diligere. Ita etiam jubemur *perfecti esse, sicut pater cœlestis perfectus est*, quod facimus cum inimicos propter Deum amamus imitatione & exemplo illius, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, licet ipsius perfectionem non assequamur: hoc enim insanum esset, vel Deum præcipere, vel nos conari. Quod si tamen cum Augustino sentias, præceptam hic omnis charitatis perfectionem esse, quæ non nisi in altera expleri vita possit, ita ut ad hanc contendere hic pro viribus teneamur.

Non

Non tamen icciico media nobis omnia præcepta sunt; sed liberum erit nubere, cùm volueris, vovere, dare bona pauperibus, ac relinquere omnia, cum placuerit. Quia hæc media universè non præcipi, sed suaderi nimis ex scriptura manifestum est, quæ in his *non vult laqueum inijcere.*

Verùm instant. Non obligantur omnes; sed illi solum, qui donum e.g. continentiæ à Deo sunt consecuti, ad cœlibatum; qui proximum in necessitate egentem reperiunt, ad largienda bona; quos Christus vocat, ad obedienter sequendum, ut adolescenti Evangelico factum est. Matth. 19. *Sed* hæc vigilantium somnia sunt, scripturâ tale nihil definiente. Ipsos hic testes Protestantium cœlibes, viduosque postulo; an negent sibi liberum esse uxorem vel ducere, vel non ducere? & an certò intelligant aliqui, se habere donum continentiæ, sibique præceptum esse datum, quo ad servandam continentiam obligentur? Rursum, an præcepti huius violatores sint, qui, cùm se non continent, uxorem tamen habere nequeunt, & abstinere multis annis coguntur? Quando, & quo ætatis, aut viduitatis anno, conjugij præcepto obligari incipiant, ac transgressores habeantur? Quæro iterum, quibusnam ex Protestantibus, & qua occasione præceptum sit, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere Christum?* An fortè ex illis nemo est, qui *velit* hoc modo *perfectus esse*, & Apostolum sequi monentem, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi?* Si teneri se ad vendenda & danda omnia pauperibus nemo Protestantium existimet, tunc concedere quoque necesse est se non teneri ad talem pefectionem; sed consilij hanc esse non præcepti: sin tenentur, ubi sunt, inter illos, qui huic præcepto obsequantur? Verùm Patres hac in re æquos audiamus interpretes.

§. XIX. Reformatio ex primis præcipuisque orthodoxæ Ecclesiæ Patribus per eandem scripturam S.

S. Ignatius Martyr ad Philadelp. *Virgines* subditæ estote Christo *in incorruptibilitate, non execrantes nuptias, sed quod melius est sectantes* 1. Cor. 7. &c. Et ad Antioch. *agnoscant, cui se consecrarint.*

Clemens lib. 13. Constit. cap. 1, *Si juniorem in viduali statu consti-*

constitueris, & illa non ferens in juventute viduitatem nupserit, dedocorabit gloriam vidualis gradus, & rationem Deo reddet, non quoniam secundas nuptias secuta est, sed quoniam suam professionem non servavit, luxuriata in Christo 1. Tim. 5. *Quare non temere oportet facere professionem, sed cum consilio & consideratione* : præstat enim non vovere, quam vovere, & non reddere. Eccle. 5. v. 3. Idem ibidem cap. 14. *De Virginitate* præceptum non accepimus, volentium autem potestati id remitimus, *tanquam votum,* 1. Corinth 7. *Illud tamen admonemus, ne facilè aliquid promittant, quoniam Salamon ait,* meliùs est non vovere, quàm vovere & non reddere. Eccl. 5. Virgo igitur ipsa sit sancta corpore & animâ, *ut templum Dei.* &c.

Clemens Alex. lib. 3. Strom. *Sed Apostoli quidem, ut erat consentaneum, ministerio, quod divelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes,* non ut uxores, sed ut sorores circumducebant (1. Corinth. 9.) mulieres, *quæ unà ministratura essent, apud mulieres, quæ domos custodiebant.*

Tertullianus lib. de Resur. carnis cap. 708. *Nos quoque, ut possumus à cibo excusamus, etiam sexum à congressione subducimus,* quot spadones voluntarij! Mat. 19. quot Virgines Christo maritatæ! *quot steriles utriusque naturæ infructuosis genitalibus structi!* Et lib. de cultu fœmin. *Si ergo* uxores quoque sic habendas *demonstrat Apostolus* 1. Cor. 7. tanquam non habeantur, propter angustias temporum: *quid de vanis his instrumentis* (cultus) *earum? Non enim & ita multi faciunt, & se* spadonatui assignant propter regnum Dei, *Matth. 19. tam fortem & utique permissam voluptatem sponte ponentes*? Et lib. de exhort. cast. cap. 13. in fine. *Ordinari in Ecclesia solent,* quæ Deo nubere maluerunt, quæ carnis suæ honorem instituerunt, *quæque jam se illius pudoris filias dedicarunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, & totum quot intra paradisum non potuit admitti.* Et libro de jejun. cap. 11. *Votum, cùm à Deo acceptatum est, legem imposterum facit per autoritatem acceptatoris. Exinde enim faciendum mandavit, qui factum comprobavit.* ps. 75.

Origenes in cap. 19. Mat. *tract.* 7. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. *Quoniam autem quidam calumniantur, quod Christus ait*: quibus datum est: *quasi excusationem habentes, & volentes quidem esse in castitate, non autem prævalentes. Quibus est respondendum, si quidem accipimus* simplici-

simpliciter, quod dictum est (sed quibus datum est) *non autem attendentes, quod alibi dicit* : petite & dabitur vobis, & omnis qui petit accipit. *Mat. 7. aut fideles non sumus, aut scientes scripturas. Qui enim vult capax esse verbi, quod de castitate positum est, petat credens dicenti, & accipiet.* Et in lib. numer. hom. 23. Si oratio justi, sicut incensum offertur in conspectu Domini psam. 140. *& Apostolus dicit iis, qui in conjugio sunt* : nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. 1. *Cor. 7. Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis* , qui conjugalibus necessitatibus serviunt. 1. Cor. 7. v. 33. *unde videtur mihi, quod illius solius sit offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuo se devoverit castitati.*

Eusebius lib. 1. demonst. Evang. c. 9. Oportet, *dicit sermo divinus*, Episcopum unius vxoris virum esse. 1. Tim. 3. *Veruntamen eos, qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati,* continere *deinceps seipsos à commercio uxoris decet.*

Basilius Magnus in libro de vera Virg. *Cum virginitatem Domino professæ sint*, carnali posteà voluptate, malè blanda delinitæ ac devictæ stupri scelus honesto conjugij nomine obtegere cupiunt. 1. *Tim. 5. v. 11. &c. Non se fallat, qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Conjugium quippe illi in peccatum reputabitur ; primùm quidem quia pessimum coniunctionis hujus fundamentum voluptatem jecit, pravaricationisque malum: deinde quia causa non esset libera,* neque enim mortuus est vir ejus, ut cui vult nubat. 1. *Cor. 7. Vivente immortali viro, meritò censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit. Nam quod solenne legitimumque connubium sponsus ille occupavit, & virginitatis habitus, & federa, & conventa cum illo, & prætereà processus ipse testatur, &c. Nec sanè congruè, his quæ sunt eiusmodi, illud Apostolicum, aptari potest*, quoniam cùm fornicatæ (καταςρηνιάσωσι) à Christo fuerint, nubere volunt habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. 1. *Tim.* 5. idem inferius. Si in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei, efficiuntur filii Dei Mat. 22. *Et hi profectò qui virginitatem servant Angeli sunt, &c.* (Posteà subijcit) *Non iubet, neque imperat hanc rem : excellens quiddam, & supra naturam, suprà que legem, ac virtutis studio dedita anima propriam esse non ignorans. Cum enim audisset, dicentem sibi* : non expedit nubere, *volens illius excellentiam pandere* : non omnes, *inquit*, capiunt. *Quem & D. Apostolus sequens de virginibus*

ginibus nihil decernit; sed cum interrogaretur imitatus est Dominum dicens: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, &c. *Item paulò post* Et sunt Spadones qui seipsos absciderunt propter regnum cœlorum *Matth.* 19. *qui semet, propter regna cœlorum, ad virginitatis præclarum certamen exercent, coniugiumq́; & simul omne sæculum eius servandæ causa contemnunt, regnumq́; cœleste cum sudore gloriosisque laboribus capessunt, &c.*

Idem in seq. Epistola ad Virginem lapsam. *Revoca*, inquit, *in memoriam honestam professionem tuam, quam professa es coram Deo, & Angelis & hominibus: venerandam congregationem, & sacrum Virginum chorum, &c. ubi reverendus ille tuus habitus? ubi honesti mores, & vestis frugalis Virginem decens? & honestus ex pudore rubor: & decorus ex continentia ac vigiliis assiorescens pallor?* &c. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion? Isa. 1. *quomodo autem non ipse Dominus ad aliquem ex his qui nunc in spiritu Hieremia, obambulant dixerit?* (Jer. 18) vidisti quæ fecit mihi Virgo Israel? ego despondi ipsam mihi in fide & integritate, in justitia, & in judicio, & in misericordia ac miserationibus, *quemadmodum per Oseam Prophetam* c. 2. v. 19 *ipsi promisi*, ipsa autem dilexit alienos. *Et vivente me viro immortali adultera appellatur, & non timet alteri viro commisceri. Quid verò pronubus ille divinus ac B. Paulus sub quo mediatore ac Doctore Domino coniuncta es?* Ego enim te conjunxi uni viro Virginem castā, ut assisteres Christo 2. *Cor.* 11. sublatis membris Christi fecisti membra meretricis, 1. Cor. 6. &c.

Idem de Instir. Monach. Ser. 1. *Ne quid*, inquit, *professione nostra indignum faciamus, neve simili atque* Ananias *Act* 5. *Iudicio efficiamur obnoxii*, *Licebat enim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri atque vovere*, (nonne manens, *ait Petrus* tibi manebat?) *Sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat per professionem Deo consecravit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callidè postea nescio quid intervertit, eiusmodi adversum se indignationem Dei provocavit.*

Epiphanius hæresi 61. contra Apostolicos. *Aliqua*, inquit, *scripturis, aliqua in traditionibus SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus* 1. Corinth. 11. vers. 2. sicut tradidi vobis, & *alibi* cap. 14. vers. 33 sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis, & Corinth. 15. vers. 2. sic teneris, nisi frustra credidistis. *Tradiderunt itaque S. Dei Apostoli peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti, &c. Docet nos Apostolus dicens*:

dicens : 1. *Tim.* 5. Juniores viduas rejice : postquam enim lascivierunt contra Christum nubere volunt, habentes judicium, quod primam fidem rejecerunt. *Si itaque & ea quæ post mundi experientiam vidua fuit, atque Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit quod primam fidem reiecit, quantò magis quæ citra mundi experientiam Deo dicata Virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciviit, & maiorem fidem rejecit?*

Idem hæresi 59. contra Catharos. *Revera non suscipit S. Dei prædicatio, post Christi adventum, eos,* qui à nuptijs mortua ipsorum uxore secudis nuptijs conjuncti sunt, propter excellentem Sacerdotii honorem & dignitatem 1. Tim. 3. *Et hæc certò S. Dei Ecclesia cum synceritate observat. Sed adhuc viventem, & liberos gignentem* unius uxoris virum *non suscipit, sed eum qui se ab una* continuit, *aut in viduitate vixit. Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè ubi synceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere. Sed hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inveniretur ministerium. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per spiritum S. benè dispositа videns, ut cultus divini indistractè peragerentur. Si enim id etiam populo præcipit S. Apostolus* 1. Cor. 7. v. 32. ut ad tempus vacent orationi; *Quantò magis Sacerdoti, ut indistractus sit, inquam, ad vacandum secundum Deum Sacerdotio?* Idem tradit in doctrina fidei Apostol.

Oecumenius in 7. cap. prioris ad *Corinth.* Si nupserit Virgo, non peccavit. *Virginem hoc loco appellat, non eam, quæ Deo consecrata est, sed innuptam puellam. Nam quæ Deo consecrata est, si nupserit Christo, reddit adulterum eum, cui nubit.*

Cyprianus serm. de singul. Cleric. *De continentia non solum Paulus, sed nec Dominus voluit certum definire præceptum, dicens:* non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Et iterum,* qui potest capere, capiat. *Matt.* 19. Et Epist. 62. ad Pompon. *Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit. Quid? Christus Dominus & Iudex noster cum Virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur? &c. Si autem de iis aliqua* corrupta fuerit deprehensa, 1. Tim. 5. *agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.*

S. Ephrem. in respons. *ad quendam fratrem sciscitantem: Ad quem*

quem hoc dictum pertineat: Melius est nubere quam uri 1. Cor. 7. *Apostolum*, inquit, *audi dicentem*. Volo omnes homines esse sicut & meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic, *perspicuum scilicet hinc inter seculares, illosque qui seculo renuntiarunt, fecisse discrimen. Etenim neque solutos vetat legitimè matrimonium contrahere; neque eos qui se seculo abdicarunt à continentia lege liberat. Solutis siquidem concedit dicens*, propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat. *Ceterum qui seculo renuntiarunt præcipit continentiam, dum dicit*: omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, &c. 1. Cor. 9. *Si quosvis verba illa concernerēt*, melius est nubere, quam uri: *nemo hanc ipsam virtutem unquam excoluisset*: *non Helias, Thesbites, non Elisæus, non Ioannes, non* quicunque se castraverunt propter regnum cœlorum, castamque suam carnem servaverunt, Mat. 19. *Sed neque ipse* continens *fuisset Apostolus*, nisi respexisset in retributionis mercedem. *Nonne & illi corpore circumamicti erant? Apostolum audi dicentem*: in carne ambulantes non secundum carnem militamus &c. 2. Cor. 10. *Clarum itaque, quod & ipsi oppugnati sint, tanquam carnem circumferentes. Verùm restiterunt strenuè. Vnde & Apostolus*: castigo corpus meum, & in servitutem redigo. 1. Cor. 9. &c. *Oscitanterne audies te per Apostolum compellantem*? noli negligere gratiam quæ in te est. 1. Tim. 4. &c. *ne te fortè prævaricatorem constituas, rursus ædificans quæ destruxisti*, Sed redde Domino vota tua, *quoniam scriptum est*: melius erat te non vovere, quàm cum voveris, non reddere. Deut. 23.

S. Ambrosius lib. *de Viduis*. Honorabile conjugium, *sed honorabilior integritas, nam &* qui matrimonio jungit virginem suam benè facit, & qui non jungit melius facit. Quod *igitur bonum est, non est vitandum: & quod est melius, eligendum est.* [illegible]

Et lib. 3. de Virgin. Contra Jovinian. *Initiatas* (inquit adversarius) *sacris mysteriis, & consecratas integritati nubere prohibes. Vtinam potuissem* (respondet Ambrosius) *revocare nupturas. Si hoc improbum, improba ergo sunt vota omnium, improba vita Angelorum*, qui enim non nubunt, neq; nubentur, erunt sicut Angeli in cœlo, &c. *Discutiamus utrum Christus integritatem docuerit, an repudiandam putaverit* Et sunt, *inquit, Matt.* 19. Spadones qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum *Vocant in eandem culpam etiam Ioannem Baptist. Causa illius passionis certè hac*

hac fuit : non licet, *inquit. Matt.* 14. tibi habere uxorem fratris tui. *Si hoc de uxore hominis, quantò magis de Virgine Deo consecrata?* Idem ad Virginem lapsam. Dicet aliquis: melius est nubere, quam uri. *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterùm qua se spopondit Christo & Sanctum velamen accepit, jam nupsit.* Idem in 1. ad Corinth. c. 9. Nunquid non habemus potestatem mulierem circumducendi? *Mulieres*, inquit, *desiderio doctrinæ Dominicæ, & cupidæ virtutum sequebantur Apostolos, & ministrabant eis, & sumptus, & servitia. Sicut & Salvatorem sunt secuti* ministrantes ei de facultatibus suis. Luc. 8. Et in Enarrat Ps. 36. circa medium *Considera discessisse de monasterio, valedixisse jejuniis, continentiæ renuntiasse, indulgere delictis, studere luxuriæ &c. nonne de his pulchrè dixeris*, effusi sunt gressus eorum &c. Vide plura cap. 6. de Inst. Virg. & l. 10. Epist. 81. l. 5. Hex. lib. 2. com. in Luc. l. 1. offic. c. 50. Epist. 1. ad Tim. & alibi.

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. *Non dicit Paulus 1. Tim. 3.* Eligatur Episcopus qui unam ducat uxorem, & filios facit, sed qui unam habuerit uxorem & filios in omni subditos disciplina. *Certè confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, nō quasi vir tenebitur sed quasi adulter damnabitur. Sed & hoc inferendum*, si Laicus, & quicunque fidelis (*satis dignè*) orare non potest, nisi careat officio conjugali 1. Cor. 7. 5. *Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est : Si semper orandum, ergo semper carendum matrimonio.* Vide eundem adversus Vigilantium cap. 1. In castitatis, paupertatis, & obedientiæ consiliis, votisq; commendandis idem autor profusus est, legatur ad Eustochium. Demetriadem, Heliodorum, Hedibiam, Pammachium &c. per S. scripturas, pristinumq; Ecclesię usum hæc universa confirmantem.

S. Chrysostomus in libro quoque *de Virginitate* hæc ipsa tuetur. Et c. 38. in *illud Pauli 1. Tim. 5.* postquam repudiaro Christo lascivire cœperint, nubere volunt, *& illud 1. Cor. 7.* matrimonio solutis ac viduis dico, præstare eis, sic manere, ut ego: tamen si se non continent, contrahant matrimonium, *subjicit* c. 39. *quæ vidua mera sit, ei, si velit nubere permittit: at quæ perpetuo vidua agere Deo promisit, atque interim nubit, eam vehementer damnat, quæ ictum cum Domino pactum calcet. Non ergo his sed illis dicit.* tamen si se non continent, contrahant matrimonium; satius est enim, matrimonium contrahere, quàm ardere.

D. Augustin. in eodem argumento multis locis prolixus est, Tom. 6. de sancta Virginitate c. 4. *judicant hanc verba, quæ sibi*

factum nuntianti Angelo Maria *reddidit.* Quomodo *inquit Luc.* 1. fiet istud, quoniam virum non cognosco? *quod profecto non diceret: nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Et cap. 14. *Quoniam*, ait, *devitatis, remissisve peccatis adeunda est vita æterna, in qua est quadam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequenda parum est, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse laudis sit.* Consilium, inquit, do, tanquam misericordiam consecutus à Deo, ut fidelis essem 1. Cor. 7. Et ibid c. 30. *Vos etiam, qui hoc nondum vovistis,* qui potestis capere, capite *Mat.* 19. *perseveranter* currite, ut comprehendatis (1. Cor. 9.) tollite hostias *quisque suas,* introite in atria Domini (Ps. 95.) non ex necessitate, sed potestatem habentes vestræ voluntatis 1. Cor. 7. *Neque enim sicut* non mœchaberis, non occides: *ita dici potest,* non nubes: *illa exiguntur, ista offeruntur: si ista fiant, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem si quid amplius supererogaveris, in reddendo* reddet vobis. Luc. 10.


Idem de bono viduitatis *cap.* 8. Quæ se non continent, nubant (1. Cor. 7.) *antequam continentiam profiteantur, antequam Deo* voveant, quod nisi reddant (Ps. 75.) *jure damnantur.* Cum enim in deliciis egerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, 1. *Tim.* 5. *) id est, voluntatem ad nuptias, à proposito continentiæ, deflexerunt* Irritam *quippe* fecerunt fidem, *qua prius voverant, quod perseverantia implere noluerunt.* Et de adult. Conjugiis lib. 1. *cap.* 15. Qui dat nuptum benè facit, & qui non dat nuptum, melius facit. 1. Cor. 7. v. 38. *ibi enim utrumque licet, & hoc aliquando, aliquando illud expedit. Nam illis,* quæ non continent, utriq; expedit nubere, *& quod licet, expediti qua autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit* Et ib. c. 20. *Ne adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumq; ad eandem sarcinam capiuntur inviti, eamque susceptam usq; ad debitum finem, Domino adjuvante, perducant,* Deus enim est, qui operatur in iis velle, & perficere. *Phil.* 2. *v.* 13. Et de opere Monach. c 4. *Quidam non intelligentes*: non sororem *mulierem* 1. Cor. 9. *(cum ille diceret.* Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?) *sed* uxorem *interpretati sunt. Fefellit eos verbi Græci* γυνὴ *ambiguitas, quod & uxor & mulier eodem verbo gracè dicitur. Quanquam hoc ita posuerit Apostolus, ut falli non debuerint: quia neque* mulierem *tan-*

tummo-

tummodo ait, sed sororem mulierem : *neque* ducendi, *sed* circumducendi, &c. *quod ipsius Domini exemplo faciebant*. Luc. 8. v. 3.

Idem in Psal. 75. ad finem. *Alius vovet*, relinquere omnia sua distribuenda pauperibus *Mat.* 19. *& ire in communem vitam*, *in Societatem Sanctorum. Magnum votum vovit.* Vovete & reddite Domino Deo vestro. *Quisque quod vovere voluerit voveat, illud attendat, ut quod voverit, reddat : Vnusquisque Deo, quod vovet*, si respicit retrorsum, malum est. Luc. 9. v. 62. &c. *De die judicii, cum Dominus Luc.* 17. *minaretur*, *quid ait*? Mementote uxoris Loth. *Omnibus dixit. Quid enim fecit uxor Loth? liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit : ubi respexit, ibi remansit.* Gen. 19. Et in Psal. 132. *Primò* habitaverunt in unum, qui omnia quæ habebant, vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt : *sicut in Actibus Apost. legitur.* c. 4. v. 34. & distribuebatur unicuique sicut opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. v. 32. 36. *Et quid* Unum? *Et*, erat illis, *inquit*, anima una, & cor unum *in Deum. Ergo ipsi prius audierunt :* ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. *Primi audierunt, sed non soli audierunt Non enim usque ad illos tantum ista dilectio & unitas fratrum venit. Venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo. Vovetur enim aliquid Deo, & dictum est,* vovete & reddite Domino Deo vestro. *Psal.* 75.

Hæc ex SS. Patribus propter varias quas opponunt Adversarii difficultates prolixius aliquantò prosecuti sumus, quas expositas solutasque his locis videbunt. Jam si exempla veterum requirant, legant D. *Hieronymum* in Catalogo script. Eccl. de S. *Marco*, & *Philone* Judæo. ac S *Hilarione* B *Athanasium* in vita S. *Antonii*. Vitam *Cypriani* à *Pontio* ejus Diacono scriptam, S. *Chrysostomi*, à *Georgio* Patriarcha Alex. S. *Martini* à Severo *Sulpitio*. *Pauli Nolani* à *Gregorio Turon.* & *D. Ambrosio* Epist. 36. ad Sabinum. *D. Augustini* à *Possidio* &c. His orthodoxæ Ecclesiæ exemplis Romanam hodie Ecclesiam insistere intelligant, suam ab omni hoc instituto procul abesse. Sed audiatur hac de re ipsorum Protestantium sententia.



§. XX.

§. XX. Confessione propriâ Adversarii orthodoxæ Ecclesiæ sensum agnoscunt.

CAlvinus *lib.* 4. *Instit.* c. 4. §. 10. Peccarunt, *inquit de Patribus*, hîc nonnihil immodica severitate, quod plus requirere voluerunt in Episcopo, quam Paulus requirat, ac præsertim successu temporis cœlibatum. Et c. 12. §. 23. Quod sacerdotibus interdictum fuit conjugium (*à Syricio Papa circa an.* 400.) id factum est impia tyrannide. Et §. 27. Hæc quia videbantur reverentiam Sacerdotio conciliare, magno plausu etiam antiquitus recepta esse fateor.

Idem *cap.* 13. l. 4. postquam insigni falsitate nihil his seculis integritatis in Monasteriis reperiri, contendisset, & hoc argumento institutum totum conatus esset evertere, (*Ut siquis ob justitiam multis locis neglectam, omnia judicum tribunalia eversa vellet*) denique §. 17. sic ait. Hoc ab ultima memoria fuit observatum, ut alligarent se continentiæ voto, qui totos se Domino dicare vellent. Fateor certè antiquitus quoque receptum fuisse hunc morem, sed eam ætatem sic ab omni vitio liberam fuisse non concedo, ut pro regula habendum sit, quidquid tunc factum est.

Hospinianus *de Origine Monach. lib.* 3. cap. 12. Errore 10. dicit. ***Clemens Alexandrinus*** disertè voti cœlibatus mentionem facit lib. 2. Strom. &c. Dabo igitur fuisse Clementis hujus ætate, hoc est circa An. Christi 175. Virginitatis seu continentiæ & cœlibatus professiones ac vota. Jam tum enim cœperunt ejusmodi deflectere à Verbo Dei, & variis ἐθελοθρησκείαις nimium tribuere. &c. Clementem post aliquot annos secutus est ***Cyprianus*** qui in libro de habitu Virginum expressè voti mentionem facit, Idem ***Hilarius*** in Ps. 64. ***Epiphanius*** hær. 61. ***matrimonium post votum contractum peccatum esse dixit.*** Augustinus lib. 1. de Adult. con. ad Pollentiam c. 24. dicit, *cum qui voverit, aut virginitatem aut continentiam non debere uxorem ducere.* Et in Psal. 83. *Virginem sacratam si nupserit post votum editum, adulteram Christi reputari.* Imò de bono viduit. *Lapsus tales graviores esse adulteriis &c.*

Chamierus *tom.* 3. *l.* 20. *c.* 9. §. *ult.* ad objecta ex *Basilio, Hieronymo, Augustino* &c. Non negamus, *inquit*, istos de abnegata re-

rum

tum proprietate scripsisse. Nempe jam tum Monachatus in admiratione erat. Et.c.17.§.19. Supersunt, *inquit, de votis*, authoritates veterum, quas multas Bellarminus collegit, primò Conciliorum, tum Paparum & Imper. denique Patrum singulorum. Nec nos sanè ignoramus posse longè plures colligi, & quidem tantò, quantò posteriora erunt secula. Itaque si nihil nisi numerantur suffragia, fatemur Papistis esse paratum triumphum.

Centuriatores quoque coguntur jam in primo à Christo seculo, in illa scriptorum paucitate, hunc cultum Dei agnoscere Cent.2.c,4. *De Virginitate.* Ex *Ignatii*, ajunt, Epistolis apparet, homines jam tum paulò impensius cœpisse amare & venerari Virginitatis statum. Nam in Epist. ad Antioch. ait. *Virgines videant, cui se consecrarint.* Et ad Heronem *Virgines custodi, tanquam Sacramenta Christi.* Item ad Tarsens. *Eas quæ in virginitate sunt honorate, sicut sacras Christi.* Et Paulò antè *de perfectione* Variis ajunt de perfectione opinionibus Clemens lusit, materiam relinquens copiosam ad extruendam & stabiliendam opinionem de perfectione.

De reliquis seculis nihil attinet prolixius hic memorare, cum nostris testimoniis, quæ everti nequeunt, uti & confessione adversariorum abundè res firmata sit. Et vanus ille conatus sit, quo nituntur votorum usum à primis seculis proscribere. Quando non omnia religionis mysteria in scriptis adeò paucis consignata fuisse, credendum sit; & sufficiat posteriora secula meminisse eorum, quæ à Majoribus observata, licet non scripta, fuerant. Verùm si Ignatio *Sacramentum* fuit Virginitas Christo dicata, quomodo hæc sine promissione erat, ac sine crimine poterat retractari? quod Christo sacratum est, sacrilegum est profanati.

Addo ex Magdeb.cent.2.c.5.de Marcione. Hic, ajunt, initio Virginitatem professus, postea Virginem deperiit, cui & vitium obtulit. Pater igitur, qui erat in Ponto Episcopus, rei indignitate & infamiâ commotus, Ecclesiâ eum ejecit, qui cum iccirco profugus , nec Romæ posset recipi, ad improbum consilium versus, Cerdonis hæresin amplexus, propriâ illam astutiâ adauxit. *Ex qua historia* clarum est, tunc & virginitatis professionem usitatam fuisse, & semel hanc professis mulieribus uti nefas fuisse. Alias facilè lapso remedium data in ministerio uxor fuisset, juxta illud Pauli, *qui se non continent nubant :* neque iccirco, aut ab aliis proscribendus, aut desperandum ipsi fuerat.

ARTI-

ARTICULUS XXV.

CRedimus, *a* quoniam non nisi per Evangelium fimus Christi compotes, oportere sacram & inviolabilem ἱερατείαν ejus authoritate in Ecclesia sancitam conservari, *b* ac proinde requiri in Ecclesia Pastores, quibus onus docendi verbi & administrandorum Sacramentorum incumbat, *c* quos etiam honore prosequi, & reverenter audire oporteat, siquidem legitimè vocati officio suo fungantur: minimè id quidem quasi Deus ejusmodi adminiculis & subsidiis inferioribus egeat, sed idcirco potius, quoniam ita illi videtur nos hoc veluti freno adhibito regere. Itaque fanaticos illos omnes detestamur, qui quantum in se sacrum ministerium, sive prædicationem Verbi, & administrationem sacramentorum abolita cupiunt.

a *Rom.*1.*v.*16 & 10.*v.*17. b *Mat.*19.*v.*18.20. *Eph.*1.*v.*22. & 4.*v.*11. c *Mat.*10.*v.*20. *Luc.*10.*v.*16. *Isa.*13.*v.*20. *Rom.*10.*v.*14.

ARTICULUS XXVI.

CRedimus *d* igitur nemini licere sese cœtibus subducere, & in seipso acquiescere; sed potius omnibus simul tuendam & conservandam esse Ecclesiæ unitatem, sese communi institutioni & jugo Christi subjiciendo, ubicunque Deus veram illam disciplinam Ecclesiasticam constituerit, *e* etiamsi Magistratuum edicta reclament, à quo ordine quicunque seipsos sejungunt, ordinationi Dei resistunt.

d *Psal.*5.*v.*8.22. & *Ps.*42.*v.*5. *Eph.*4.*v.*11. *Hebr.*10.*v.*25.
e *Act.* 4.*v.*19. & 5.*v.*29. *Hebr.*10.*v.*25.

ARTICULUS XXVII.

CRedimus *f* summo studio & prudentia discernendam esse veram Ecclesiam, cujus nomine nimium multi abutuntur. *g* Itaque affirmamus ex verbo Dei, Ecclesiam esse fidelium cœtum, qui in verbo Dei sequendo, & pura religione colenda consentiunt, in qua etiam quotidie proficiunt crescentes & confirmantes se mutuo in Dei timore, ut qui quotidiano progressu & profe-

f *Ier.*7.*v.*4.8.11. *Mat.*3.*v.*9. & 7.*v.*22.
g *Eph.*2.*v.*20. & 4.*v.*11, & 1. *Tim.*3.*v.*15.

profectu indigeant, *h* quos etiam, quantumcunque promoveant, oporteat tamen assiduè ad remissionem peccatorum confugere, *i* Minimè tamen inficiamur, quin fidelibus hypocritæ & reprobi multi permisti sint, sed quorum malitia Ecclesiæ nomen delere non possit.

h *Rom.3.v.24.& 5.v.10.* i *Mat.13.v.3.& 2.Tim.18.v.19.*

ARTICULUS XXVIII.

ITaque dum hoc ita esse credimus, *a* simul etiam palam affirmamus, ubi Verbum Dei non recipitur, nec ulla est professio obedientiæ, quæ illi debetur, nec ullus Sacramentorum usus, ibi propriè loquendo, non posse nos judicare ullam esse Ecclesiam. *Papisticos igitur conventus damnamus, quod pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam Sacramenta fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones & idolomania vigent.* Ac proinde arbitramur *b* omnes eos, qui sese ejusmodi actionibus adjungunt, & iis communicant, à Christi corpore seipsos separare. Quia tamen in Papatu *exigua* quædam Ecclesiæ vestigia, ac præsertim baptismi substantia *remansit*, cujus etiam efficacia *c* ab eo non dependet, à quo administratur, fatemur illic baptizatos, secundo baptismo non egere, *quamvis, propter admixtas corruptiones, nemo baptizandos illic infantes offerre possit, quin seipsum polluat.*

a *Mat.10.v.14.Ioh.10.v.4 & 1.Cor.3.v.9.* b 1.*Cor.6.v.19.& 2.Cor.6.v.14.* c *Mat.3.v.11.& 28.v.19.Mar.1.v.8. Act.1.v.5.*

§. I. Reformatio ex S. Scriptura.

CRedimus non solum innotescere Christi Ecclesiam quod in ea *gentes baptizentur* & *doceantur facere omnia præcepta Christi*, k *& dignos fructus pœnitentiæ*; sed etiam quia *ædificati sumus super fundamentum Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit*, m *quia ille nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, n *dans quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores usque ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationẽ corporis Christi, quod est Ecclesia, donec occurramus omnes in unitatẽ fidei, & agnitio-*

k *Mat.28.v.18.* l *c.3.v.9.* m *Eph.2.v.20.* n *Mat.28.v.20.*

agnitionis filii Dei: Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina o *Observetis itaque eos* (monet nos Paulus) *qui dissensiones & offendicula, prater doctrinam, quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis;* p Ut idipsum dicatis omnes, *& non sint in vobis schismata* q Si quid controversiæ, *inter te, & fratrem oriatur, dic Ecclesia: si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus* r *Ita enim oportet nos conversari in domo Dei, qua est columna & firmamentum veritatis* s in qua est, *unus Dominus, una fides, unum baptisma,* t quam *Christus ita dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro illa, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aqua in verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut esset sancta* & *immaculata* &c. *Nos autem membra sumus corporis ejus, de carne ejus*, & *de ossibus ejus.* u In quo corpore *divisiones ministrationum sunt, unus autem Dominus* &c. Etenim *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudai, sive gentiles,* x in hac Ecclesia *prapositi audiendi sunt*, sive in *synodo collecti, ut Actor.* 15. Petrus monet : *visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hac necessaria &c.* y sive extra Synodum, monente Paulo, *Obedite prapositis vestris, & subjacete illis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* z Tales autem perpetuo in Ecclesia eminebunt Davide prædicente: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terrã, memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem propterea confitebuntur tibi populi in aternum.* a Hoc regnum Ecclesiæ est, de quo Daniel. *in diebus autem regnorum istorum* (sub Romanis imperatoribus) *suscitabit Deus regnum cæli, quod in aternum non dissipabitur ; & regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem & consumet universa regna hac, & ipsum stabit in aternum.* b Estq; ut indeficiens, sic conspicuũ omnibus gentibus. *Erit enim in novissimo dierum mons domus Domini praparatus in vertice montium, & fluent ad illum populi, & properabunt gentes multa,* & *dicent, venite ascẽdamus ad montem Domini, & domũ Dei Iacob: & docebit nos in viis suis, & ibimus in semitis ejus.* c *Nec enim potest civitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio ;*
sed

o *Eph.* 4. *v.* 11. p *Rom.* 16. *v.* 17. q 1. *Cor.* 1. *v.* 10. r *Mat.* 18. *v.* 17. s 1. *Tim.* 2. *v.* 15. t *Eph.* 4. *v.* 5. u *Eph.* 5. *v.* 25. & 29. x 1. *Cor.* 12. *v.* 4. & 13. y *Act.* 15. *v.* 28. z *Hebr.* 13. *v.* 17. a *Psal.* 44. *v.* 17. b *Dan.* 2. *v.* 44. c *Micha.* 4. *v.* 1.

ed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. d *Erit huic Dominus in lucem sempiternam, & populus ejus omnes justi in perpetuum hereditabunt terram germen plantationis Dei* e *Et scient in gentibus semen eorum, & omnes qui viderint eos agnoscent, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* f *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eos* g *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, super agros manus imponent, & bene habebunt.* h

d *Mat.* 5. *v.* 15. e *Isa.* 60. *v.* 20. f. *Ib.* 61. *v.* 9. g *Mat.* 16. h. *Marc. ult.*

§. II. Observatio.

SI has de Ecclesia Christi scripturas universè expenderent Protestantes, facilè citra controversiam à Synagogis Satanæ veram Ecclesiam fidelium discernerent, neque *ex sola verbi Dei sequela, & puro religionis cultu* eam statuerent agnoscendam. Licet enim hæc Ecclesiæ orthodoxæ propria sint, tamen non minus nobis obscurum est, quænam Ecclesiarum, *Verbum Dei sequatur*, & *puram religionem colat*, seu *ritè Sacramentis Christi utatur*, quàm quæ ex omnibus sola orthodoxa sit, quia Ecclesiarum quælibet profitetur, *se unam esse, quæ purè Verbum Dei sequatur, & Sacramenta ritè distribuat.* igitur ad hæc signa cognoscenda aliis nobis signis opus est; ad hanc litem dirimendam aliis argumentis, vulgo notioribus utendum est. Quæ cum Sacræ nobis literæ abundè suppeditent, non est quod in tenebris luctemur, nisi ex iis simus, qui *magis diligũt tenebras, quã lucẽ.*

Ecclesia Dei, quia vulgo non minus hominum, simplicibusque atque indoctis patere debet, quàm proceribus gentium eruditisque ac sapientibus, non potest in tam subtili latere scrutinio, quale est agnitio conformitatis doctrinæ ipsius, cum Verbo Dei. Nam ad hanc præter sacratum scripturarum absolutam cognitionem, cujusque etiam Ecclesiæ, quæ in disquisitionem venire poterit, disciplina penitus exhaurienda sit, ac posttremò subtilissima exquisitissimaque ponderatione conferenda utrimque ac penetranda omnia, ut constare queat, quænam omnium, cum verbo Dei ex amussim conveniat. Quod examen si ad Catholicæ requiratur inventionem Ecclesiæ; dicam ego cum Protestantibus quod non solum hæc invisibilis, sed etiam irreperibilis vulgo sit. Quam immane inter hos censores & S. Scripturam sententiarum divortium est! hæc clarissimis nobis depingit notis, & nunquam, cùm simul

concurrunt, fallentibus, demonstrat Ecclesiam: illi signum nobis exhibent, ipso etiam signato propemodum obscurius. Illa jubet nos ad ipsos convertere Apostolorum Principes oculos, ut intelligamus, quonam ipsi loco, quâ in gente Christi fidem ædificare cœperint, quomodo ædificatio illic constructa creverit usque ad præsentem diem, historia orbis notissima, qui his DoctoresPastoresq; ad ædificationem hujus corporis Christi, quod est Ecclesia, post Apostolos & Evangelistas successerint: hi nos ducunt ad novitios sectarios ab illo manifestè divulsos corpore, heri natos; nullis fretos ejusdem Ecclesiæ antecessoribus, quorum Confessiones fidei nulla ætas omni ex parte ita formatas intuita est, qui discessione manifesta omnibus schismata in Ecclesiam intulerunt, ideóque juxta Apostolū declinandi sunt. Illa jubet ad talem nos convertere Ecclesiam oculos, quæ ut domus Dei immutabilis, & firmamentum immotæ veritatis, in eodem sensu sententiaque rerum, ad fidem salutemque necessariarum, semper perstitit, nihilq; totum, quod veræ aliquando fidei professa est, unquam deseruit; hi ad laceram, & in mille sectas discedentem nos ducunt Synagogam. Ubi quotannis prope aliis aliisq; rerum credendarum articulis suā fidem circumscribunt; nunc scindunt, nunc uniunt Ecclesias. Verbo, nondum statuere secum possunt, qui & quot articuli ad salutem creditu necessarii sunt. Similes suis antesignanis Luthero, & Calvino, in doctrinæ semel cœptæ inconstantia; dissimiles nunc etiam, in jutatis ab iisdem fidei articulis. Illa nos ducit ad sanctam Ecclesiam, quæ suos in baptismo ita sanctificat, ut macula & ruga nulla peccati relinquantur. hi ad impuram, quæ suos in sordibus originalis concupiscentiæ immersos fœdè destituit, neque iccirco (tam sancti capitis, quale Christus est, membra efficit.

Illa uno Ecclesiæ omnes jungit in corpore, ubi alii capitis, alii cæterorum membrorum capiti per obedientiam subjectorum, tanquam in bene ordinat rep. funguntur munere: hi nulla in corporis compage sociata antè membra ostentant, diversa hinc inde, & professione, & ordin ostentant capita, monstrum verius, quàm rectè formatæ corpus Ecclesiæ. Illa insignē veræ Ecclesiæ dignitatem & regnum exhibet: cujus Principes toto orbe conspicui, spirituale, super omnes etiam orbis monarchas, regnum longè latéq;, per orientem occidentemq;, statim ab ipsa origine hucusq;, extenderunt: frustra potentissimis gentium Tyrannis ferro flammaque obtinentibus; *ut si ex hominibus consili-*

consilium hoc aut opus esset, jam diu fuisset dissolutum : nunc autem, cum ex Deo sit, dissolvi non poterit : Actor. 5. vers. 39. hi, vel Dominos seculares spirituali Christi regno, prodigiosa compositione præponunt : vel ignobiles locis plerique ; & contemptas vulgo animas præficiunt, qui exorare magis, quàm autoritate Christi impetrare obsequium à suis cogantur. Illa regnum omnium seculorum, nunquam dissipandum, civitatem in monte conspicuam, domum Domini in vertice montium, quæ omnibus semper gentibus aperta fuerit, abscondi nunquam potuit. Hi obscuram congregationem multis seculis, genuinâ in luce non apparentem, cujus vox & doctrina corruptæ, notæ adulterinæ, aspectus difformis, quæ fidem habuit, sine auditu, instructionem veritatis, sine aperta prædicatione: corpore prædita fuit, sed vix tamen visibilis. Vitam habuit, sine signis vitæ, quæ inter puros integrosque Doctores ac Pastores consistere vix potuit integra seculis quinque ; decem tamen seculis inter hos corruptos stetit, quæ cùm à coætaneis videri agnoscique non posset ; à Luthero tamen ejusque asseclis & posteris tanto personarum temporumque intervallo est observata. Illa nobis ostendit Ecclesiam toto propagatam orbe, omniumque accursu gentium celebratam ; fatentibus universis (præter solos obtrectatores adversarios) hic reperiri semen cui benedixit Dominus, hi nobis in unius Europæ angulo, aut certè angustis terrarum spatiis circumscriptam Congregationem offerunt, in qua nemo benedictionem, unionemque in uniformi sacrorum & religionis cultu, sed extinctam pietatem, dissipationem sacrorum, neglectum bonorum operum : solius tantùm fidei, & verbi Dei jactationem è cathedris inanem deprehendat, quibus illud Pauli inculcandum : *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*, Rom. 2. v. 13.

Verùm faciamus Protestantium Ecclesias plures non tantùm legem audire, sed etiam sequi (quando & in Catholicis prævaricatores legis reperiuntur) *Ecclesia tamen Catholica sola est corpus Christi* (ut August. Epist. 50. ad Bonifacium Comitem) *cujus ille caput est, salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus S. Quisquis ergo* (ait idem Ep. 152. ad Donat) *ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Postremo, ut conclu-

dam. Scriptura nobis proponit Ecclesiam, in qua potestas relicta est ad contestationem veræ fidei, quam illa sequitur, Dæmones ab obsessis corporibus expellendi, & morbos ægrotantium consanandi. Protestantes verò Ecclesiam hac potestate destitutam, ideóque jure suspectam de integritate suæ fidei ostendunt. Ut tot signis ad Romano Catholicæ demonstrationem concurrentibus, quæ simul juncta fallere nequeunt; iisdem inter Protestantes deficientibus, jam nobis ultra dubium esse, per tantam scripturarum claritatem nequeat, quænam orthodoxa sit mater Ecclesia, in cujus gremio vita & salus nostra reponatur. Cum August. igitur hanc observationem concludam, qui tom. 6. in Epist. contra Manich. c. 4. ita differit, *Vt omittam*, ait, *sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus me gremio justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, Sacerdotum successio, tenet postremò ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista* (Romana) *Ecclesia sola obtinuit; ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui: ubi ad Catholicam conveniatur? nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista igitur tot ac tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Ecclesia Catholica.*

Quæ in art. 28. supra de corrupta Sacramentorum administratione, aliisque superstitionibus finguntur, illorum infra vanitatem discutiemus. Nunc aliquos SS. Patrum ex S. scripturis nobiscum de Ecclesia loquentes audiemus.

§. III. Veteres orthodoxæ Ecclesiæ Patres veram nobis ex S. literis Ecclesiam ostendunt.

IRenæus lib. 4. c. 43. *Iis qui sunt* in Ecclesia presbyteris obaudire oportet (Heb. 13.) *his* qui successionem habent ab Apostolis (Eph. 2.) *sicut ostendimus. qui cum Episcopatus successione* charisma veritatis certum accepêre. (Eph. 4.) *Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ*, vel quasi scindẽtes, & elatos, & sibi placentes *Rom.* 16. & 2. Petr. 2. v. 10. Et supra l. 3. c. 3. *Qui volunt audire, numerent ab Apostis constitutos Episco*

pisco

piscopos usque ad nos. Sed quoniam longum est omnium Ecclesiarum successiones enumerare: maxima & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia sunt &c.

Tertullianus de præscript. adversus hæret. 32. Sic. *quæ audent se inserere atati Apostolica, edant origenes Ecclesiarum suarū, evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus* aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit autorem & antecessorem, Eph. 2 *sicut Ecclesia Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit &c.*

Origenes tract. 29. in Mat. *Quodcunq; (qui scisma faciunt) professi fuerint, de scripturis, & de mysteriis, quæ sunt in iis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicuntur.* Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparente usq; ad occidentem. *Mat.* 24. *Qualis est veritas Ecclesiæ Dei*, ab ea enim sola sonus in omnem terram exivit & in fines orbis terræ verba eorum *Ps.* 18. Et tract. 30. ib. *Non debemus attendere eis, qui dicunt.* Ecce hic est Christus: *non autem ostendunt in Ecclesia, quæ plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, quæ plena est lumine vero*, quæ est columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. *In qua tota totus est adventus filii hominis, dicentis omnibus, qui ubique sunt.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ, usque ad consummationem seculi Mat. 28.

Cyprianus Tom. 1. Epist. 76. *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens à seipso ortus est Et iccirco Dominus insinuans nobis unitatem, de divina autoritate venientem, ponit, & dicit:* Ego & Pater unum sumus. *Ioh.* 10. *Ad quam unitatem redigens Ecclesiam denuo dicit*: Et erit unus grex, & unus Pastor. *ib. Si autem grex unus, quo modo potest gregi annumerare, qui in numero gregis non est? aut Pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succidanea præsidente) nemini succedens, & à seipso incipiens alienus fit, & prophanus?*

Eusebius Cæsar. præpar. Evang. lib. 1. c. 3. *Certum est Salvatorem nostrum prædixisse.* doctrinam suam in testimonium omnium gentium, per universum terrarum orbem prædicatum iri. *Mat.* 24. *v.* 14. Et Ecclesiam, *quæ postea virtute sua constituta est*, invictam atque inexpugnabilem fore, nec unquam futurum, ut à morte superaretur, *sed firmam fore semper atque immobilem*, tanquam in lapide stabilitam, atque fundatam *Mat.* 16.

D. Ambrosius lib. 2. de vocat. gentium c. 6. *Credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam, ut nationes vocandæ* ad unitatem corporis Christi 1. *Cor.* 12. *prius jure unius consociarentur impietatis, quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma: quæ per Apostolici Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis quàm solio potestatis.* Et lib. 1. Com. in 1. cap. Lucæ *Cum Ecclesia ex gentibus, hoc est ex peccatoribus congregata sit, quomodo ex maculatis* maculata potest esse. Nisi primo per Dei gratiam quod abluta à delicto sit *Eph.* 5. *deinde, quòd per qualitatem non peccandi abstineat à delicto?* Et lib. 7. Com. in c. 11. *Lucæ.* Cùm immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa &c *Hoc de Iudæorum plebe dictū ambigi non potest, quā Dominus à regno suo in superioribus segregavit. Vnde omnes quoque hæreticos & schismaticos à regno Dei & ab Ecclesia intelligo segregatos. Et ideo non Dei, sed immundi spiritus, omnes schismaticorū hæreticorumq; liquidè claret esse cōventus.*

Theophilus Alex. Epistola ad Epiphanium (quæ est apud Hieronymum Ep. 67.) *Dominus,* inquit, *qui locutus est ad Prophetam Ierem.* 1. ecce constitui te hodie super gentes & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere, ac rursum ædificare, & plantare, *singulis temporibus eandem, Ecclesiæ suæ largitur gratiam, ut integrum corpus conservetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant: quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesia Christi* quæ non habet maculam, neque rugam aut aliquid ejusmodi *Eph.* 5. *egredientes de cavernis suis Origenis colubros Evangelico ense truncavit.*

S. Chrysost. in Ps. 147. *Ecclesiam Deus munit validius, quàm Ierusalem;* portæ inferi non prævalebunt adversus eam Mat. 16. *In principio itaq; & Imperatores & Reges, & populi, & civitates, & Dæmonum phalanges invaserunt Ecclesiam. illa tamen omnia fracta & dissoluta sunt, & interierunt, ipsa autem crevit & in tantam provecta est altitudinem, ut ipsos etiam cælos superaverit.* Et in Demonst. adversus gētes. *A die, quā dictū est* (super hanc Petrā ædificabo Ecclesiā) *cōstat Ecclesia solida, & stabilis, & invicta, florēs, & fulgens, & indies magis & vigēs, crescens, & plus roboris sumens; & omnibus, qui ab illo die usq; ad Domini adventū futuri sunt præstans.*

Cyrillus Alex. In Isa. lib. 1. c. 2. Sion intelligibilis *Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam aspectabilem, & inaspectabilem evolat* &c. ut mons *intelligibilis,* & domus Dei *jure dici possit. Est illustris* utpote supra colles elevata Mach. 4. *De qua illud meritò dici poterit, quod illustris exempli causa à Salvatore dictum est,*

non

non potest civitas abscondi supra montem posita *Mat.* 5. Et. l. 5. c. 54. *Qui verè à Deo docti sunt, eos nemo potest lædere eorum, qui inanitate verborum uti solent; sed pacem habent apud Deum amore cum ipso colligati, & justitiam colentes. Hoc ædificat Ecclesiam, & eam sanctam tectam conservat, ne nutet: Christo protegente, & concedente ut in concussa sit, & immota.* Adversus hanc enim portæ inferi non prævalebunt *Mat.* 16. *De ea namque scriptum est Ps.* 77 & ædificavit velut unicornis sanctuarium suum in terra, fundavit illud in æternitatem. *Sanctuariū ejus Ecclesiā esse dicimus, quæ hostibus horribile cornu erigit. Fundata in æternitatem à Christo.*

Pacianus Epist. 3. *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi, sed etiam uxor, & conjunx de viro sumpta (Christo)* ideóque os de ossibus ejus, & caro de carne *Gen.* 2. *Nam de hac David dicit:* Uxor tua sic vitis abundans, in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ *Ps.* 127. *multus igitur huic Virgini partus & proles innumera, quâ totus impletur orbis, qua circūfluis semper alvearibus populosum fervet examen &c.* Ecclesia est non habens maculam, neque rugam Eph. 5 *hoc est hæreses non habens. Ceterum peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula, quia quamdiu peccat & non pœnitet extra Ecclesiam* (quatenus viva est fide) *constitutus est, ubi desinit peccare, jam sanus est. Hæreticus verò vestem Domini Ecclesiam scindit, intercipit, vitiat, irrugat.*

D. Hieronymus in Matth. c. 28. Qui usq; ad consummationem seculi cum discipulis se futurum esse promittit *& illos ostendit semper esse* (in successoribus) *victuros, & se nunquam à credentibus recessurū.* Et contra Lucifer. c. 9. *In illa Ecclesia permanendū est, quæ ab Apostolis fundata Eph.* 2. *usq; ad hanc diē durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Deo Jesu Christo, sed à quoquā alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentenianos, Montenses sive Campitas scito non esse EcclesiāChristi, sed Antichristi synagogā. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicāt, quos futuros Apostolus prænūtiavit* 1. Tim. 4. Hæc Luther. & Calvin. expendant. S. August. contra lit. Petil. *l.* 2. *c.* 32. in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū *Ps.* 18. *Hinc fit, ut Eccl. vera neminē lateat. Vnde & illud quod in Evang ipse dicit:* nō potest civitas abscondi supra montem posita. *Mat.* 5. *Ideoq; in eodem Ps.* 18. *connectitur,* in sole posuit tabernaculum suum, *id est, in manifestatione.* Et Ps. 47. *Hæc est* lucerna, quæ sub modio non occultatur. *Mat.* 5. *omnibus nota, omnibus diffamata.* Et in Epist. Joh. Tract. 2. *Quid amplius dicturus sum, quàm*

cæcos, qui tam magnum montem *non vident*, & qui contra lucernam in candelabro positam *oculos claudunt*? Mat. 5.

Idem lib. 3. contra Cresconium c. 64. *Evangelium crescendo, fructificare non cessat, donec in omnibus cum fuerit prædicatum, veniat finis. Sic enim Dominus ait:* Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. *Mat. 24. nisi fortè etiam in tantum vos* (hæreticos) *præcipitat insana superbia, ut hoc, quod prædictum est de parte Donati* (Calvini, aut Lutheri) *putetis accipiendum, non de illis Ecclesiis, quas Apostoli plantaverunt.* Et in Epist. Joh. Tract. 3. In verba. A nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis &c. *Aut, inquit, à nobis exierunt, aut nos ab ipsis? Sed absit, ut nos ex ipsis. Habemus enim testamentum dominicæ hereditatis, recitamus, & ibi nos invenimus:* dabo tibi gentes hereditatem & possessionem tuam terminos terræ *Ps. 2. Tenemus hereditatem Christi: illi non tenent, non communicant orbi Terrarum.*

§. IV. Protestantes, quamvis reformatores veteris Ecclesiæ videri cupiant, eam tamen, sibimet contrarii, semper incorruptã alicubi perstitisse agnoscunt.

Duo hic fatentur Protestantes, quibus inexplicabili sese laqueo induunt. Primùm, reformasse se Ecclesiam suorum Majorum in errores toto orbe prolapsam: alterum Christi tamen Ecclesiam, veros semper Doctores Pastoresque retinuisse, tum deinde legitimum Sacramentorum usum, quòd hæc in sua Ecclesia Christus perpetua esse voluerit. Quæ duæ propositiones se necessariò invicem evertunt. Nam cum in legitima doctrina & sacramentorum usu veram Ecclesiæ formam exteriorem constituant, ut ex art. Confessionis Gallicæ 27. & 28. aliorumque consensu liquet, reformari Ecclesia universe nec potuit, nec debebat, cum formâ sibi debitâ privata non sit. Aut si omninò fuerit, mendax scriptura est, quæ illius nobis faciem conspicuam, æternamque tot locis promisit. Quod cum affirmare non ausint, stabunt in sua illa assertione Protestantes. Ipsos de utraque propositione paucis audiamus.

Reformasse se Ecclesiam omnium voces adeò constantes sunt, ut hoc titulo etiam glorientur. *Lutherus* hujus autor Reformationis, de præcipuo articulo innovatæ religionis, qui est de fide sola Justificante in lib. *de summa Mandator. Dei* sic ait; se neminem scire, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis, in ceteris libris id nequaquam reperiri.

Ita

Ita ut mirum non sit, eam doctrinam nostris temporibus adeò periisse, & extinctam esse. *Et tom.* 4. præfatione *in Eccles.* Scholæ Theologicæ fidem certissimam in Christum, cum universa Christi cognitione prorsus extinxerunt. *Et de incertitudine gratiæ in cap.* 4. *ad Gal. fol.* 376. Ista sententia fuit articulus fidei in toto papatu, quo doctrinam fidei prorsus obruerunt. *Et in brevi confes. de fide speciali* ait, principio suam doctrinam novam, & supra modum scandalosam fuisse per universum mundum. *Eaque de causa in colloquio Germ. c. de Schvvermeris*, Waldenses à se dissidere agnoscit (quos alij frustra conciliatos vellent) quod, ut inquit, Waldenses, licet sancti operarij, non credant tamen fidem absque operibus justificare.

Sic apud Smithæum lib. 2. *Calvinus* in præfat. Instit. Et lib. 1. c. 2. §. 2. & cap. 5. §. 15. *Baleus* cent. 4. script. Britan. c. 6. *Schleidanus* l. 11. f. 158. aliique fatentur, solam istam fidem in papatu fuisse penitus amissam, prorsus extinctam, à nemine traditam, omnino oppressam, totam ignotam, ex memoria hominum deletam, &c.

De ceteris articulis fidei necessariis eversis, tot alibi testimoniis constat, quot Roman-Catholicos articulis volunt reformari. Et verò si de uno tantū fidei justificantis articulo sublato ab Ecclesia constaret, planum est, non potuisse formam orthod. Eccl. subsistere, cum hæc ad unius articuli necessarij eversionē concidat.

Contrariam assertionem singulari non ita pridem Tractatu Gisbertus Voëtius in libro cui titulus *de sperata causa papatus* pro unitate continuæ successionis ab Apost. ad Eccl. reformatas usque defendenda suscepit; sed in suam suorumque hanc fabam caput excudit. Hoc palmarium eius argum. est, quo evincere se causam profitetur.

Vera & genuina Christi Ecclesia fuit & debuit esse successivè à temporibus Apostolorum, ante & usque ad tempora Lutheri. Sed Reformata *Protestantium Ecclesia est vera Ecclesia.* ergo &c. Majorem supponit, ut certam & receptam. In minori tantùm, per 12. articulos probanda laborat, in quibus etiam art. 8. proponitur usus *baptismi & cœnæ* receptorum à vera Eccl. *Sacram.* quæ ut habetur art. 9. *symbola & sigilla* sint promissionis divinæ. Item art. 10. *bona opera* ex præscripto legis art. 11. *jeiunium*, art. 12. *cultus* ex instituto art. 13. Ecclesiæ *unitas* atq; *universalitas* exhibetur. Juxta hæc igitur perpetuam, ideòq; semper visibilem ante Lutherum Ecclesiam fuisse necesse est. *Verùm* si hic argumen-

tum observasset, quemlibet hæreticum, ut Swenckfeldianum, Socinianum, &c. eodem se clypeo tueri posse, atq; e.g. subsumere, *sed nostra Sociniana Ecclesia vera est.* Ergo & perpetua, fortè cautius conclusisset. Deinde notas, quas ponit, sive articulos veri Christianismi, nos toto hoc opere evertimus. Denique vetus ante Lutherum Ecclesia, Voëtio non diffitente, Sacramenta quoque ordinis, matrimonii, extremæ unctionis & confirmationis, missæ sacrificium, oblationes pro defunctis, religionis vota, Monasticumq; institutũ, aliaq; id genus observavit: Doctores, illius operum merita, satisfactiones, indulgentias & plura eiuscemodi constanter inculcarunt. Ergo juxta Protestantes totus Dei cultus in Ecclesia corruptus fuit, neq; pura verbi Dei prædicatio, incorruptusque Sacramentorum usus ante Lutherum perpetuus fuit, aut si hic incorruptus censendus est, Catholicorum successio in vera doctrina cultuque divino probatur. Sed audiamus Protestantes disertius successionem agnoscentes.

Melanchton in *loco com. de Ecclesia.* Semper ait, in conspectu sit hoc Pauli dictũ, *quos elegit, hos & vocavit.* quotiescunq; de Ecclesia cogitamus, intueamur cœtum vocatorũ, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos somniemus, nisi in hoc cœtu visibili: Nã neq; agnosci, neq; invocari Deus aliter vult, quàm ut se patefecit, nec alibi se patefecit, nisi in Ecclesia visibili, in qua sola sonat vox Evãgelij. *Et quod hæc intercidere nũquã possit, docet in orat. de Ecclesia.* Si enim, inquit, nulla est visibilis Ecclesia in hac vita, quomodo agnoscentur, & ministri Evangelij, & auditores? Et quæ Ecclesiæ judicia erunt, de quibus scriptũ est, *dic Ecclesiæ?* quæ erit testimoniorum authoritas de temporibus, de receptis libris, de controversiatũ judiciis? quomodo discernemus inter cives & hostes? quorum expetenda sit societas, qui fugiendi?

Zacharias Ursinus *in explicat. catechet. q. 54. postquam n. 2. dixisset*: Visibilis Ecclesia est cœtus in genere humano amplectentium & profitentium integram & incorruptam doctrinam legis & Evangelij, & utentium sacramentis secundum institutionem divinam, &c. in quo alii regenerati, alij hypocritæ. *quærit denique n. 7. Quid sit credere Ecclesiam sanctam Catholicam?* & resp. Est credere semper fuisse, & esse, & fore talem Ecclesiam in mundo. Et in cœtu visibili Ecclesiæ semper esse aliquos verè conversos, & me ex horum numero esse, proindeq; esse unum invisibilis & visibilis Ecclesiæ membrum ac perpetuò mansurũ.

Pareus *in Cat. Expl. prologomeno generali* 1. Necesse est inquit, Ecclesiam in hoc mundo conspici, ut sciant electi, cui se cœtui de-

debeant adjungere in hac vita; quia extra Ecclesiã non est salus.

Whitakerus hanc suorum hominum contradictionem distinctiuncula frigida nequicquam conatus est eludere, q. 3. *in Eccl. c. 2. resp. ad 5. arg Bellarm.* ad testimonia Partum producta, quæ Ecclesiam Christi apostatare & perire non posse docebant, respondit: Nos non dicimus Ecclesiam omnium gentium, aut apostatasse, aut perijsse, &c. *ac postea ad 2. rationem Bellar.* subjicit. Illi dicunt Ecclesiam semper visibilem esse, idem & nos. Sed illi clarè semper & ab omnibus videri, nos obscurè aliquando, & non nisi à paucis, &c. nam in paucis Ecclesiam aliquando consistere dicimus, qui tamen alicubi sunt, & videri possunt Item *quæst. 6. c. 2. in fine sic ait.* Pastorum quidem & Doctorum successio, nunquam est in Ecclesia Christi interrupta, suos enim Pastores Christus in Ecclesia sua semper habet, licet non semper in uno atque eadem loco. Et hoc modo Ecclesiam suam conservat Deus. Idem Gallica confessio supra art. 25 profitetur. *Similia* habent *Piscator* de Eccl. Aphoris. 10. & 14. *Polanus* synt. Theol. l. 7. c. 7. *Keckermannus* l. 3. syst. Theol. c. 6. Jam verò *Magdeburgenses* per singula exhibent secula in pluribus articulis doctrinam hodiernæ Rom. Eccl. & Past. Doctoresque eiusdem fuisse non inficiantur. Ut si Ecclesia Luther. & Calv. aut quorumcumq; deniq; nobis adversantiũ, juxta illorum confessionẽ, visibilis semper extiterit, jure non patem solum, verùm & majorem doctrinæ Doctorumque illorum testificationem exigamus, si nos loco movere contendant. Imò fidenter asseramus, nec unum quidem unicum, aut Doctorem, aut fidei confessionẽ ab illis produci posse, quæ in necessariis fidei atticulis undequaq; consentiant. Unde manifestum redditur, nullo ne probabili quidem argumento ab ijs defendi posse, quod illorum ante Lutherum Ecclesia per tredecim secula unquam comparuerit, multò minùs, quod visibili perpetuaq; successione sit propagata, ideoq; quocunque se vertant, sive ad paucos, sive ad multos visibiles, seq; invicem consequentes, semper causa excidunt, neque aliud hic agunt, quam quòd à S. litteris divellantur, novisq; ac novis sese contradictionibus implicent, dum compertissimæ in omni historia veritati adversantur.

Possent fortè pro effugio obtendere Adversarij, quod Ecclesiam non omnibus quidem, sed iis locis, quibus corrupta fuerit, reformarint. Sed hoc omninò vanum est. Nam illos, qui nobis contradicunt, in rebus ad fidem necessarijs articulos in nulla probata Ecclesia, aut concilio ante se, per superiores ad Christum usque ætates, exhibere poterunt, licet nonnunquam exer-

bitantem inter plurimos aliquem Ecclesiæ Doctorem, aut improbatum hactenus synedrium vixq; alios nisi obtorto in suam sententiam collo rapiant. Deinde non pauca sunt ipsam fidei substantiam concernentia, quæ multis ante se seculis & Luth. & Calv. & alij in Ecclesia prorsus obliterata esse fatentur, ut supra de fide justificante vidimus; at ablato uno necessario ad salutem articulo, fidem, orthodoxamque Ecclesiam intercidere necessum erat, contra unius igitur Ecclesiæ corruptæ partem adversarij nihil moliti sunt, sed Catholicam universè oppugnarunt, quæ cùm, ipsis fatentibus, nunquam interciderit, veritati orthodoxæ sese impiè opposuerunt.

ARTICULUS XXIX.

CRedimus veram Ecclesiã *a.* gubernari deberi illa politia, sive disciplina, quam Dominus noster JESUS Christus sancivit; ita videlicet, ut in ea sint Pastores, presbyteri, sive seniores & Diaconi, ut doctrinæ puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus & reliquis calamitosis, prout opus est, consulatur, & sacri cœtus ædificandis, tum parvis tum magnis habeantur.

a. *Act.6.v.4.Eph.4.v.11.& 1.Tim.3.v.1.ac Tit.1.v.5.&c.*

ARTICULUS XXX.

CRedimus *b omnes veros Pastores* ubicunque locorum collocari fuerint, *eadem & æquali inter se potestate esse præditos* sub unico illo capite summoque & universali Episcopo Jesu Christo. ac proinde *nulli Ecclesiæ licere sibi in alium imperium,* aut dominationem vendicare.

b *Mat.18.v.2.& 20.v.26.& 2.Cor.1.v.23.& 1.Pet.5.v.3.*

§. I. OBSERVATIO.

CRedimus *quod omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui his resistunt, ipsi sibi damnationem acquirant, ideoq; subditi esse debeant, non solum propter iram* (seu pœnam) *sed etiam propter conscientiam.* c. Hinc & in Eccl. ab Apost. *constituti Episc.* ut erat Tim. & Tit. 9. *ut quæ deessent, corrigerent, & constituerent per civitates presbyteros* d. *& Diaconos pudicos, & sobrios,* e *idque cum impositione manuum,* f. sicut fuerunt Apost. *constituentes per civitates Presbyt. & Diac.* g. illa lege, ut *Episc.* ceteris *præessent quos spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei* h. *non* quidem *ut dominantes in cleris: sed ut forma gregis facti ex animo* i. sicut *Christus ipse, qui cum esset Dominus & Magister* l. *erat tamen in medio discipulorum,* *sicut*

c *Rom.13.v.1 &c.d.Tit.1.v 5.e. 1.Tim.3.v.8. f.Ib.c.4.v.14. g.Act.6.& 14.v.22.h.Act.20.v.28.i.1.Pet.1.v.2.l.Ioh.13.v.14.*

sicut unus qui ministrat. m. Iuris potestate tamen utendū, licet circumspectè, ut Paulus monet Timotheum, *adversus presbyteros accusationē noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* n. Hac & Paulus usus in Corinthios, *Tanquam*, inquit, *non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Quid vultis? in virga veniam ad vos an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* o. Sic idem *confirmans Ecclesias, præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & Seniorum* p. & olim, *qui superbiit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrabat Domino, ex decreto Iudicis moriebatur.* q. Hic verò ordo & in Christi Ecclesia semper fuit, ut sub uno summo Sacerdote in terris regeretur. Uti enim David regnum politicum defertur, his verbis: *Tu pasces populum meum?* r. sic Petro, per Christum similibus Ecclesiasticum *pasce oves meas.* s. juxta promissionem, *dico tibi, quia tu es Petrus (cephas seu petra) & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum* t. Erat enim *primus Apostolorum Simon, qui dicitur Petrus.* u. Qui & *Ierosolymis in Concilio, eius loci Episcopo Iacobo prælatus, sententiam in exorta lite primus exposuit definivitque assentientibus cum Iacobo eius autoritati reliquis* x. *Christum* quidem Deus *dedit caput super omnem Ecclesiā, quæ est corpus ipsius:* y. verùm ita, *ut vir caput est mulieris, sic Christus Ecclesiæ.* z. (sibi quoq; connetam caput habentis.) Nam, ut primum nostrum *fundamentum præter quod aliud statui non potest, Christus est* ; ita *fundati quoque sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* b. subordinata hæc capita, fundamenta, & potestates sunt exclusis secularibus, non minus, quàm in Monarchia seculari populus Regi, Rex cum populo, Deo subijcitur. Hinc Ecclesia *regno.* c. quod sub visibili est Rege, *ovili* d. quod sub Pastore, *domui* e. quæ sub patrefamilias, *Humano corpori*, f. quod sub pari est capite, comparatur. Hoc regnum Daniel prædixit. *Regnum tertium aliud erit æreum, & imperabit universæ terræ, & regnum quartum erit velut ferrum &c. In diebus autem regnorum istorum suscitabit Deus regnum cœli, quod in æternum non dissipabitur.* g.

§.II. Ob-

m. *Luc.* 22. *v.* 27. n. 1. *Tim.* 5. *v.* 19. o. 1. *Cor.* 4 *v* 19. &c p. *Act.* 15 *v.* 41. q. 1. *Deut.* 17. *v* 12. r. 2. *Reg.* 5. *v.* 2. s. *Ioh.* 21 *v.* 17. t. *Mat.* 16 *v.* 18. u. *Mat.* 10 *Marc.* 3. *Luc.* 6. x. *Act.* 15. *v.* 7. y. *Eph.* 1. *v.* 22. z. *Eph.* 5. *v.* 23. a. 1. *Cor.* 3. *v.* 11. b. *Eph.* 2. *v.* 20. c. *Dan.* 2. *Luc.* 1. d. *Ioh.* 10. *v.* 16. e. 1. *Tim* 3. *v.* 15. f. *Cor.* 12. g. *Dan.* 2.

§. II. Observatio.

SI ambigua hæc esset scriptura, tamē pro ratione, & optimi in Ecclesia regiminis forma standū esset: nunc qui in tam deserta Verbi divini sententia de Ecclesiastica monarchia ambigit, hic mihi non ex fideliū tantùm, sed hominum penè censu sensuq; excidere videtur. Quàm absurdū illud, quod cum Episcopis nonnunquam Presbyteri nomen detur, icciτco paris hos illosque dignitatis habere! ut si hominem non minus, quàm bovem dicam animal, iccirco distinguendi non sint. Estne alicubi hoc dictum Presbyteris, quod Episcopis & summis Sacerdotibus ut *constituant per civitates Presbyteros & Diaconos* ut *causas dijudicent, plectant nocentes, præsint cum imperio, regant Ecclesiam Dei?* hæc qui jurisdictionis concessæ negat esse argumenta, ignorat quid sit jurisdictio, qui secularibus in Ecclesiam Dominis tribuit, *Christi regnum, quod de hoc mundo non est*. Joh. 18. mundo impiè subijcit. In quod apud sectarios (Principum secularium hac in causa turpissimos adulatores) usque adeò evilescit; ut Christi regnum, divinumq; illud ministerium spretum despectumq; infimis passim Ministris Principum ad servitutem obsequiumq; substratum sit: neque Minister Christi in gregaria nobilitate locum reperiat, quandò tantus illius officij honor atq; existimatio inter orthodooxos relicta est, ut summi hunc etiam Principū locum capessant, & sæpè ministerium hoc imperio seculari præoptent. Non fallit nos Christus. *Si quis mihi ministraverit honorificabit eum pater meus* Jo. 12. v. 26. Nec olim Deus de suis loquens ministris: *quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles*. 1. Reg. 2. v. 30

Jam verò & illa, quæ in Ecclesia Dei à temporibus Apostolorum ad nos dimanavit subordinatio, quâ ipsi etiam diversarum toto orbe Ecclesiarū Episcopi uni summo visibiliq; in terris capiti subijcerētur, nimis à Protestantibus perversè cōtra divinas humanasq; boni imperij, debitæq; observantiæ leges, contra rationem, usumq; perpetuum, ac summi Numinis (quod in uno maximè intuemur capite) reverentiam, infringitur; sed ab illis qui nisi hoc submoto noxiā vitæ morumq; nequeunt libertatē tueri. Nulli universè à Christo dictum præterquam Petro. *pasce oves meas*, nulli ante hunc *claves* exhibitæ, in nullo pari titulo & prærogativa *fundata* est Ecclesia, nemo præter illū *primus* appellatus est, qualis, cùm vocatione non esset, dignitate esse debuit. Et tam manifestis Dei vocibus etiamnū Protestantes obluctantur; Unū expendo testimoniū, ut vim agnoscant. Cum diceret

ceret *pasce oves meas*, cõstat supra reliquos illi Apostolos aliquid à Christo collatum; quòd ad quæstionem, *diligis me plus his?* (Apostolis videlicet ceteris) & tam emphaticam, ut ter repetita sit, universæ illi oves Christi commissæ sint, adeoq; & ipsi Apostoli, (nisi hos oves Christi esse negaveris) idq; iccirco, quod ut in Christũ amore, sic potestate æquũ esset eminere ceteris. Jam ante hac idem, Christus futurum præmonuerat, tum quando lapsuro dicebat, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; tum quando prædixit, & *erit unũ ovile, & unus pastor*, non Christus: de quo rò *erit pastor*, locũ non habuit; cum de facto ipse supremus *pastor esset*: Nemo igitur præter D. Petrũ eiusq; in hoc *pascendi* officio successores, cum ut ovile, sic pastor deberet esse perpetuus, & fundari Ecclesia in solo Petro eiusq; fide æternũ non posset. Ita de Christo & Ecclesiâ jam olim Davide præcinẽte: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui in omni generatione*. ps. 44. v. 17

Putant se hanc vim scripturarum posse elidere, ne quid Petro præ reliquis concedant Apostolis, cum dicunt Mat. 16. *supra Petrum fundari Ecclesiam*, nihil aliud esse, quam supra fidem veram in Christũ, quâ Petrus confitebatur v. 17 *Tu es Christus filius Dei vivi*. hæc autem perpetua fides est, in qua jure fundari Ecclesia dicetur. Verùm hi scripturam ac veritatem deserunt, si aliud velint, quàm fidem professionemq; hanc Petri causam esse, seu rationẽ fundandi in ipso ac successoribus Ecclesiam. Fides Petri Christum impellit, ut cùm præ reliquis ille Apost. solus Christũ profiteretur, ipse præ reliquis quoq; *beatus* sit appellatus, ipse *petra* dictus, super quam fundaretur Ecclesia, v. 18. ipsi *claves* traditæ sint, cum verbis, *Tibi* dabo: non *vobis*. Dignumq; observatu est, quod sicut hic Petro Christus ob præeminẽtẽ fidẽ præ reliquis fundamentũ Ecclesiæ suæ constituit; sic alibi Joh. 21. ob excellentiam amoris sui declarat ovilis Pastorem. Ergòne aliquis, contra tam disertam scripturam, hanc Petro, in ceteris Apostolis præeminentiam eripere poterit? aut profanis illam tradere in Ecclesia potestatem regendi Principibus, adeò Apostolorum Principi arctè devinctam, ac sanctè demandatam?

At existimant reliquis Apostolis eandem potestatem concessam à Christo Mat. 18. v. 18. cum ait *quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo* &c. Verum hic non de singulorũ, ut in Petro, sed Eccles. potestate agitur, cum præcedat: *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiã non audierit, erit tibi sicut Ethnicus*, contulisse, verò Apost. dependenter ab Ecclesia & Petro eius capite non negabi-

negabimus. cum idem Joh. 20. quoque confirmetur. Et hac potestate usos constat, quando præcepta & leges dedêre, ut e. g. de arcendis ab Episcopatu digamis, cum statuitur, ut *Episcopus sit unius uxoris vir*, 1. Tim. 3. Neque hæc vis ad solos restricta Apostolos fuit, cum Act. 16. v. 4. jubeantur fideles *custodire decreta*, non *Apostolorum* tantum, verùm & *seniorum*: non liberè, citraque obligationem, conscientiæ, ut aiunt, nisi cum timetur scandalum; sed *necessitate propter conscientiam. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rom. 13. & *qui præpositos audit, Christum audit, qui verò spernit, Christum spernit.* Luc. 10. Ut mirum sit, Protestantes tam leviculis argumentis, quibus Judæi jubentur *tantùm facere, quæ Deus præcipit, & nihil ad verbum hoc addere.* Deut. 8. & 12. Christiani *liberi esse à mandatis hominum* 2. Cor. 3. Mat. 13. &c. aut *non esse servi hominum* 1. Cor. 7. v. 23. priora velle cum omni potestate Ecclesiastica evertere. Neque enim hic de alijs mandatis, aut additionibus vitandis tractari potest, quàm quæ verbo Dei adversantur. Nam alioquin omnis scriptura præter Deuteronomium, atque omnium hominum mandatū repudiandum, tam in re civili, quàm Ecclesiastica esset. Nulla lex nisi divina, nullum superiorum imperium, nulla esset subditorum erga hoc exspectanda obedientia, omnis pœna humanarum legum prævaricatoribus inflicta iniqua esset; quia is, qui in foro conscientiæ & coram Deo absolutus esset, his nisi injuriâ, non maneret obnoxius. Quid? quod ipse Deus sibimetipsi suis in mandatis adversaretur, cum tam Ecclesiasticæ, quam civili potestati adeò vult fideles obsequi, ut per Paulum moneat Rom. 13. eos *qui resistunt, damnationem sibi acquirere* & Mat. 18. dicat *Ecclesiam non audientes esse sicut ethnicos & publicanos.* Et quisquam neget tales adversus conscientiā delinquere, qui æqua hominum mandata negligere, nisi divinorum simul mandatorū prævaricatores, non possunt? Sive igitur adiaphora ex se opera, sive mores ritusque uniformiter usurpandos præcipiant: modò nihil divinæ legi adversetur, justè semper imperantibus erit obsequendum: non solùm ratione scandali (quod aut nullum, aut imprudens esset, si constaret neminem ex conscientia teneri) verùm debitæ obligationis causa. & sanè foret in omni repub. plusquam barbarica confusio æquitatis, & reverentiæ ergà Dominos, legumque omnium violatio pertimescenda, si impia hæc persuasio animos occupasset; neminem ex conscientia ad hominū mandata obligari. Videant hoc loco omnes Christiani orbis Principes, quæ discrimina universis in quacunque etiam civili repub.

pub. Proceribus immineat, dum hac opinione invalescente, cuivis subditorum fas erit, ad verbum & legem Dei suorum expendere mandata Dominorũ, & siquidem ipsi, huic esse conformia non sentiant, tum sibi existiment, omne imperium excutiendũ, & ut ajunt, *magis obediendum Deo, quã hominibus.* Nam ut hoc verissimum; ita falsissimum sæpe judicium est, quo ipsi Magistratuum suorum imperia cum S. literis convenire non autumant. Quid? quod etiam tum, quando S. hæc literis salrem adversari non intelligunt, statuere tamen liceat, se in conscientia ad eorum observationem non teneri, æquumq; non esse, ut *qui in libertatem filiorum Dei asserti sunt, servi hominum constituantur.* Quod si in regimine Ecclesiastico sentiant: nihil est cur quoque in civili, ambobus, sic loquar, pedibus non sequantur, Calvino jam dudum vexilla præferente (Inst. l. 3. c. 19. §. 14. & 15.) Nulla certè gens aut natio tam barbara reperta est hactenus, quæ tantam subditis adversus Dominos libertatem indulserit, quantam novitia hæc sectariorum temeritas invexit, qui dum unius in Ecclesia Pontificis jurisdictionem non sustinent, omne Principum & rerum p. imperium convellunt. Audite tubam Evangelicam Lutheri de captiv. Babylonica. *Nulla est alia remedii spes, nisi revocato libertatis Evangelio, secundum ipsum, semel extinctis omnium hominum omnibus legibus, omnia judicemus & regamus, Amen.* Et Melanchthon c. 13. Epist. ad Rom. *Si quid Magistratus præcipit contra jus divinum, ne obtemperes, sed pertinaciter repugnes, ut cùm præcipit bellum suscipi adversus Turcas.* Ita hi novi Evangelii Præcones prætextu Verbi divini; suo ex cerebro omnia dijudicant, ut babylonicam in orbem confusionem, & ἀναρχίαν reducant.

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ scriptores Monarchicum Ecclesiæ Romanæ regimen ex S. literis, historiis & conciliis œcumenicis demonstrant.

Quià plura sunt, quæ hoc articulo discuti possunt, Veteris Ecclesiæ sensum expeditionemque per quosdam paragraphos distribuàm.

1. Honorem & obedientiam supremo Magistratui, tam Ecclesiastico, quàm civili, vi mandati deberi, ex S. literis tradunt.

S. Ignatius *in Epist. ad Smyrn.* Honorare oportet & Regem (1. Pet. 2. v. 17.) *Nec enim Rege quisquam præstantior, nec quisquam similis in rebus omnibus creatis.* Nec Episcopo quicquã majus in Eccl. (Act. 20. v. 28) *qui Deo consecratus est, pro totius mũdi salute.*

S. Martialis Epist. ad Tholos. c. 8. *Principi Stephano etiam obedire debetis in omnibus, quia Princeps vobis à Deo constitutus est*, à quo omnis potestas in cœlo & in terra Eph. 3. v 15.

S Cyprianus tom. 1. Epist. 55. *Ne putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si Episcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint: cum in Deut. c. 17 Deus dicat*, Et homo quicunq; fecerit in superbia, ut non exaudiat Sacerdotem, quicunq; fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur, cui secundùm magisteria divina obtemperaret fraternitas universa.

D. Gregorius Nazian. orat. 17. ad cives Naz. *Lege præclare constituta sanxit, quâ* servi heris suis, & uxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac Pastoribus dicto audientes esse & parere jubentur. Eph 6. & *Colos. 3. Ita nobis etiam præscribitur, ut* sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Rom. 13.

S. Augustinus in exposit. ep. ad Rom. *propositione* 74. Quoniam dixit, necessitati subditi estote, Rom. 13. *ne quis non integro animo, & pura dilectione subditùs fieret hujusmodi* potestatibus, addidit dicens: non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, *id est, non solum ad iram evadendam, quod potest etiam simulatè fieri; sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussus Domini tui.*

II. Petrus summum Ecclesiæ post Christum caput constitutus est.

CLemens Romanus *Epist. 1. ad Iacob.* Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentū Ecclesiæ est definitus. *Mat. 16. Qua etiam ex causa*, Domini ore cognominatus est Petrus Joh. 1. v. 43. *qui fuit primitiæ electionis Domini*, Apostolorum primus *Mat. 10. cui & primo* Deus Pater filium revelavit, *cui & competenter* beatitudinē *contulit. Mat 16. qui & vocatus est, & electus est, & conviva Domini, & comes effectus. tanquā bonus & probatissimus discipulus, qui obscuriorē mundi plagam occidentis, velut omnium potentior illuminare præceptus est.*

Tertullianus *de pudicitia* c. 21. Super te, *inquit*, ædificabo Ecclesiam meā, & dabo tibi claves, *non Ecclesiæ*, & quæcunq; solveris, vel allegaveris; *nō quæ solverint vel allegaverint. Sic enim & exitus docet.* In ipso Ecclesia extructa est. *id est per ipsum.* Et tom.

3. in Scorpiaco c. 10. *Si adhuc clausum putas cælum, memento* claves eius hic Dominum Petro, *& per eum Ecclesiæ* reliquisse.

Hippolytus in orat. de consum. mundi *Princeps, inquit*, Petrus fidei petra, *quem* beatum judicavit Christus Deus noster. Mat. 19. *ille Doctor Ecclesiæ, ille* primus discipulorum. *Marc.* 3. qui regni claves habuit, *docuit me*.

Origenes c. 6. ad Rom. *Et Petro cum summa rerum*, de pascendis ovibus traderetur. Joh. 20. & super ipsum, velut super terrã fundaretur Ecclesia, *nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur.* & Tim. 6. in Matt. *Non modica* ait, *differentia est, quod Petro quidem data sunt claves, non unius cœli, sed multorum cœlorum*, ut quæcunq; ligaverit super terram, non tantum ligata sint in uno cœlo, sed in omnibus cœlis, & quæ solverit, &c. Mat. 16. *Ad eos autem, qui multi sunt ligatores & solutores in terra, sic dicit*, ut solvant & alligant non in cœlis, sicut Petrus, sed in uno cœlo, *quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus, ut alligent & solvant in omnibus.*

Athanasius Ep. ad Felicem. Tu *inquit* es Petrus, sicut *veraciter dicit divinum eloquium*, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt confirmatæ. *Matt.* 16.

Marcellus 1. Pont. *Ipse est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus*, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo.

S. Basil. in Prœm. de jud. Dei. B. *Petrus ceteris prælatus fuit discipulis, cui magnificentius quàm reliquis omnibus datum testimoniũ est, magisq; quàm reliqui omnes beatus appellatus*, cui claves regnĩ cœlestis commissæ, &c. *Mat.* 16. Et in *hom. ult. de pœn.* Pet. *dixerat*. Tu es filius Dei excelsi: & *vicissim audierat*, se esse petrã. *Ita laudatus à Domino. Licet enim petra esset, non tamen petra* ut Christus: *ut Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra: Petrus verò propter petram. Axiomata namque sua largitur aliis. Largitur autem eis non evacuatus, sed nihilominus habens.* Lux est & vos estis lux mundi, *inquit*. Sacerdos est, & facit Sacerdotes

S. Cyp. de simpl. Præl. sive de unit. Eccl. *Unam* inquit *esse Eccl. Spiritus S. in persona Domini designat, cant.* 6. una est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ electa genitrici suæ. *Hanc Eccl. unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Eccl. renititur & resistit, qui cathedram* Petri super quam fundata est Eccl. *deserit, in Ecclesia se esse confidit? quando & B. Ap. Paul. idem doceat & sacramentum unitatis ostendat dicens Eph.* 4. unũ corpus, & unus spir. una spes vocationis nostræ, unus Dominus, una fides, unum baptis. unus Deus. *Quam unitatem firmiter tenere & vindi-*

vindicare debemus, maximè Episc. qui in Eccl. præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atq; indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei unitatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.

Ibidem docet quomodo reliquorum Apostolorum potestas, licet par, ab uno tamen Petro, ut primo, dependerit. *Petro,* inquit, *post resurrectionem suam dicit:* pasce oves meas *Ioh.* 21. super illum unum ædificat Ecclesiam suam. *Mat.* 16, & *quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat.* Sicut misit me pater & ego mitto vos ; accipite Spiritum S. si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui retinueritis tenebuntur: *Io* 20 *tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis eiusdem originem ab uno incipientem, sua authoritate disposuit: Hoc erant utiq; & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis* (in Apostolatu) *sed exordium ab unitate proficiscitur ; primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur.*

S. Ephr. Syr. in *panoplia* Spirit. *hac;* inquit, *fretus princeps Apost. ord. Petrus, cum* filium Dei vivi Jesum confessus esset, claves regni cælestis accepit, *potestatem cœlestium ac terrenorum omnium obtinuit.* Et in transfigur. Domini. *Sicut Moyses ait, veteris, sic hic novi Testamenti princeps.*

Julius I. Pont. in epist. 1. ad *Episc. Orient.* Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra (1 Cor. 12.) *connexio totius corporis, unam sanitatem, unam pulchritudinem facit, & hæc quidem connexio totius operis unanimitatem requirit , sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum: quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen* (Petro) *datum est ut ceteris præemineret. De qua forma orta est quædam Episcoporum distinctio, & magna ordinatione provisum, ne omnes sibi omnia vendicarent.*

S. Ambr. in c. 24. Luc. *Contristatur Petrus quia tertio interrogatur,* amas me? &c. Sim. Jo. diligis me? utique tu scis Domine, quia amo te. Dicit ei Jesus pasce agnos meos. *Bene conscius sui, non ad tempus assumptum, sed jam dudum Deo cognitum Petrus testatur affectum. Quis est alius, qui de se hoc profiteri possit? & ideò, quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Et in c. 1. Gal.

ubi

ubi Paul. ait: Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum. *Dignum*, inquit, *fuit ut cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Vide eundem Ambros. lib. 4. de fide c. 3. Et in cap. 9. Lucæ & serm. 47. 68. 84. & alibi.

S. Chrysostomus alibi, supra confessionem, seu fidem Petri; alibi supra ipsum, ut petram ædificatam Ecclesiam dixit, ut intelligas utrumque, hoc est fundamentum simul & rationem fundandi per fidem, velut lapides & calcem, requiri. Sic habet hom. 9. de Pœnit. *Petrus ille Apostolorum princeps in Ecclesia prior amicus Christi, qui revelationem ab hominibus non accepit, sed patre, sicut illi Dominus testatur*: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi &c. *Petrum cum dico, petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, primum discipulorũ* &c. Sic. ho. 83. in Mat. inquit. *Qui super Petri confessionem Ecclesiam ita fundavit atque munivit, ut nullum periculum, neque mors ipsa posset ipsum superare.* Mat. 16. Et Hom. 4. de verbis Isaiæ *Alij* inquit, *sunt termini regni, alij sacerdotij, hoc regnum illo majus est. Neque enim ex his, quæ videntur, hic declaratur Rex. Sacerdotii jus è supernis descendit*: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata &c. *Major hic principatus, quia Rex submittit caput manui Sacerdotis.* Vide eundem hom. 33. in Matth. & 81. in Johan. & 55. in Matth. Et in Catenas &c.

Cyrillus Alexand. lib. 12. c. 64. *Cum Salvator à discipulis quæreret.* Vos autem, quem me esse dicitis? *Petrus ut Princeps caputq; ceterorum, primus exclamavit,* Tu es Christus filius Dei vivi.

S. Hieronymus in cap. 16. *Mat. Sicut, inquit, ipse lumen* (Christus) *Apostolis donavit, ut* lum ẽ mundi Mat. 5. *appellarentur, cetera que ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in* petram Christum (1. Cor. 10.) Petri *largitus est nomen ac secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei,* ædificabo Ecclesiam meã super te, &c. *Prudens lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem:* Beatus es Simon Bariona &c. *nunc audiat.* Vade retro me Satana: scandalum mihi es: *aut quæ sit tam repentina conversio, ut post tanta præmia* Satanas *appelletur. Sed si consideret (qui hoc quærit) Petro illam benedictionem, ac beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam, intelliget, ædificabo, inquit,* super te Ecclesiam, & portæ inferi non *prævalebunt* adversus eam, & *dabo* tibi claves. *omnia in futuro.* Vide eundem ad c. 2. Epist. ad Gal. lib. 1. Dialog. adv. Pelag. c. 4. Epist. 54. ad Marcellam & 89. ad Augustinum.

D. Augustinus modò per Petram Christum intelligit, modò Petrum super quem fundetur Ecclesia, Et in lib. 1. Retract, c. 21. inquit, *harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Verùm, cum sic accipiat, (verba recito) *ac si Petrus ab hac petra* (Christo) *appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum,* Petri dignitati per hoc nihil decedit, cùm Ecclesiam fundet in hac petra unà cum Petro, qui in hoc corpore Ecclesiæ caput ab eodem Augustino varijs locis, ut Tract. 56. & 124. in Joh. contra Donat. lib. 2. c. 1. Contra Ep. Manich. c. 4. & alibi agnoscitur. Nam quis est, qui in Christo, ut primo fundamento, & *angulari lapide* Ecclesiam neget fundari? Audiamus eundem S. August. in quæst V. & N. Testam. q. 75. *Salvator,* inquit, *cum pro se & Petro dari jubet* (didrachma Matth. 17.) *pro omnibus exsolvisse videtur, quia sicut in Salvatore erant omnes causæ magisterii; ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum, ut pastor esset gregis dominici. Nam inter cetera Petro dicit.* Ecce Satanas expostulavit, ut nos ventilet sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu tandem conversus, confirma fratres tuos. *Quid ambigitur? pro Petro rogabat: & pro Iacobo & Ioanne non rogabat, ut ceteros taceam. Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in Præposito populus, aut corripitur, aut laudatur.*

III. Successores Episcopi Romani, ubi Petrus vitâ & primatu defunctus est, in eandem, non Apostolatus (quæ personalis erat) sed primatus in Ecclesia universâ dignitatem venerunt.

PRiori veritate invincibiliter stabilita, hæc necessariò consequitur: Cùm Christus fundamentum Ecclesiæ in petra perpetuum constituerit, quod portæ inferorum subvertere non possent. Porrò Romæ Petrum fuisse, atque illic pro Christo passum, testatissima inter omnes veteres historicos res est, ut nonnisi ignorantissimi, aut impudentissimi calami otisque sit, id negare velle. Duos tresve testes antiquissimos audiamus, & plerosque Græcos de Romanis.

Papias *in explanat.* sermonum Domini apud Eusebium lib. 2. c. 14. Niceph. l. 2. c. 15 *Petrus,* inquit, *in sua Epistola, quam ex urbe Roma scripsit, meminit Marci, cum dixit:* 1. Pet, 5. salutat vos Eccle-

sia,

sia, quæ est in Babylone electa, & Marcus filius meus.

Egesippus de excidio Hierosolym. l. 3. c. 2. *Nero, dato, ut Petrus & Paulus comprehenderentur, præcepto, rogatur Petrus, ut aliò se conferret qui prima nocte, salutatis fratribus, & celebrata oratione proficisci solus cœpit, ubi ventum est ad portam, vidit sibi Christū occurrentem, & adorans eum, dixit*: Domine, quo vadis? *Dicit ei Christus.* Iterum venio crucifigi (Ambros. qui hæc eadem narrat l. 5. Epist. c. 32. ait *Venio Romam iterum crucifigi*) *Intellexit Petrus, de sua dictum passione &c. & conversus in urbem rediit.*

Irenæus lib. 3. c. 3. *Maxima, & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis,* Petro & Paulo *Romæ fundata est, & constituta Ecclesia.* Vide Dionysium Epist. ad Rom. Clementem Alex. libro Hypotyp. Tertullianum de præscript. c. 36. contra Gnosticos ad Scorp. c. 15. de Baptismo c. 4. contra Marc. l. 4. c. 5. Origenem lib. 3. in Gen. Cyprianum Ep. 52. & 55. libro de unit. Ecclesiæ &c. porrò Tertullianus in lib. contra Judæos docet & S. Joannem in Apocalypsi, per Babylonem Romam intelligere ut Petrus fecit. Verba sunt. *Sic & Babylon apud Ioannem nostrum Romanæ urbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ.*

S. Ignatius Martyr in inscriptione Epistolæ ad Rom. *Ignatius,* inquit, *Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in loco regionis Romanorum.*

Irenæus pergit loc. cit. lib. 3. c. 3. *Indicantes,* inquit, *eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum, pervenientem usque ad nos, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem, & pravam sententiam, secus quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.*

Tertullianus de præscript. cap. 32. *Si quæ audent inserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerun; possumus dicere: edant origenes Ecclesiarum suarum, sicut Ecclesia Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Et cap. 36. *Habes Romam, unde nobis* (Afris) *quoque autoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt. &c.* Idem jam Montanista hæreticus, sedis tamen Romanæ primatum agnoscit, libro *de pudicitia,* carpens quod Rom. Pontifex mœchos absolveret. cap. 1. *Audio,* inquit, *esse edictum propositum & quidem peremptorium.*

torium. Pontifex scilicet Max. *Episcopus Episcoporum dicit : Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.*

Eusebius Cæsariensis lib. 7. hist. Eccl. c. 24 *Cum,* inquit, *Paulus Samosatenus in Concilio Antiocheno de Episcopatu deiectus, ex Episcopi domo, quæ illius* Ecclesiæ *propria erat, exire nollet. Imperator Aurelianus rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decrevit. Præcepit enim ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christianæ Ecclesiæ & urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent.*

Cyprianus de unit. Eccl. *Ecclesia* inquit, *Domini, luce per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod* ubique diffunditur. pf. 18. *nec unitas corporis separatur : ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit : profluentes largiter rivos latius expandit. Vnum tamen caput est, & origo una, & una Mater fecunditatis successibus copiosa* &c. Idem ib. *Vt unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit.* Et Epist. 55. *Post ista adhuc insuper pseudo-episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent, atque ad* Petri *cathedram, & ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est* (vestra fides annuntiatur in universo orbe. Roman. 1. v. 8.) *ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et Epist. 85. *Nos singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent,* rationem credentes; *scimus, nos hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.* Et Epist. 67. ad Stephanum Papam. *Dirigantur in* Provinciam *& ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Martiano* (Episcopo hæretico) *alius in locum substituatur &c. Servandus est antecessorum nostrorum* BB. *Martyrum* (& Rom. Pontificum) *Cornelii & Lucij honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis, tu, frater charissime, honorificare, & servare, gravitate & autoritate tua debes; qui Vicarius & successor eorum factus es.*

Athanasius Apolog. 2. contra Arian. Sic habet. *Ariani victi à veritate, veniam scriptis literis à Iulio Romano Pontifice poposcerunt.* Et Epistola ad Marcum Pont. *Domino,* inquit, *sancto & Apostolici culminis venerando* Marco, *sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & universi Ægyptiorum Episcopi salutem* &c. Optamus, *ut à vestræ S. Sedis Ecclesiæ autoritate, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ea ad cor-*

ad corruptionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere, per præsentes legatos, mereamur &c.

Basilius ad Athanasium Epist. 52. *Visum,* inquit, *mihi est consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, detque consilium, & quoniam difficile est, ut communi ac Synodico decreto aliqui illuc mittantur, ipse sua autoritate in ista causa usus, viros eligat.*

Chrysostomus tom. 1. Epist. 1. ad Innocentium Pontif. Rom. *Igitur,* ait, *Domini maximè venerandi & pii, cum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc quæ in Ecclesias* (orientales) *irrumpit iniquitas.*

Ambrosius l. 2. de vocat gent. c. 6. *Credimus providentia Dei Rom. regni latitudinem preparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Christi, prius jure unius consociarentur impietatis. Quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multosque jam populorum sceptro Crucis illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per Apostolici Sacerdotii principatum NB. amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.* En quam nostris hæc ipsa temporibus conveniant!

Longum sit omnium testimoniis insistere, ut Hilarii, Hieronymi, Augustini, Leonis ac præcipuè primorum Romæ seculorum Pontificum ut *Anacleti* Epist. 3. *Melthiadis* ad Episcopos Hisp. *Dionysii* Papæ ad Severinum, aliorumque, qui disertissimè sibi universalis Ecclesiæ primatum vendicant, quibus tanquam Latinis (ne in favorem suæ Ecclesiæ adducti videantur) abstineo libentius, tum quod adducti testes prudenti æquò q. Judici possint sufficere. Quanquam pauca de Veteris Ecclesiæ universalibus Conciliis tangere juverit. Cùm Adversarii hunc Primatum illa ignorasse dictitent, quòd primæ Synodi ab Imperatoribus conscriptæ in Oriente adversus hæreticos fuerint.

IV. Quatuor Oecumeniorum Conciliorum orthodoxæ Ecclesię exemplo suffragioque, Romanæ sedis authoritas stabilitur.

De Concilio 1. Niceno, contra Arium celebrato, facilor esset probatio. Si omnes ad nos Canones, vel integrè, vel incorruptè devenissent. Certè Julius Papa ejusdem seculi scriptor alter, à Silvestro in Epistola de hujus Concilii Canonibus Can. 1. refert. *Non debent* præter *sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari*

Item can. 2. *Omnes Episcopi liberè Apostolicam appellent sedem &c. cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum eorumq; successorum atq; Canonum authoritas reservavit. &c.* Et can. 3. de causis Episcoporum, nil *definiri inconsulto Rom. Pontifice permissum est. Cum B. Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, quæcunq; ligaveris &c.* Hæc ex transmissis Romam Silvestro Canonibus Concilii Niceni Julius proposuit. Cum illos Ariani in Oriente dominantes, paucis exceptis, combusissent. Ut Athan. in Epist. ad Marcum Papam queritur.

Quorum Canonum sensum Concilium Chalcedonense disertius exponit Act. 16. his verbis *Trecentorum*, inquit, *decem & octo Sanctorum Patrum canon 6. quod Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Moxque eundem Canonem recitat.

Idem ex Synodo Alexandrina sub Athanasio collecta scribunt Episcopi Ægyptii &c. Epistola ad Felicem II. Pontific. , Vestræ Apostolicæ sedis imploramus auxilium, quia, ut credi-, mus, non despexit Deus preces cum lacrymis, sibi oblatas ser-, vorum suorum; Sed ob id *vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum illis curam habere præcepit*, ut nobis succurratis, , nosque tuentes, *quibus omne Episcoporum judicium est commissum*, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus, in Nicena magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus, concorditer esse roboratum, *non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnari*. Licet , hæc & alia quamplura necessaria ab hæreticis, qui nos quoti-, die infestant, sint Synodica Capitula incensa, nobisque subla-, ta &c. Similiter & à prædictis Patribus est definitum conso-, nanter, ut si quisquam Episcoporum aut Metropolitanorum, comprovinciales, vel judices suspectos habuerit, *vestram S. Romanam interpellet sedem*, cui ab ipso Dono potestas ligandi, & solvendi, speciali est privilegio *super alios*, concessa.

Confirmatur ex ipsis actis Imperatoris & aliorum in Synodo Nicena. Nam ob delatam Episcopis prærogativam noluit assidere, nisi in humiliori sede, quàm esset Episcoporum, ut colligitur ex Theodoreto l. 1. c. 7. hist. & Eusebio l. 3. de vita Constantini. Quin & ipse professus est, *se debere ab Episcopis judicari, neque adesse, ut præpositum, sed illis subjectum*, ut scribit Ruffinus l. 10. c. 2. Quod vero Præsides fuerint legati Pontificis Episcopus Osius, Vitus, & Vincentius Presbyteri ex ipsa etiam subscri-

subscriptione constat, in qua primus Osius. Idque affirmat Cedrenus in comp. hist. & Photius in lib. de 7. Synodis, qui dicunt *Silvestram* Papam, quo dirigente Concilium est celebratum, *per suos legatos autoritatem Synodo contulisse*: Ipse autem Imperator, ut Basilius Imp. in fine 8. Synodi memorat, post omnes Episcopos subscripsit.

Eadem sententia, tam est Romano Concilio paulò ante Constantino præsente celebrato; quàm Sardicensi, ubi eadem postea disertè confirmantur, manifesta est, ut infra de Concil §.6.& 7. videbimus.

Jam verò constat, quòd reipsa hanc etiam potestatem in Orientis Episcopos Romani Pontifices statim usurparint. nam & Athanasius ad Julium Rom. Pontificem, ipse confugit, & Chrysostomus à Theophilo Episcopo Alexandrino sede sua dejectus, Innocentii judicium opemq; imploravit, obtestans, ut re ex æquitate judicata, Theophili & Episcoporum acta rescinderet. Et sanè Julius Pontifex autoritate suprema S. Athanasium sedi Alexandrinæ, Paulum Episcopum Costantinopolitanæ, Marcellum Ancyræ primatem, Galatarum Ecclesiæ, Asclepium Episcopum Gazensi in palæstina, Lucium Adrianopolitanæ restituit, ut Socrates Eccl. hist. lib. 2. c. 5. & 11. lib. 4. c. 30. lib. 5. c. 8. &c. tum Sozomenus lib. 3. c. 7. & 9. lib. 6. c. 22. & alibi, testantur quòd, ut hic inquit, *ad Romanum Antistitem, propter sedis dignitatem, cura omnium spectaret*. Sed, ad veritatem invincibili autoritate duorum aut trium testium stabiliendam, audiamus quid Julius adversus Episcopos Antiochiæ contra Athanasium collectos, cum pars Rom. Sedis exspectaret sententiam, perscribat. Sic habet Socrates lib. 2. c. 15. Episcopis qui Antiochiæ convenerant per literas respondit. *Eos contra Ecclesia Canones egisse, quod illum ad Concilium non vocassent. Quippe cum Canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque Episcopi Rom. sententia Ecclesiis sanciantur* &c. Et Sozom. lib. 3. hist. Eccl. c. 9. Ad illos qui Antiochiæ in unum convenerant scripsit, atque adeò incusavit, quod clam contra fidem Concilii Niceni novas res moliti fuerant, quodque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant. Nam *legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Rom. constituuntur.*

Ita Ammianus lib. 15. refert Constantium Imperat. (Arianum) ardenter cupivisse, ut sententia adversus Athanasium judicio Liberii Rom. Pont. firmaretur: *propter autorita*

ritatem, qua potiores sunt æternæ urbis Episcopi. Porro Nicephorus l. 9. hist. Eccl. c. 8. ait quod Julius summa autoritate restituerit Orientis Episcopos, Arianis nequicquam obsequium detrectantibus. Ex quibus universis manifestissimum est, & in Nicena Synodo, & passim in oriente ætate illa Græcam Ecclesiam Romanæ sedis dignitatem supremam in Ecclesiasticis causis agnovisse.

In II. Synodo Generali quæ est Constantinopolitana 1. Imperator nõ adfuit, sed misit literas Damasi Romani Pontif. quibus ad Concilium vocabantur. Ut patet ex Epistola Concilii ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. c. 9. Pontif. tamen legatos non misit, sed Nectarium Episcopum Constantinopolit. isthic præsidere indulsit, cupiens omnes Romam deinde ad se suumque, quod ex occidentalibus Episcopis coegerat, pertrahere Cõcilium; sed cum denique graves causæ (quas Orientales exposuere Damaso) id non paterentur, animis tamen sententiisque cum Damaso communicarunt, & illi ad hunc tanquam caput suum, hic ad ipsos tanquam filios (ut literæ mutuæ habent) perscripsit. Ostendo idem clarius ex edicto Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodosii ad pop. Urbis Constantinop. ut est apud Sozom. lib. 7. c. 4. & extat in Codice de S. Trinit. & fide Cathol. his verbis. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis.* Suis itaque occidentalem Ecclesiam, ubi S. Petrus vita & principatu defunctus erat, præferunt.

In III. Synodo generali quæ est Ephesina 1. Imperator quoque non aderat, ut patet ex Epistola ipsius Thodosii Junioris ad Synodum, quæ habetur c. 32. ejus Concilii, ubi dicit se misisse Candidianum comitem ad Synodum, non ut misceret se quæstionibus, sed ad solam defensionem. Misit autem Pontifex Cælestinus Legatos suos qui præsiderent, ut habet Evang. lib. 1. cap. 4. Photius in lib. de 7. Synodis, Nicephorus lib. 14. cap. 3. Prosper in Chronico. In hoc autem Concilio Philippus, ex legatis Romanis, hæc verba memoria dignissima recitat. *Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, sanctum beatissimumque Petrum Apostolorum principem & caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à D. Iesu Christo Salv. nostro humanique generis redemptore regni claves acce*pisse,

cepisse, solvendique ac ligandi potestate, quam acceperat usum fuisse, nec non per successores suos hucusque semper vivere causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque ordinarius successor ac vicarius sanctus beatissimusque Papa, & Episcopus Cœlestinus, nos suos, pro se quasi vicarios, ad hanc sanctam synodum misit. Quin & ipsa Synodus ad Pontificem tanquam caput suum dedit literas. In quibus hæc leguntur in ceteris *Quia verò necessitas exigebat, ut omnia quæ in hac Synodo acciderunt, sanctitati tuæ declarentur &c. ut omnia quæ hic gesta sunt cognoscas, integros actorum commentarios misimus & Synodi subscriptiones.* Et ex eodem Concilio Cyrillus Alexand. his verbis ad eundem Cœlest. scribit, *Digneris quid sentias declarare: quò liquido nobis constet, communicaréne nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia, non modo piissimis Deo devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet.*

In IV. Synodo generali quæ est Chalcedonensis, Martianus quidem Imper. præsedit, sed eo modo quem ipse indicat Art. 6. ejusdem Concilii. *Nos ad fidem roborandam, non ad potentiam aliquam ostendendam, sive exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus.* A Leone autem Pontifice Rom. hoc Concilium coactum esse patet, ex insertis literis Martiani Imper. ad Leonem, in quibus petit, ut omnia quæ ad Concilium pertinent sua autoritate definiat. Imperator itaque aderat, ut & Act. 1. patet, non ut Judex, sed ut securitatem præstaret; cùm non multò ante in Concilio Ephesino II. introducti à Dioscoro Episcopo milites ad subscribendum Episcopis vim intentassent. Quare Legati Leonis Papæ inter Episcopos primi sedent, nominantur in omnibus actionibus, & loquuntur primi, subscribunt primi, sententiamque definitivam contra Dioscorum proferunt nomine Papæ & totius Concilii. Actione I. Hæc leguntur. Paschasinus Vicarius sedis Apostolicæ dixit, *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ Urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus:* ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus, non sedeat in Concilio, sed audiēdus intromittatur. *Hæc nos observare necesse est* &c. Lucentius collega ipsius dixit: Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & *Synodum est ausus facere,*

sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, NB. *nunquã factum est*. In Act. 3. Rom. Pontif. legati primo subscribunt. In Act. 16. relatio gestorum ad Leonem Pontif. continetur. In can. 28. Constantinopolitana sedes iterum altera post Romanam declaratur. Quamquam Romani hoc ipsi non indulserint.

Jam ego postremùm interrogo Protestantes, qui harum 4. Synodorum autoritatem sibi sacram esse sanctamque jurant, an brevis hæc demonstratiuncula non sufficiat ad vanitatem eorum convincendam, qui monarchicum Romanæ sedis regimen nullum in Ecclesia orthodoxa agnoscunt. Aut hisce Conciliis totiq; Veteri Ecclesiæ, aut errori concepto obnuntiandum est. *Sed de his Conciliis in fine plura.* Postremò concludam duorum adhuc Græcorum Patrum testimoniis, eandem veritatem ex S. scriptura adstruentibus, ne tantùm historica fide hic videar obniti.

Patres ex S. Scriptura suffragantur;

MAximinianus Constantinopol. Episcopus, qui primatum in Oriente sibi vendicabat, Romanam tamen sedem superiorem veretur. Sic in *Epistola ad Orientales* scribit. *Omnes fines terræ, quæ Dominum syncerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Rom. Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit*: Tu es Christus filius Dei vivi &c. *Cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire*: Beatus es, *inquit*, Simon Bariona &c. *Hunc enim de ceteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit.*

Theodoretus Epistola ad Leonem Pont. *Si Paulus*, ait, *prædicator veritatis & Spiritus S. buccina* ad Petrum accurrit, ut iis qui Antiochiæ de vivendo secundum legem Mosis disceptabant, quæstionem expeditam & solutam ferret, *Act. 15. multò magis nos qui pusilli sumus ad solium Apostolicum accurremus, ut à vobis medicinam ulceribus nostris feramus, siquidem vobis convenit in omnibus rebus NB. primas tenere. Vestra enim sedes multis prærogativis ornata est* &c. *Fides verò præcipuè eam ornat. Testis est Paulus, qui clarissima voce ait*: Fides vestra annunciatur in universo mundo *Rom. 1. Ego verò suffragium sedis Apostolicæ exspecto, & sup-*

& supplex oro atque obsecro Sanctitatem vestram, ut ea me, tribunal vestrum, justum ac rectum appellantem, defendat.

Obsignet eadem Augustinus ex S. literis in Psal. 44. sub finem. *Genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi Patres* &c. *Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit.* Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii *Psal.* 44. *Quid est pro Patribus nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli pro Apostolis*, filii nati sunt tibi, *constituti sunt Episcopi &c. Non igitur putes te desertam* (o Ecclesia) *quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit Paternitas*, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. *Hæc est Catholica Ecclesia. Filii ejus constituti sunt pro Patribus, veniant ad unitatem, adducantur in templum Regis. Amen.*

§. IV. Ipsi Protestantes antiquam supremamque Romanæ Ecclesiæ dignitatem, reluctante licet calamo profitentur.

MAgdeburgenses Centuriatores quamvis omnem adversus Rom. primatum lapidem moveant, & certissima etiam quæq; per futiles conjecturas in dubium conentur abstrahere, tamen ne antiquitatem, historiamq; omnem convellant, fateri in tã diversis articulis. Patrum sensum coguntur, ut hic admissus, apud æquos æstimatores veritatis, omnẽ dubitandi ansam adimat. Petrum Romæ fuisse dicũt *en.* 1. l. 2. c. 10. quod *Irenæus* l. 2. c. 1. & 3. clarè affirmet, *Eusebius* quoq; ex Dionysio Corinthi aliis l. 2. c. 25. adstruat. *Origenes* verò Tom. 3. in Gen. & *Egesippus* l. 3. c. 2. de excid. Judaico etiam de passione ejusq; causa & modo exponunt, adstipulante D. *Ambrosio* l. 5. Epist.

Iidem de Ecclesiæ Romanæ primatu *Cent.* 2. *c.* 4. licet adversus veritatem supra à nobis exhibitam negent, Romanam sedem Ecclesiis orientalibus prælatam, tamen fatentur, quod Ignatius in Epist. ad Rom. illam vocem *eminentia dignam*, & Irenæus l. 3. c. 3. asserat, *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse esse omnem convenire Ecclesiam.* Quod verò & hanc præminentiam potestatis usurpaverit, *c.* 6. §. *de festis Christ.* memorant Centuriatores. In Romana, *ajunt*, Ecclesia Pascha, quemadmodum Irenæus testatur, die dominico post 14. Lunam (quam Judæi observabant) celebrarunt, idque

Pium

Pium Pontificem instituisse, ex Hermetis visione quidam prodiderunt; sed cum fortassis decretum illud ab omnibus Ecclesiis pariter non servaretur; *Victor* secutus, non sine magnis motibus & dissidiis idem repetiit: & Asiaticas Ecclesias, sicut prolixè *Eusebius* recitat, nolentes eam consuetudinem suscipere, simul omnes excommunicavit: *En confessam ab illis Rom. sedis eminentiæ usurpationem.* Cap. 7. §. *de primatu* sic habent. Anacletus, quæ ei inscribuntur, in generali Ecclesiarum regimine, ita Ecclesias inter se conjungit, ut Ecclesiæ Rom. primatum & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, autoritate Christi dicentis ad Petrum. *Tu es Petrus & super hanc Petram &c.* vendicet, secundam vero Alexandrinam facit propter Marcum discipulum Petri. Tertiam autem Antiochiam ponit propterea, quod ibi Petrus, antequam Romam veniret, habitarit. Deinde gradus Episcoporum hoc modo facit. Romanus Episcopus pro summo Ecclesiæ capite primo loco collocatur, quem ab aliis etiam errantem non vult judicari sed tolerari (*Si inquit, à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro re probis moribus magis est tolerandus* Ep. 3. Secundum locum Patriarchæ, seu Primates sortiuntur, tertium Metropolitani, quartum Archiepiscopi, & deinceps Episcopi &c. Quæ licet suspecta Centuriatoribus sint (ut sunt omnia quæ Rom. favent Pontifici) tamen frivola hæc est, & sine justa causa suspicio. Ut Athanasius Alexandrinæ sedis Episcopus, cum sedi Romanæ se submittit, Constantinopolitanus Patriarcha cùm proximum à Rom. sede locum prensat, tum Leo in Epist. 84. ad Anastasium, Gregor. l. 6. Ep. 37. ad Eulog. Alexand. aliaque, quæ infra de Conciliis videbimus argumenta, abunde testantur.

Cent. 3. cap. 4. §. de Eccles. *Tertullianus*, lib. de pudicit, non sine errore sentire videtur, *claves soli Petro commissas, & Ecclesiam super ipsum extructam esse.* Et *Cyprianus idem* passim docet lib. 1. Ep. 3. & 8. lib. 4. Ep. 9. Et Tract. 2. de habitu Virg. & Epist. ad Quirinum. Ita & Cyprianus lib. 3. Ep. 11. *Maximus Vrbanus & Salonius sentiunt, unum Episcopum in Cathol. Eccl. esse debere.* Et alibi lib. 4 Ep. 8. *Romanam Ecclesiam ab omnibus aliis pro matrice habendam,* & lib. 1. Epist. 3. ac Tract. de simpl. præl. *Ecclesiam principalem vocat Petri cathedram.* Sic lib. 1. Ep. 6. *pastoratum ad ordinariam successionem alligat* Et lib. 4. Ep. 9 *negat, Episcopos & Propositos Ecclesiæ judicãdos.* Origeni porrò hanc doctrinam tribuunt, quod dicat Tract. 5. in Mat. *Petrus per promissionẽ*

meruit

meruit fieri Ecclesiæ fundamentum. & quod appellet hom 17. in Luc. *Petrum Apostolorum Principem.*

Ex tertio seculo unum tantum ex Magdeburg *Cent.* 4 cap. 7. de primatu apponam. *Optatus Milevitanus* ajunt, dicit lib 2. *Petro in urbe Romæ primo cathedram Episcopalem esse collatum, in qua sederit omnium Apostolorum caput. Vnde & Cephas appellatus sit, in quo una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus, & peccator esset. qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret* Et *postea enumerat successores Petri usque ad Syricium.*

Hæc illi, sed quod subjiciunt, hæc ab illo, non de superiori potestate, sed legitima ordinatione dicta, deliramenta sunt, & responsiones glacie frigidiores, quibus nequicquam ceterorum quoque Patrum dictis ridiculi interpretes illudere conantur.

Mirum est, quàm infelices illi scriptores, ex concepto erga Rom. sedem odio, huic veritati turpissimis subterfugiis adversentur, quando per Centurias singulas peculiari sub finem capite, contra Primatum hunc desceptant. Nam, ut multa dissimulant, ita cum tangunt compettissima quæque, desperata plerumque responsione, causæ magis produnt imbecillitatem, quos Franciscus. Turrianus noster pro vendicandis decretis Epistolisque Rom. Pontificum, singulari opere falsitatis ignorantiæque frequentis convicit. Pauca tantum, quæ primum ab Apostolis seculum spectant, quando post Clementem (cujus scripta quædam corrupta, vel certè de fide suspecta sunt) Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixt⁹, Telesphorus, Hyginus, Pius Anicetus, Soter, Victor scripserunt, ex *Cent.* 2. cap. 7. exponemus.

Objiciunt primò simplex impolitumq; scribendi genus, hoc seculo, cùm Romana & græca floreret lingua, quo pateat, quod hæc ab illis scripta profecta non sint. At ego ab hac simplicitate, quæ, more Apostolico, rem non verba ponderat, maximè censeo istis hæc scriptoribus tribuenda: quæ si Plinianum quendam cultum præ se ferrent, magis forent suspecta Magna inter forum & chorum jam olim differentia. Unde ipsi Centuriatores sui hic immemores sunt, quando Dionysium Areopagitam Cent. 1. lib 2. c. 10. Ob minus simplicem stylum rejiciunt his verbis: *Vnum* enimverò, ut dubium minimè ac fallax judicium, de libris apocryphis Ecclesia perpetuò pronuntiavit. Quod stylus eorum, & dicendi forma ab elocutione Apostolica procul *absit.* Ita ambidextri illi censores norunt illa quæ ad

gustum non sunt, explodere omnia. *Deinde* arguunt quædam malè hærentia, ex scripturis ineptè citata, perplexa & pugnantia; quin & formulas loquendi diversorum Pontif. similes; ut ab uno potius nata, quàm diversis videantur. *Quas* objectiones dum compono, mutuò se destruere animadverto.

Nam, ut ex similitudine formularum ejusdem autoris esse arguunt, ita ex rebus malè hærentibus pugnantibusque ego colligam esse diversorum. Sed illa formularum par ratio, hodiedum in Ecclesia, quin & in politicis usitata, puerile argumentum est, quod uni hæc scripta autori tribuenda sint. Quod in Clementis Epistolis quædam malè cohæreant, & suspecta sint, neque nos inficiamur, ideoque & ipsius autoritate non nisi circumspectè utimur. Anacletus cum in 1. Epist. cepham exponit petram, & in 3. Epist. caput, non *insulsissimè*, sed apposítè loquitur, cum idem Petrus & fundamentum, & caput Ecclesiæ jure dicatur, scita quoque ad græcum κεφαλὴ allusione. Si Scripturæ S. citationes ex vulgata versione sumptæ, ab Hieronymiana emendatione aliquando dissentiant, parum ad hanc causam momenti addit. *Tertiò* à veritate historica, temporibus, & fidei analogia tradi prorsus aliena dictitant, cumque ad hujus rei probationem in plurimis hodiernam Rom. Ecclesiæ doctrinam producunt, semetipsos evertunt, nostramque causam validissimè confirmant, non tangam omnia, sed quæ præsentis maximè controversiæ sunt.

De primatu, inquiunt Rom. *Ecclesiæ Anacletus* Epist. 3. ait, "*non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore primatum obti-* "*nuisse, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias ac totum* "*Christiani populi gregem assecutam esse, & Apostolos jussione Sal-* "*vatoris statuisse, in majoribus quæstionibus ad Rom. sedem appel-* "*landam esse* Epist. 1. 2. 3. Idem postea alii repetunt & stabiliunt, "ut *Evaristus* 1. *Alexand.* 1 *Pius* 1. & 2. *Anicetus & Victor*. Ra- "tiones autem frigidissimæ proferuntur, quas adscribimus, ut "ineptiæ conspiciantur I. Quia Petro dixit Christus: Tu es "Petrus & super hanc petram, *id est Rom. sedem*, ædificabo Ec- "clesiam meam. II. Quia Petrus & Paulus mortui sunt Ro- "mæ. III Quia Paulus Rom. 1. ait, *se sine intermissione memo-* "*riam Rom. Ecclesiæ in orationibus suis facere* (adde, *quorum fides* "*prædicetur in universo orbe*) IV. Quia Petro à Domino est "concessum, & ipsi Apostoli voluerunt, ut reliquis omnibus "præesset Apostolis, & Cephas (seu petra, & fundamentum, ut "Anacl. Epist. 1.) id est, caput & principium teneret Apostolatus.

tus. V. Quia Apostoli statuerunt inter se, ut Episcopi singula- " rum gentium scirent, quia inter eos primus esset. VI. Quia in " Vet. Testamento Moses & Aaron primi erant. Ergo si ortæ " fuerint difficiliores causæ, ad sanctæ sedis apicē, quasi ad ca- " put refertur, ut Apostolico terminetur judicio. *Victor* 1. Epist. " sic ratiocinatur, Petro dictum est: *quidquid ligaveris, &c.* Er- " go appellandum est ad sedem Romanam. *Audi nunc Conclu* " *sionem Centuriatorum.* Hæc autem fundamenta & insignia " Mysterii iniquitatis esse à Paulo 1. Tim 4. 2. Tim. 3. &c. præ- " dictum est. Ita Magdeburgenses *Dolebimusne, an ridebimus ho* " *minum istorum insaniam,* qui egregiè se primæ Ecclesiæ scrip- " tores confutare existimant, quando hodiernā Ecclesiæ Rom. " doctrinam, jam tum deprehendisse se in iis ostendunt?

Ita porrò in aliis fidei articulis progrediuntur. Et ab *Ana* " *cleto,* ajunt, Ep. 2. doctrina de pœnitentia vitiatur, immisce- " tur enim propria satisfactio. Alexander Ep. 1. peccata sacri- " ficiis deleri docet, Item Sacerdotes precibus & oblationibus " delere & consumere peccata Ep. 2. affirmat, quæ blasphema & contumeliosa sunt, &c. Ita nimirum censent Magdebur gici, quod satis sit in his paucis auscultasse. Porrò quod nec Eusebius, nec Hieronymus scriptarum Epistolarum, præter- quam Clementis & Victoris meminerint, argumentum est, ex sola negatione nihil præter conjecturam adferens. Si nulli scriptori nisi ab aliis scriptoribus laudato fides habenda esset, multi libri jacerent. Damasus, (aut verius, Anastasius) siquid eadem præteritione, in catalogo eorum Pontificum deliquit, intelligendus est, non dedisse nisi catalogum, quo successionis in sede Rom. institutum probaret.

Audiamus & *Baleum* lib. 2. de Actis Rom. Pontif. in Gregorio Magno sic loquentem. In prima ait classe, scilicet usque ad annum 320. Romani Pontifices, sub Episcoporum nomine, per incorruptum verbi ministerium, & fidei constantiam stellæ in Christi dextra manentes fuerunt.

Ita *Hieron. Zanchius* in præfat. lib. de natura Dei. Quanta, inquit, fuerit lux Ecclesiæ Romanæ jam inde ab Apostolis quorum opera ædificata fuit, usque ad tempora Gregorii primi nemo est, qui nesciat.

Casaubonus Exerc. 15. §. 15. pag. 312. Nemo, ait, peritus rerum Ecclesiæ ignorat operâ Rom. Pontificum, per multa secula Deum esse usum, in conservanda sarta tecta recta fidei doctrina.

Calvinus quoque in Epist. ad Sadoletum Cardinalem, omnes, ait, suos conatus eo tempore, ut restituat illam Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græcos tempore Chrysostomi & Basilii, & apud latinos tempore Cypriani, Ambrosii. Augustini, ita ut scripta eorum testantur. *Agedum hoc fiat, & erit concordia.* Imò in dubio, fueritne eo tempore monarchicum, an presbyteriale Ecclesiæ regimen, pro illo, ut digniore erit concludendum. Si tamen vel unius Carthaginiensis Ecclesiæ, & Augustini sententiæ (ut reliquos prætercam) acquiescere decretum sit, nullum hac in re dubium relinquitur. *Erat*, inquit, Epist 152. ad Gloriam, &c. *fama celeberrima nobilis* (Carthago) *unde non mediocris utique, authoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romana Ecclesia, in qua semper NB. Apostolica Cathedra viguit principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, esse conjunctum, ubi paratus esset causam dicere si adversarii ejus ab eo Ecclesias alienare conarentur.* Quamdiu eundem Protestantes in Ecclesia principatum revereri non fuerint, pax religionis constare non poterit. Rectè paucis D. Hieronymus adversus Lucifer. c. 5. ait. *Ecclesia salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur Shismata, quot sacerdotes.*

ARTICULUS XXXI.

CRedimus *a* nulli fas esse suapte autoritate invadere Ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione, quoad ejus fieri potest, &, quamdiu Dominus ejus rei potestatem facit, præeunte, adsciscí unumquemque oportere Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut *nostris etiam temporibus*, interrupto Ecclesiæ statu, *necesse fuit, nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Ecclesia collapsa ruinas instaurarent.* Utcunque sit tamen, credimus semper sequendam esse hanc normam, *b* ut omnes Pastores, Seniores, & Diaconi suæ vocationis testimonium habeant.

a *Matth.* 28. *v.* 10. 18. *Mar.* 16. *v.* 15. *Ioh.* 15 *v.* 16. *Act.* 1. *v.* 21. *Rom.* 10. *v.* 15. *Tit.* 1. *v.* 5. b *Gal.* 1. *v.* 15. & 1. *Tim.* 3. *v.* 7. &c.

ARTICULUS XXXII.

CRedimus *c* expedire, ut qui electi sunt Ecclesiæ alicujus præfecti, inter se dispiciant, qua ratione totum corpus commo-

c *Act.* 6. *v.* 3. & 14. *v.* 22. & 15. *v.* 28.

commodè regi possit. Ita tamen, *d* ut ab eo quod Dominus noster Jesus Christus instituit nusquam deflectant, hoc autem non impedit, quo minus quædam singulis locis peculiaria sint instituta, prout commodum visum fuerit.

d 1.*Cor*.14.*v*.40.*&* 1.*Pet*.5.*v*.2.*&c*.

Observatio.

IN his articulis nihil non orthodoxum proponitur, si excipias, quod in primo articulo de collapsæ nostris temporibus Ecclesiæ ruinis, per homines extra ordinem vocatos instaurandæ proponitur. Quod Christi promissis, de suæ Ecclesiæ nunquam collapsuræ æternitate, adversatur, ut jam supra probatum vidimus.

ARTICULUS XXXIII.

EXcludimus *e* autem humana omnia commenta, *& leges omnes, quæ cultus Dei prætextu, adstringendis conscientiis, invehuntur*: & eas tantùm admittimus, quæ fovendæ concordiæ, & unicuique in obedientia debita retinendo subserviunt. *f* Qua in re sequendum nobis putamus, quod Dominus noster Jesus Christus de excommunicatione statuit, quam quidem approbamus, & una cum suis appendicibus necessariam esse arbitramur.

e *Rom*.16.*v*.17. f *Matth*.18.*v*.17.

§. I. Reformatio ex S. literis.

CRedimus omninò *cavendum, ne quis nos decipiat, per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* g *& observandos eos, qui dissensiones & offendicula faciunt præter doctrinam, quam dicimus.* h *ne transgrediamur mandatum Dei propter traditionem nostram.* i Attamen, *tenenda esse, quæ Apostoli tradiderunt, sive per sermonem, sive per Epistolam* l *& custodienda esse præcepta Seniorum.* m *Posuit enim Deus Apostolos Pastores & Doctores ad ædificationem corporis ejus, quod est Ecclesia* n *& qui hos audit Deum audit, qui spernit Deum spernit.* o *Necessitate itaque his subditi*

g *Colos*.2.*v*.8. h *Rom*.16.*v*.17. i *Matt*.15.*v*.3. l 2.*Thess*. 2. m *Act*.15.*v*.41.*&* 16.*v*.4. n *Eph*.4. o *Luc*.10.

subditi sumus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. p Ita ut *si quis Ecclesiam audierit, sit sicut Ethnicus & publicanus.* q

p *Rom* 13. q *Matth.* 18.

§. II. Observatio.

HÆc jam art 30. in illius Reformatione, & observatione satis erant declarata, ostensumque illa de legibus seu mandatis hominum repudiandis, non posse nisi de his quæ Dei verbo adversantur, intelligi, quod alioquin præter Deuteronomium, nihil ex scripturis S. nullumque dogma, aut mandatum, sive Moysis, sive Christi Judæi debuissent admittere: quin addo, quod nec Christiani quicquam præter Apocalypsin Joannis acceptare tenerentur, cum adhæc Moysis & Johannes *nihil* aliud *velint addi.* Deut 8. & 12. Apoc. 22. Uti igitur dicendum, quod hi nihil repugnans præceptis, aut doctrinis suis adjici voluerint, ita & de ceteris scripturis S est sentiendum: cum eodem sensu dicat Paulus *anathema illis, qui aliud, quàm ipsi evangelizent.* Gal 1. v. 8 non damnatis scriptis, aut sermonibus ceterorum, qui non essent Apostoli. Qua veritate utrimque, ut par est, recepta, jam superesse nobis, neque ratio, neque excusatio ulla potest, Ecclesiæ ejusque Pastorum jussa detrectandi, præcepta, traditiones, ritusque decretos respuendi, quod S. literis non adversentur. Cum his solum pugnantia vetemur admittere, & Pharisæi culpentur, quod *irritum fecerint mandatum Dei, propter traditionem suam* Matth. 18. non propter traditionem *Ecclesiæ* à cujus sese legibus separabant. Idem ergo Christus, qui mandata hominum prohibet, Ecclesiæ à spiritu veritatis directæ non minus, quam à se profecta jubet observari, ut dubitari nequeat, ex conscientia omnes ad illorum observationem teneri. Et siquidem anceps fuerit: hominumne, an Ecclesiæ legem audias? conforme, an repugnans sit legi divinæ, quod præcipitur? hujus litis decisio à judicio procerum Ecclesiæ potius, quàm privatis ejusdem personis; à capite, non à genibus erit exspectanda. quæ principio hujus Tract. de Traditionibus, & autoritate Ecclesiæ, in rebus controversis abundè probata sunt, testimoniisq; veteris Ecclesiæ stabilita. Nunc, ut omnes intelligant plerasque hodiedum usitatas orthodoxæ Ecclesiæ apud Romanos leges ceremoniales perpetua ad nos traditione ab Apostolicis etiam tem-

temporibus propagatas, de hac re Protestantes ipsosmet testes paucis audiemus.

§. III. De ritibus veteris Apostolicæ Ecclesiæ Protestantium sententia expenditur.

Circa ritus ceremoniasque Ecclesiasticas duo quædam observanda sunt, ne secus quam par est de eorum origine judicemus. ob paucitatem scriptorum primi seculi, neminem prudenter judicare posse: iccirco in Ecclesia ritum aliquem usurpatum non fuisse, quia ab illis literis consignatus non fuit. Nam, ut de ceteris Apostolis taceam, quæ Paulus ordinavit Corinthiis, ut omnia *decenter & honestè fierent* 1. Cor. 11. & 14. nemo primorum Patrum, ex professo, omnia ~~se literis~~ complexum esse, testatus est. 2. Cum aliquid per certos Pontifices constitutum esse in Ecclesia legimus; ut, quod Silvester Pontifex Chrisma in Baptismate adhibendum, Stephanus non rebaptizandos hæreticos, alii alia statuerint; non propterea cēsendum est, ante hæc decreta ritum illum moremque in Ecclesia non viguisse; sed fuisse tum repertos, qui per imperitiā, vel incuriam negligerent, aut etiam sese eidem objicerent. Uti superiori ætate nostra quædam in Tridentino Concilio legimus, tum primùm constituta: non quod illorum usus in Ecclesia antè receptus non esset; sed quia vel à quibusdam neglectus, vel etiam tum primum est oppugnatus His observatis, patet illorum argumentorum vanitas, quibus Adversarii novitatem in Ecclesiam à Romanis sæpè hinc introductā arguunt; quod vel primi seculi scriptores eorum non meminerint rituū, usuumq; : vel Consilia & Pontifices suis hos decretis invexerint.

His præmissis, & aliud quoddam non levis momenti de rebus Ecclesiasticis, quoad ritus præcipuè notandum est. Quod Christus & Apostoli quandam Ecclesiæ potestatem reliquerint, pro rerum temporumque indigentia, de his, quæ *honestè decenterq;* fierent constituendi, dummodo ipsa sacrarum rerum substantia intacta relinquatur. Ita & Centuriatores Cent. 1. lib 2. c. 4. de cerem, fatentur, causæ, ajunt, Eccl. rituum sunt. 1. Generale Dei mandatum, ut decenter & ordine fiant omnia 1. Cor. 14. 2. quia Apostoli ritus quosdam ad ædificationem utiles ordinarunt 1. Cor. 11. 1. Tim. 2. & 2. Thess. 2. 3. quia Ecclesia habent jus in specie rituum circumstantias, quæ ne jure præceptæ, neque prohibitæ à Deo sunt, instituendi. 4. quia Doctores ministri Ecclesiæ, mandante & probante Ecclesia, ritus ad ædificationem ne-

cessarios possunt, cùm opus est, instituere. 1. Thess. 14. 12. Colos. 2. v. 16. Hæc illi. Et rectè. Sine hac enim potestate Ecclesiam *regere Episcopi*, in tanta temporum morumque diversitate, vix potuissent. Quàm diversa olim Ecclesiæ in ista paucitate facies, quando plerique Christianorum eo adducti sunt, ut omnia omnibus essent communia: quæ sparsis deinde orbe toto Christianis, nisi inter paucos, ad hanc perfectionem conjuratos, observari non potuere. Ita, dum intergentes Judæosque Christiani olim viverent, ne idolothyris cum scandalo pusillorum vescerentur, jubentur in concilio Hierosolymitano *abstinere à sanguine & suffocato*. Act. 15. qua lege, sublato offensionis periculo, ab Ecclesia rursum exempti sunt. Utar denique Centuriatorum exemplo, qui sic habent *Cent. 1. l. 2. c. 6. §. de cœna.*

"Corinthios non jejunos, sed post alios cibos cœnam Dominicam sumpsisse (*uti & Apostoli in ultima cœna fecerant.*) Neq; "id improbare Paulum 1. Cor. 11. *Siquis esurit, domi edat, ne ad "condemnationem veniatis.* Hæc illi Quæ cum ipsi Adversarii nobiscum suis in Ecclesiis hodiedum non observent, licet S. literis comprehensa sint; sed contrariam his, vel legibus, vel ritibus consuetudinem sequantur: Qua fronte audent damnare alia ad *honestum decentemq;* cultum, aut usum Sacramentorum in Ecclesia Romana instituta, quibus nec apex quidem in S. scriptura adversatur? Ubi ista licuére: an hæc non liceant?

Centuriatores ib. § *de ritu Orat.* Nocturnarum, *ajunt*, pre"cum exempla sunt Act. 12. 16. Meminerunt etiam hora"rum. *Nam Ioannes & Petrus ascenderunt in templum ad ho"ram precationis nonam* Act. 3. Sic Cornel. ad nonam, & Pe"trus ad 6. oravit Act. 10. *Ubi illa hodie apud Protestantes hora?* "In Cent. 2. c. 4. *de rebus Adiaphoris* fatentur Ignatium ad "Philadel. sic scribere. *Dico Episcopis & Presbyteris in Do"mino: quicunque cum Iudæis Pascha egerit, compartcipabit cis qui "Dominum & Apostolos occiderunt. Item nolite dies festos inhono"rare, quadragesimam pro nihilo habere, &c. quarta & sexta feria "jejunare.* Ex Ignatio. *Sed* debeant ex æquali ejus Dionysio (quem S. Greg. Mag. hom. 34. in Evang. aliique commendant) adducere quoque, ille de ritibus Veteris Ecclesiæ in hierarchia sua memorat. ut in cap. 1. de ceremoniis baptismi, in 3. de ritibus missæ & Synaxis, in 4. de consecratione Chrismatis, in 5. de S. ordinibus, in 6. de sepultura, &c. Verùm, ut disertissimas passim veterum sententias prætereunt; ita

Diony-

Dionysium nimis apertè sibi contradicentem, aversantur. Sed de Baptismo eundem paulò post audiemus. Nunc quæ ex Clemente Romano adferant audiamus. Confirmationis *ajunt*, meminit Epist. 4. *Cum regeneratus*, ait, *per aquam fuerit, & postmodum, septiformis Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit.*

Hyginus verò, qui eodem tempore vixit, quo Justinus, illa scripsit, & statuit: *quod in baptismo & confirmatione, unus & idē, si necessitas urgeat, fieri possit patrinus: licet Romana consuetudo habeat, ut per singulos* (hosce actus) *singuli suscipiant, &c.* Quæ si vera sunt, quid certius est, (*audi conclusionem Magdeburgensium*) quàm jam tum mysteriū iniquitatis in Romana Ecclesia egisse?

Ib. §. *De ritu circa cœnam*, ajunt. Quod in Epistolis Ignatii, ut hodie Latinè extant, utrumque legitur: *sacrificium immolare, & missas facere*, partim est suspectum, partim non rectè è Græco versum. (*ita censores illi judicant, non probant*) *Et infra* Epistolæ, quæ falsò Rom. Episcopis adscribuntur, plures ritus recensent. Qui his nugis delectatur, audiat Anacletum Epist. 1. in tom. 1. Concil. *Episcopus sacrificans testes secum habeat, & plures quàm alius Sacerdos. In solenniortbus quippe diebus, aut septem, aut quinq, aut tres Diaconos, & subdiaconos, &c.* Sic enim Apostoli statuerunt, & S. Romana tenet Ecclesia. Credat Alexand precationiqus Sacerdotum, quando Missæ celebrantur, admiscuisse passionem Domini, ut est in 1. Epist. Decret. Alexandri. Audiat & Pium Pontif. Justino coætaneum constituisse, *ut gutta, qua in terram fortè cecidisset, lingua relamberetur: tabula verò in quā cecidisset, raderetur.* Approbet Soteris constitutionem, quâ sanxit, ut *nullus post cibum potumve, sive quodlibet minimum sumptum, missas faceret, nullusq; absq; patentis molestia obventu, minister vel Sacerdos imperfecta officia relinqueret, &c.* Credat Sixtum constituisse, ut Sacerdote Missæ actionē (*seu canonem*) incipiente populum hymnū decantaret: *Sanctus, sanctus, sanctus Deus Zebaoth.*

Concludunt. Ex his igitur, si vera sunt, (*& quid ni sint?*) vides, bone Lector, iniquitatis mysterium, ad simplicem Eucharistiæ ritum & statum, multas ceremonias cumulasse.

§. *De publicis congr.* cumulasse tradunt dominicum diem observatum festivo cultu fuisse, ex Justino: Antelucanis etiam horis convenire solitos ad psalmodiam, *ex Plinio* ad Trajan. Imp. Et §. *de ritu orandi.* Historia, *inquiunt*, de legione Christiana in expeditione M. Antonini, quæ exercitui in ardentissima siti, pluviā precibus à Deo impetravit (*teste Tertulliano*) indicat orantes ge-

nibus incurvatis provolvisse se in terram. Eumque orandi, seu statum, seu ritum communissimum fuisse omnibus seculis apparet. Clemens etiam significat *lib. ult.* Stromatum: *Orantes solitos se abiicere in terram.* Simul, *inquit*, caput & manus in cœlum extendimus.

§. *De Ordinatione* hæc habent. Certo ordine & ritibus præfici , solitos Ecclesiis Doctores & Gubernatores, vel historia de Jo-,hanne Apostolo testatur, quem narrat l. 3. c. 23. Eusebius rever-, sum ab exilio rogatum esse à fratribus, ut vicinas perlustraret , provincias, ibiq; Ecclesias constitueret, constitutas verò Epis-, copis & ministris instruet. De ordinationibus porrò Rom. , Pontificum in libris Decret. ac præcipuè Epistolis ipsorũ mul-, ta narrantur: adeò, ut semper in Decembri dicatur, de certi nu-, meri Ordinationibus in eo celebratis, & non in alio mense, ac , mentio fit graduum & dignitatum, quas in aliis historiis hujus , ætatis nondũ legas, ut Metropolitani, Episcopi provincialis, , Patriarchæ, Primatis, Suffraganei & c. Sed hæ & similes de Rom , Episcopis narrationes omni fide carent. *Ita illi.* Sed Franciscus Turrianus adversus tam iniquam censuram horum fidem abũdè tutatur. Et verò præcipuum illud quo se fulciunt argumentum, quod alii historici istorum graduum non meminerint, planè frivolum, & homine sapiente, primorumque seculorum non ignaro prorsus indignum est. Quis enim exspectet in tanta scriptorum & librorum eius seculi inter orthodoxos raritate, ut rituum, & minutissimarum quarumque rerum ad Ecclesiam & religionem pertinentium meminerint; & , nisi id factum deprehenderit, censeat has ab immemorabili retro Ecclesiæ usu proscribendas? aut, si intelligat deinde quippiam , vel per Pontifices, vel concilia decretum, id ante fuisse in Ecclesia incognitum asserat; cùm hæc statuta ad firmandum usum, conformandosque universè Christianos, numero indies auctiores, spectarent. Conjecturæ profectò tam futiles receptissimam Ecclesiæ consuetudinem labefactare nunquam poterunt, neq; historiis tot seculis olim probatis lucem veritatemque eripere. Ceterùm, quando nullos Veterum , his Pontificum decretis, hanc ordinum Ecclesiasticorum varietatem agnoscentes, memorant suffragari, oblivisci videntur, quod Cent. 1. lib 2. c. 10. Dionysii Areopagitæ scripta, Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, ac Monachorum meminerint, & horum ordinem, ut sublimiorem & excellentiorem reliquis commendent. Quo ex capite suspectus immeritò Centuriatoribus redditur. Cum præ-

Præposterè illa ipsa, quæ ad Dionysii, & aliorum Pontificum historias infirmandas, non tantùm propter consensum sed probatum Ecclesiæ consentientemque usum, valere debebant; hæc, præter rationem omnem, ad istarum vim autoritemque infringendam converterint.

Ib. §. *de festis Christ.* tradunt, quod non subitò omnes Judaici ,ritus abrogati sint; eò quod ex Augustino ferant *,oportuisse Sy- ,nagogam cum honore sepeliri*, ideoq; cultum paschatis à Pio & ,Victore Pontif. (ut *Irenæus* & *Eusebius* testetur) indictum esse ,in lunam decimam quartam, testantibusque Asiaticis anathe- ,ma dictum. Cui non obstat, quod *Socrates* lib. 5. c. 21. apud ,quosdam liberum hunc usum fuisse contendat priusquam vi- ,delicet ab Ecclesia aliud esset definitum. Et quod *Polydorus* ,plerosq; festivos d es ab Apostolis institutos esse sentiat, ut ,Adventum Domini, Natalem & Circumcisionem eiusdem, ,Epiphaniam, purificationem Mariæ, dies quadragesimales, palmarum, diem cænæ Domini, Parasceven, Pascha, Ascensionem Domini, & Pentecosten. Nam ut iidem Centuriatores fatentur, de die Natali Domini legitur etiam in Epist. paschali *Theophili*. In historia verò Romanæ Ecclesiæ, de festo Epiphaniæ, Dominica in albis, Natalitiis Apostolorum, & in *Eusebio* lib. 4. c. 15. de memoriis Martyrum sub Antoninis celebratis.

§. *De Dedicat, templorum.* Evaristus Pont. statuisse dicitur Ba- ,silicas consecrare per Missam, altaria verò unctione Chrisma- ,tis & sacerdotali benedictione. Secutus Hyginus decretum ,tulit, Si homicidio vel adulterio Ecclesia violata fuerit, dili- ,gentissimè expurgetur, & denuo consecretur.

§. *De jejuniis*, aiunt Jam ab observationibus Judæorum cœ- ,pisse jejunia in primis Ecclesiis non minori religione, quàm ,pascha ipsum teneri, precesque iisdem conjunctas fuisse, ut Ju- ,stinus & Irenæus *lib. 2. advers. hær. c. 57.* testentur. Sed non satis ,convenisse de tempore, de quarta & sexta feria Ignatium ad ,Philad. & Clementem *lib. 5. Strom.* testati. In canonibus Apo- ,stolis attributis, de jejunio quadragesimali etiam constitui.

§. *De Aqua lustrali.* Aquæ, inquiunt, consecrationem Alexan- ,dro I tribuunt, ut ea aspersi purificentur, non minus quam o- lim cinis vitulæ adspersus sanguine mundabat.

§. *De copulatione Sponsi* dicam. Si Evaristi decretis fides adhi- ,benda est, consuetudo fuit feminam honestè & legitimè viro ,desponsatam à Sacerdote precibus & oblationibus benedici.'

§. *De sepultura.* Obiter, aiunt, hic meminisse libet, quod Nicepho-

,Nicephorus *lib.3.c.19.* scribit Ossa solidiora Ignatii longo 'tempore post à Sectatoribus ejus, Romā Antiochiam esse de-'lata. Peregrinatio quoque hominum ad templum & sepul-'chrum Clementis in ejusdem libri cap. præcedenti narratur.

§. *De discipl. & moribus.* Non fuisse omnibus omnia, primâ ab Apostolis ætate, communia docent ex eo liquere, quod Justinus, *pauperum curam habitam esse tradat.* Addunt tamen. *Manere fortè aliqua species communis vitæ potuit, inter ministros Ecclesiæ, viduas, & pauperes.* Sed quod subjiciunt, ex *ærario publico & oblationibus hos alitos* conjectura est. Falsum verò cum dicunt, *mendicitatis exempla extare nulla.* Nam illud Christi fallere non potuit: *Pauperes semper habebitis vobiscum.* Verum, in-'quiunt, de Monachatu nullus fide dignus testis mentionem 'facit, nisi quod Epistolæ decretales Pontificum conjecturas 'quasdam præbent decretis de consecrandis Virginibus. Et 'Vincentius libro 10. cap. 11. in Alexandria, Ægypti monasterii 'mentionem facit, ubi fabulam, seu legendam Eugeniæ reci-'tat. Ita Aristarchi illi, quibus quidquid non placet suspectum ac fabulosum est. Verùm quam comperta multis aliis Protestantium antiquissima horum origo sit, longa possem testimoniorum serie declarare.

Calvinus *lib.4. Inst.c.17.§.43.* Si quis, inquit, vetustate tueri ejusmodi inventiones velit, neque ipse ignoro, quam vetustus sit Chrismatis & exsufflationis in baptismo usus, quàm non longè ab ætate Apostolorum cœna Dom. rubigine tacta fuerit, &c.

Beza *Epist* 8. Supersunt, ait, eæ demum ceremoniæ, quæ ad decorum ipsum spectant. Quâ in re cogor rursus in multis etiam vetustissimis Episcopis judicium desiderare, &c.

Martyr *in Epist. ad Hopp.* legimus ait, in hist Eccles. Joannem Apostolum Ephesi gestasse laminam Episcopalem. Et de Cypriano Martyre testatur Pontius, quod birrhum dederit carnificibus, dalmaticam vestem Diaconis, &c. Melanchton. *in Ep. 1. ad Cor. c.3.* Statim initio, inquit scriptores obscurarunt doctrinam de justitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt esse peculiares cultus. &c. Cap.7. *§. de ratione gubern.* Mirè excessisse Rom. Pontifices, *ajunt,* si scriptoribus Vitarum Pont. & Epistolis eorundem credatur. Reperiuntur enim ceremoniæ plurimæ, & decreta plusquam prætoria. ut de S. vasis tractandis, de non accusandis, & judicandis Episcopis (*coram seculari judice*) de prohibitione conjugii (*Deo consecratorum*)

torum) de primatu Rom. Ecclesiæ, & appellatione ad eandem, de abstinentia à carne in quadragesima, de observatione Paschatis, de dedicatione templorum, de benedictione aquæ, de consecratione Virginum, &c. Quæ si verè (*& cur non verè?*) Rom. Episcopis hujus seculi (*Apostolis proximi*) tribuuntur, facilè pius lector agnoscit opera & efficaciam mysterii iniquitatis. *Imò prudens lector hic facilè agnoscit stoliditatem vestram, qui Apostolicam hanc Ecclesiam erroris damnatis.*

Plura non tango, neque ad sequens secutumque transeo, in quo Cent. 4. cap. 6. fatentur, templa fuisse sanctis consecrata ex Sozom. lib. 6. c. 8. Eus. lib. 3. de vita Const. & c. 6. lib. 4. c. 9. Socr. l. 5. c. 7. & Item aras, imagines, candelas, lampades, litanias, stationes, oblationes, &c. usurpatas in templis fuisse, idque ex optimis & non suspectæ fidei autoribus Centuriatores agnoscunt. Qui ut hoc tempore frequentiores, ita plures ejusmodi rituum in Ecclesia receptorum scripto esse signatos, nemini poterit mirum videri. Interea pauca hæc ex Apostolico, aut vicino traducta seculo, in tanta scriptorum penuria sufficere cuivis prudenti debent, ad concludendum illic Apostolicam non reperiri Ecclesiam, ubi hæc veteris Ecclesiæ signa spreta & conculcata jacent: illic verò ubi hæc etiamnum in veneratione sunt, longe certius inveniri. Insanum verò esse, damnare illa velle, quæ tam sancto Ecclesiæ, ab Apostolis formatæ, tempore observata reperiantur, ut ipsi quoque Adversarii satis agnoscunt; dum omne explorant subterfugium, & cum aliter evadere non licet, tot ætatum fideli custodia approbatione usuque firmatas historias, quatuordecim penè seculorum post humi leviculis conjectatiunculis, quibus omnem penè historiam concidere necessum sit, conantur evertere. Sed ad Turrianum Magdeburgensium castigatorem hos remitto.

ARTICULUS XXXIV.

Credimus *a* adjuncta esse verbo sacramenta amplioris confirmationis causa, gratiæ Dei nimirum pignora & tesseras, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subveniatur. Fatemur *b* enim talia esse signa hæc exteriora, ut Deus per illa sancti sui spiritus virtute operetur, ne quicquã ibi frustra nobis significetur. Arbitramur *c* tamen omnẽ illorũ substantiam & veritatem esse in.

a *Gen. 17. v. 14. Exod. 12. v. 3. 1 Cor. 10. v. 16. & 11. v. 24.*
b *Gal. 3. v. 27. Eph. 5. v. 26.* c *Ioh. 5. v. 5. & 6. v. 63.*

in Christo Jesu, à quo si separentur, nihil sint quam inanes umbræ & fumi.

ARTICULUS XXXV.

Agnoscimus d *duo tantum sacramenta* toti Ecclesiæ communia, quorum primus est baptismus, nobis testificandæ nostræ adoptioni datus, quoniam in eo inserimur Christi corpori, ut ejus sanguine abluti, simul etiam ipsius spiritu ad vitæ sanctimoniam renovemur. Illud e etiam dicimus, quamvis nonnisi semel baptizemur, fructum tamen baptismi ad totius vitæ nostræ cursum pertinere, *ut certo stabilique sigillo in nobis obsignetur hæc promissio, Christum semper nobis fore sanctificationem & justificationem.* Præterea f quamvis Baptismus sit fidei & resipiscentiæ sacramentum: tamen *cum una cum parentibus posteritatem etiam illorum in Ecclesia Deus recenseat,* affirmamus infantes sanctis, parentibus natos, esse ex Christi autoritate baptizandos.

d *Mat.22.v.16.Rom.6.v.3.Tit.3 v.5.&c.*
e *Mat.3.v.11.Marc.16.v.16.*f *Mat.19.v.14.&c.Cor.7.v.14.*

Ex Catechismo Heidelbergensi.

Quæst 66. Quid sunt Sacramenta? *Resp.* sunt sacra & in oculos incurrentia signa ac sigilla, ob eam causam à Deo instituta, *ut per ea nobis promissionem Evangelii magis declaret, & obsignet*: quod scilicet *non universis tantum,* verùm etiam *singulis credentibus,* propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum & vitam æternam.

§. I. Reformatio ex Sacris Literis.

1 Credimus signa quædam sensibilia (quæ sacramenta dicimus) in Ecclesia ipsi propria esse, per quæ *credentes signati sumus spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ a* Nam *qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. b* ut per Isaiam promisit dicens: *venio ut congregem ex omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum? c* sive character ille sit, *Spiritus*

a *Eph.1 v 13.* b *2.Cor.1.v.21.* c *Is.66 v.18.*

ritus S Dei, in quo signati sumus in die redemptionis: d sive *donum Spiritus S. in remissionem peccatorum nostrorum* e juxta promissionem Dei: *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* f cum *abluti sanctificati, & justificati simus in nomine Domini nostri Jesu Christi* g Sic enim *Christus dilexit Ecclesiam, ut illam sanctificaret mundans lavacro aqua in verbo vita: ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam* h

d *Eph.* 4. *v* 30. e *Act.* 2, *v.* 38. f *Ezech.* 36. *v.* 25. g 1. *Cor.* 6. *v.* 11. h *Eph.* 5. *v.* 25.

II. Credimus Baptismo Johannis hanc vim signandi & sanctificandi defuisse. Ipso teste. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu S.* i Idem agnoscunt Apostoli, *Ioannes*, inquiunt, *quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S.* l Quare *dixit Paulus, Ioannes baptizavit baptismo pœnitentia populum, dicens, in eum qui venturus est post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. His auditis illi baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super ipsos* m

i *Mat.* 3. *v.* 11. l *Act* 1. *v.* 5. m *Act.* 19. *v.* 5.

III. Credimus & de V. T. Sacramentis, quod fuerint *infirma & egena elementa* n & *umbra futurorum* o, *reprobrata propter infirmitatem & inutilitatem* p, quia *umbram habens lex futurorum bonorū, &c. nunquam potest accedentes perfectos facere.* q *Lex enim vetus est litera occidens, nova spiritus vivificans* r Et licet *Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitia fidei: tamen fides illi ad iusti itiam reputata est, non in circumcisione, sed in praputio.* s. *Circumcisio* (uti *& praputium*) ex se *nihil erat.* Sed *tantum fuit signum externum populi Dei, & pacti quod esset futurus illius, & seminis Deus.* t Quare nos utimur. *alia circumcisione, qua non in expoliatione carnis, sed veteris hominis consistit, qui sepultus in baptismo per fidem operationis Dei, resurgit in Christo; dum nos convivificat, donans nobis delicta nostra.* u Aliter longè *Patres nostri baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt: & omnes* (illi *qui mare transierant*) *eundem potum spiritualem biberunt. Hac enim in figura facta sunt. Nam Petra erat Christus.* x Et *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt:*

quâ

n *Gal.* 4. & 6. o *Colos.* 2. *v.* 17. p *Heb.* 7. *v.* 18 & 9. *v.* 10.
q *Heb* 10. *v* 1. r 2. *Cor.* 3. s *Rom.* 4. *v.* 10. 11. t *Gen.* 17. *v.* 11.
u *Col.* 2. *v.* 11. x 1. *Cor.* 10. *v.* 2.

qui manducat panem hunc vivum, qui de cælo descendit, vivet in æternum. y

y *Ioh.6.v.59.*

§. II. Observatio.

IN tam diserta S. scripturarum sententia incassum adversarii obluctantur, quando vim totam operandi à Sacramentis ad fidem percipientis transferunt; his verò, tanquam sigillis appressis, quibus Deus obsignet promissionem justitiæ & gratiæ nobis per Christum in Evangelio oblatæ, nihil, nisi mutum officium tribuunt. Ut per hæc fidelis, velut per objectam imaginem obsignationis promissorum Dei, ad fidem moveatur, quâ justitiam Christi apprehensam sibi applicet. Ita pro more suo hic omnia à Sacramentis (ut alibi ab operibus) ad fidem solam transferunt. Nos verò, quanquam fidem, & in adultis quidem actualem; in parvulis saltem habitualem, tanquam dispositionem, ad vim gratiamque Sacramenti percipiendam, requiramus; tamen Deum etiam per ipsum Sacramentum virtutem supernaturalem nobis sentimus infundere: nec per solam operantem in nobis fidem; sed opus quoque operatum, sive meritum Christi, sacro illi signo, ex institutione Dei affixum, salutem conferre. Quomodo enim per *aquam mundam & lavacro aquæ per verbum vitæ, mundabimur*, si nihil aqua, & verbum Sacramenti cooperetur, sed aqua obsignet promissam mundationem; verbum de illa, modo, ut volunt concionatio, instruat? quid potest dici clarius illo Christi: *nisi quis renatus fuerit ex aqua* (non ex fide) *& Spiritu S. non potest introire in regnum Dei?* Joh.3. Et sanè Johannis Baptismus etiam exigebat, *ut crederent in Iesum*, nec tamen sufficiebat, quod esset hujus fidei obsignatio; sed debuit iterari. Ita circumcisio, & manna, ut ad salutem facerent, hanc quoque fidem exigebant; & tamen *nuda tantùm elementa ac figura reprobata* erant, *propter infirmitatem*, quæ *nec perfectos facerent, nec vitam* conferrent. Quæ quidem ratio tam efficax est, ut Calvinistæ hic victas manus porrigant, & tam Joannis Baptismum quàm L.V. Sacramenta, paris esse virtutis, ob conjunctam fidem in Christum, posthabitis tam manifestis scripturis, admittant. Lutherani verò ab iisdem argumentis se non explicant.

Sed utique ut scripturam, ita ratione evertunt. Nam cum extra Sacramentorum usum, sola fides Evangelica, Dei verbo

atque autoritate subnixa, adeò certos reddat de promissionibus divinis, ut omnis dubitatio excludatur; quid est quod Sacramenta obsignatione sua certitudis majoris adferant? an muta hæc elementa panis & aqua, ipso Dei verbo ad confirmandum potiora sunt? aut clariorem promissorum & gratiæ divinæ notionem continent? Age dicant, si majorem certitudinem præstant: verbum Dei promissorium, non præstabit sufficientem, adeòque fallere poterit: si non præstant, otiosè adhibentur. Deinde, cum muta hæc elementa sint, unde disces nisi ex verbo Dei adjuncto promissæ gratiæ certitudinem? vel igitur soli verbo Dei hæc certitudo imputanda est: vel si etiam elementis, operantur illa virtutem in te supernaturalem, non ex vi sua utique; ergo vel divinitus elevata; vel Deo certè ad illorum positionem, extra verbum suum, concurrente; quod nos asserimus. Denique, quomodo in infantibus fidem excitabunt, qui nec verba, nec elementa apprehendunt. Nec sufficiet, quod post usum rationis apprehensuri sint; cùm hoc pacto in præsenti statu non essent sanctificati, adeòque mortui perirent. Postremò, quomodo hypocritis fictè sacramenta suscipientibus hæc possunt obsignare promissam gratiam, quam non accipiunt? aut si non obsignant, licet adhibita, clarum est nihil extra verbum Dei & fidem hæc sacramenta præstare. Concludo, quomodo muti signi & nihil operantis est, cùm aqua dicatur nos *regenerare Ioh* 3. panis *nutrire* in vitam æternam? Ioh. 6. His se nodis adversarii nunquam expedient, stabitque Reformatio nostra claris nudisque scripturæ verbis concepta.

Illud verò etiam de nota, seu charactere spirituali, in baptismo, Confirmatione & ordine impresso, per hoc sacramentorum signaculum, de quo Isa, 66. Paulus Ephes. 1. & 4 & 2. Cor. 1. manifeste vim eorum operativam in nobis evincit. Et verò dicant Adversarii, quid aliud in nobis sit, quod nos perpetuo charactere ita coram Deo signet, ut omnino nequeat e. c. baptismus semel susceptus iterari? Quid causæ. quod unctio Episcopalis in confirmatione & ordine adhibita nunquam inter Catholicos repetatur? Nobis satis hæc Apostolus veteri Ecclesia interpretante exposuit, cùm docuit, quod is, *qui nos unxit, etiam signavit.* Juvabit itaque hujus explorare in præsenti controversia sententiam.

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ Doctores vim sacramentorum, tam veteris, quàm Novæ Legis, ex S. literis declarant.

CUm plura in hoc articulo expendantur, de singulis breviter Sanctos Patres ex S. Scriptura audiemus.

1. Notam quandam distinctivam fidelium quam characterem vocant, imprimi in sacramentis quibusdam agnoscunt.

Cyrillus Alexandrinus catech. 17. *Tu quidem accede ad Baptismum, sed memineris istius Spiritus S. de quo nunc nobis sermo est, hic enim paratus est obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod dæmones tremunt, cæleste quoddam & divinum, sicut scriptum est*, in quo credentes obsignati estis Spiritu S. promissionis Eph. 1.

S. Ambrosius de Spir. S. lib. 1. c. 6. *Apostolus ad Ephesios ait*: in quo credentes signati estis Spiritu promissionis. *Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed Deo, quia scriptum est.* Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. Cor. 1. *Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur; ut Spiritus S. exprimat in nobis cælestis imaginis effigiem.*

Gregorius Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma. *Si*, inquit, *per Baptismum te ipsum præmunieris, animum scilicet & corpus unctione & spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo* cruore, qui primogenitos tuebatur, *quid tibi accidet? Audi quid læti tibi David nuntiet*: non timebis à timore nocturno, ab incursu & dæmonio meridiano. Psal. 90. *Hoc tibi vivo maximum ad securitatem momentum adferet. Pecus enim signata non facilè insidiis appetitur: quæ autem minimè signata est, à furibus facilè capi potest.*

S. Chrysostomus orat. 2. in *Epist. ad Ephesios.* Signati, *inquit*, estis spiritu promissionis, qui est pignus hereditatis nostræ. *Magnum est indicium curæ ac providentiæ, quod sint signati, non separati: neque quod non solùm sint sorte vocati* (ut clerici) *sed etiam signati. signati fuerunt Israelitæ, sed circumcisione, sicut oves & bruta: nos quoque signati sumus, sed sicut filii, spiritu.*

S. Augustinus contra Cresconium lib. 1. c. 30. *Quæ hæretici corruperunt, cùm ad nos inde veniunt, corrigimus; quæ verò sicut acceperunt, tenuerunt, agnoscimus & probamus: ne commoti humanis vitiis ultra justitiam, faciamus ullis rebus divinis injuriam cùm Apost-*

*Apostolum videamus Act.*17. etiam in ara gentilium, à quibus idola colebantur, Dei nomen inventum confirmasse potius, quàm negasse. *Neque enim propterea immutandus, aut improbandus est regius character, si erroris sui veniam, & militandi ordinem à rege impetraverit, quia eundem characterem, quo sibi Satellites congregaret desertor, infixit: aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum Dominico gregi sociantur, quia eis Dominicum signum fugitivus servus impressit.* Hoc argumento Augustinus pluribus locis probat Baptismum non iterandum, ut contra Epist. Parmen. l.2. c.13. Epistolâ 50. ad Bonif de Baptismo lib. 6. cap.1. & Tract.6. in Joh. ubi sic inter cætera, de charactere ait ad reducem hæreticum. *Tene, quod accepisti: non mutatur, sed agnoscitur. Character est Regis mei. Non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem.*

Theodoretus in 2. ad Cor. c.1. Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos. *Deus,* inquit, *horum bonorum causa est. Ipse enim nobis firmam in Christum fidem donavit: ipse nos unxit & S. Spiritus signaculo dixit: veluti quandam futurorum bonorum arrham, hanc nobis gratiam largiens.*

D. Gregorius Mag. lib 2. Epist.32. *sicut* baptizatus semel Gal.3.v.27. *iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. Sed si quis forsitan pro levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo servari.* De Confirmatione idem tradit lib 12. Epist.31. non iterandum, nisi de illa, uti & Baptismo ritè suscepto ambigatur. Idem jam olim S. Cyprianus tom. 3. serm. de ablut pedum tradiderat. *Baptismum,* inquit, *repeti, Ecclesiastica prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos renovat, nemo S. oleo lita iterum linit, aut consecrat, nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat sacerdotium, quia contumelia esset Spiritus S. si evacuari posset, quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat.* Apparet itaque hunc Ecclesiæ sensum, à primis Apostolicis seculis traductum. Neque Protestantes ipsi ex alio capite, Baptismum iterandum non esse, poterunt evincere.

* * *

II. Ioannis Baptisma ex eo, quod non vi sua conferret remissionem peccatorum, iterandum fuit.

TErtullianus lib. de Baptismo cap. 10. *Ioannes,* inquit, *nihil cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat &c. Daret spiritum S. & remissionem delictorum, si cœlestis* (Baptismus) *fuisset. Sed* neque peccatum dimittit, neque spiritum indulget, nisi Deus solus. *Marc.* 3. *Etiam ipse Dominus,* nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negavit Spiritum descensurum *Ioh.* 17. *id quod Dominus nondum conferebat, servus utique præstare non posset. Adeò postea in Actibus Apostolorum invenimus, quoniam qui Ioannis Baptismum habebant,* non accepissent spiritum S. quem ne auditu quidem noverant. Act. 19. &c. *Ipse profitetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo Ioan.* 3. qui de terra est, de terra loquitur, qui de supernis venit super omnes est *Item:* sola se pœnitentia tingere, venturum mox qui tingeret in spiritu & igne *Luc.* 3. Origenes tom. 8. *in Ioannem.* Ego, inquit Ioannes, aqua baptizo *Ioh.* 1. *veluti purgans, & deterrens à rebus malis, & ad resipiscentiam invitans &c. qui ergo in Actis* baptizati erant in Ioannis baptismo, & neque an Spiritus Sanctus esset audierant, denuo ab Apostolo baptizantur *Act.* 19. *quia regeneratio non apud Ioannem; sed apud Iesum per Apostolos eius fiebat.* Idem lib. 5. in Epist. ad *Rom.* 6. docet baptismum Ioannis per hoc distingui à baptismo Christi, quod peccata non remiserit.

S. Cyprianus serm. de *Baptis. Christi.* Præparabat, *inquit,* Ioannes viam Domino *Ioh.* 1 *lavando exterius corpora, ut praecederet exterius lavacrum secuturum baptisma in quo confertur animarum ablutio, & peccatorum remissio.* Præcessit quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur *Hebr.* 7.

S. Basilius uti plures Patres eum secuti, licet baptismum Ioannis *baptismum pœnitentiæ* vocent; eò quòd prædicando & excitãdo ad pœnitentiam exteriorem illam ablutionem, tanquam signum interioris, quam dolore & detestatione peccatorum consequentur, adhibuerit: tamen omnes Christi baptismum præferunt, quod hic cum Deo per collatam gratiam perfectius conjungeret. Quod discrimen cum non posset oriri ex fide viva in Christũ, quæ utrobique requirebatur, ipsius baptismi Christi præstantiæ, & efficaciæ majori tribuendum est. Quare Basilius de Bapt. inquit, *Initiatorium erat Ioannis Baptisma, Christi verò perfe-*

perfectorum. A peccato illud avocabat; istud cum Deo coniungit, & familiarem reddit.

Cyrillus Alexandrinus consentit c. 57. in Joannem. *Ne temerarii homines, aquam Ioannis, qua in pœnitentiam baptizabat, spirituali baptismo Christi anteferre auderent, causas tam turpis temeritatis evertens &c.* dixit: Ego baptizo vos in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est. *Ioh.* 1. ille baptizabit vos spiritu & igni *Mat.* 3.

Gregorius Nazian. orat. 39 in sancta lumina. *Baptizavit Moses, verùm in aqua priusque etiam* in nube & mari. Ceterum hoc per figuram agebatur, *quemadmodum & Paulo placet* 1. Corinth. 10. *Mare enim aquam, nubes spiritum, manna panem illum vitæ, potio divinam potionem adumbrabat.* Baptizabat etiam Ioannes, *non jam ille quidem Iudaico more (non enim in aqua solum, sed etiam ad pœnitentiam) nondum tamen prorsus spiritualiter*, nondum enim in spiritu. Baptizat quoque Iesus, sed in spiritu. Mat 3.

Chrysostomus breviter hom. 12. *in Mat.* Sancti Spiritus gratia *in Christi baptismate est Ioannis verò baptisma hac donatione privatur.*

Theophylactus in *cap.* 3. *Mat* Ipse vos baptizabit in Spiritu S. *hoc est, mundabit vos largiter Spiritus S. gratiis, quia meum, inquit, baptisma non dat spiritualem gratiam, sed neque remissionem peccatorum* Vi scilicet nstitutionis suæ.

D Hieronymus de exteriore Ioannis Baptismate sic differit. Contra Lucif c. 3. *Audi quid scripturæ doceant.* Ioannis Baptisma *non tam peccata dimisit*, quàm Baptisma pœnitentiæ fuit, in peccatorum remissionem, *id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi, subsecutura. Si Ioannes, ut ipse confessus est,* non baptizavit in spiritu, *consequenter neque peccata dimisit, quia nulli hominum sine spiritu S. peccata dimittuntur.* &c.

D. Augustinus idem sentit ad Laurent. c. 49. *Non renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse Christus baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat:* parate viam Domini Matth. 3. Ubi manifestum est autores hosce, non loqui de fide in Christum à Joannis baptismate non seclusa; sed de vi solius baptismatis, quâ Christi ad gratiam conferendam efficax, Joannis non esse censebatur. Quare si quæ alibi obscurius per hos aliosque autores dicta sunt,

per clarissima hæc loca, ipsasque Scripturas S. erunt exponenda.

III. Veteris legis Sacramenta non habuere necessariò annexam gratiam, ut N.L sed nuda tantùm signa populi Judaici distinctiva fuère.

Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. *Nam & ipse*, inquit, *Abraham in præputio cum adhuc esset*, propter fidem, quâ Deo credidit justificatus est, & benedictione auctus, prout scriptura dicit *Rom. 4. circumcisionem autem in signum, non ad justitiam accepit, quemadmodum, & scriptura, & res ipsa fateri nos cogunt.*

Irenæus lib. 4. cap. 30. *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus. ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, &c. Et quia non per hæc justificabitur homo; sed in signo data sunt populo: ostendit quod ipse* Abraham sine circumcisione credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam *Roman 4.*

Athanasius Orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Paulus *inquit Coloss. 2.* In quo circumcisi estis, circumcisione non manufacta, in expoliatione carnis, in circumcisione Christi, cui consepulti estis in baptismate, in quo & resurrexistis. ***Nam circumcisio figura erat exuvianum, quæ per baptismum deponuntur, &c. Quapropter ubi venit res, quæ figurâ denotabatur, nota ipsa figuraque intercidit.***

Epiphanius *hæres. 8. Epicureorum.* Circumcisio fuit carnalis, *Col. 2. quæ deservijt tempori usque ad magnam circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit nos à peccatis.*

Chrysostomus hom. 27 in Gen. *Paulus signum vocat dicens:* Et signum dedit circumcisionis sigillum. *Nam ad justitiam ipsa circumcisio nihil conducit.*

S. Augustinus *in Psal. 73.* Lex *inquit*, per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est *Ioh. 17. Si enim discernimus duo Testamenta, vetus & novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa, &c. Sacramenta N.T. dant salutem; Sacramenta V.T. promiserunt Salvatorem.* In quibus aliisque testimoniis (quorum hac de re supersunt multa) patet Baptismum e. g. circumcisioni opponi: non tantùm, quòd hæc figura sit, ille figuratum; sed quia per illum peccata tolluntur, quod per hanc fieri Deus nolebat. Cum tamen & in veteri testamento credentes in Christum, vi fidei vivæ ac pœnitentiæ, non minus quàm in novo, peccatorum veniam consequerentur,

tentur. Verùm hæc distinctius per sacramenta singula cognoscemus.

§. IV. De I. Sacramento Baptismi.

Ex Catechismo Heidelbergensi.

QUæstio 69. *Qua ratione in Baptismo moneris & confirmaris te unici illius sacrificii Christi participem esse?* ℟. Quod Christus externum aquæ lavacrum mandavit, *a* addita hac promissione: me non minus certò ipsius sanguine & spiritu à sordibus animæ, *b* hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari, quàm aqua extrinsecus ablutus sum, quâ sordes corporis expurgari solent.

a *Matth.28.v.19.Marc.16.v.16.*

b *Act 2.v.38.Rom.6.v.3.*

Quæst.70 *Quid est sanguine & spiritu Christi ablui?* ℟. Est accipere à Deo remissionem peccatorum, gratis propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit. *c* Deinde etiam per Spiritum S. renovari, & ipso sanctificante membrum Christi fieri, *d* quo magis & magis peccato moriamur, & sanctè inculpateque vivamus. *e*

c *1.Pet.1.v.2.Heb.12.v.24.*

d *1.Cor.6.v.11.&c.Rom.6.v.2.&c.*

e *Eph.4.v 22.&c.Col.2.v.12.*

Quæst.71. *Vbi promisit Christus, se nos tam certò sanguine & spiritu suo ablaturum, quàm aqua Baptismi abluti sumus?* ℟. In institutione Baptismi, cujus hæc sunt verba. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur. *f* Hæc scriptura repetitur, cùm scriptura Baptismum nominat lavacrum regenerationis, *g* & ablutionem peccatorum. *h*

f *Matth.28.* g *Tit.3.v.5.* h *Act.22.16.*

Quæst.72. *Estne ergo externus Baptismus aqua ipsa peccatorum ablutio?* ℟. Non est. *i* Nam solus sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato. *l*

i *Matth 3.v.11.& 1.Pet.3.v.21.*

l *1.Ioh.1.v.7.& 1.Cor.6.v.11.*

Quæst. 73. *Cur ergo Spiritus S. Baptismum appellat lavacrum*

crum regenerationis, & ablutionem peccatorum? Resp. Deus non sinè gravi causa sic loquitur. Videlicet, non solùm, ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aqua purgantur, sic peccata nostra sanguine, & spiritu Christi expiari. *m* Verùm multò magis, ut nobis hoc divino symbolo & pignore certum faciat, nos non minus verè à peccatis nostris interna lotione ablui, quàm externa & visibili aqua abluti sumus. *n*

m *Ezech. 15. v. 4. Apoc. 1. v. 5. & 7. v. 14.*
n *Gal. 3. v. 27.*

Quæst. 74. *Suntne etiam infantes baptizandi?* Resp. omninò. Nam cùm æquè, ac adulti, ad fedus, & Ecclesiam Dei pertineant, *o* cumque eis per sanguinem Christi remissio peccatorum, *p* & spiritus S. fidei effector, non minus, quàm adultis promittatur, *q* per Baptismum Ecclesiæ inserendi sunt, & ab infidelium liberis discernendi. *r* itidem, ut in veteri federe per circumcisionem fiebat, *s* cui in nouo federe substitutus est baptismus. *t*

o *Gen 17. v. 7. & 1. Cor. 7. v. 14.* p *Mat. 19. v. 14.*
q *Luc. 1. v. 14. psal 21. v. 11. Act. 2. v. 39.* r *Act. 10. v. 47.*
s *Gen. 17. v. 14.* t *Coloss. 2. v. 11. &c.*

NOTA, quamvis hic fateantur per baptismum, *nos non minus à peccatis, & animæ sordibus ablui, quàm per aquam, sordes corporis abluantur*; tamen reipsa docent, *fidem, per apprehensam Christi justitiam solùm obtegere peccata nostra, culpa manente, pœna tantùm, seu reatu sublato.* Ita ut post scelerum ablutionem totum quod Deus odit, & execratur in nobis supersit. Quod quam absurdum sit, licet ex scripturis per adversarios adductis, ac propria contradictione hic satis appareat; latius tamen supra de justificatione tradidimus. Rursum sibi hoc loco contradicunt, quando infantes baptizandos asserunt *per Baptismum Ecclesiæ inseri, & discerni ab infidelibus*; concedunt tamen, quòd *etiam ante baptismum sancti sint, & ad Ecclesiam pertineant, adeoque & sine hoc salvari possint.*

§. I. REFORMATIO.

CRedimus regenerationem per baptismum omnibus necessariam quotquot cum David *in peccatis concepti* sunt, *a* & *natura sunt filii iræ.* *b* quia *per unum hominum peccatum in hunc*

a *psal. 50.* b *Eph. 2.*

hunc mundum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. c *Christus* enim *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* d *Quos convivificat, donans eis omnia delicta, postquam consepulti sunt ei in baptismo, in quo resurgunt per fidem operationis Dei.* e *Nisi* enim *quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* f Quocirca Christus monet: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* g *Predicate omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur:* h *credere absolutè necessarium est: quia sine fide impossibile est placere Deo.* i *Convertimini ad me*, ait Deus, *& ego convertar ad vos* l baptismus in adultis sequi potest. Unde Apostoli. *Quis*, dicunt, *aquam prohibere potest, quo minus baptizentur ei, qui acceperunt Spiritum* S. (credentes) *sicut & nos?* m Neque infantes etiam fidelium hac lege excepti sunt, *quod uti sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; ita non immundi, sed sancti illorum sunt filii.* n Nam *Christus seipsum tradidit pro Ecclesia, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculā.* o *Salvos enim nos fecit, per lavacrum regenerationis.* p Quod adultis quandoque in voto sufficit: Quia, *salvos nos facit baptisma, non sordium carnis depositio, sed conscientiæ bonæ ad Deum interrogatio: per resurrectionem Iesu Christi.* q Quandoque & Baptismus sanguinis. *Qui* enim *perdet animam suam propter Christum, inveniet eam.* r Nam & hic Christi est Baptismus dicentis: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur.* s *Omnes* itaq; *filii Dei sumus per fidem, quæ est in Christo Iesu, quicunque enim baptizati sumus, Christum induimus, sive Iudæi, sive Græci, &c.* t *Non tamen est sanis opus medico, sed malè habentibus.* u

Ceterùm honorem illum sacramentis habendum censemus, *ut omnia honestè & secundum ordinem fiant.* x Prout de his quoque *se Corinthiis Paulus in adventu suo dispositurum promisit.* y

c *Rom.* 5. *v.* 2. d 1. *Cor.* 15. e *Col.* 2. *v.* 12. f *Ioh.* 3. *v.* 5. g *Matth. ult.* 19. h *Marc. ult.* 16. i *Hebr.* 1. *v.* 6. l *Zach.* 1. *v.* 3. p *Tit.* 3. *v.* 5. q 1. *Pet.* 3. *v* 21. r *Matth.* 16. *v.* 23. s *Luc.* 12. *v.* 50. t *Gal.* 3. *v.* 26. u *Matth.* 9. 12. x 1. *Cor.* 14. *v.* 48. y 1. *Cor.* 11. *v.* 34.

§. II. Observatio.

EX his facilè evanescunt, cùm Anabaptistarum, tum Protestantium ac præcipuè Calvinistarum placita; quorum illi

parvulos omnes extra peccati reatum nasci censent, quod *filius non portet iniquitatem Patris sui*: Ezech.20.v.20. *& ubi lex non est, non fit prævaricatio*. Rom.4.v.13. quæ de peccato actuali dicta, malè ad originale transferunt: Hi verò fidem parentum liberis ad sanctitatem prodesse asserunt, ex ridicula illatione quam à legali & externa sanctificatione 1 Cor.7. ad spiritualem & internam faciunt. Neque enim poterit puer magis à peccatis expiari, per fidelem simul & infidelem parentem, quàm *mulier infidelis à marito fideli*. David & Esau, nunquid erant fidelium parentum filii, & tamen ille se *in peccatis conceptum asserit*, hic *odio à Deo est habitus, priusquam mali quicquam egisset*? Sed & Anabaptistæ quomodo tam manifestas scripturas evertent, quæ, omnes nos affirmant *iræ filios*, & in Adamo reos? pro *omnibus*, etiam infantibus, *Christum mortuum*? Calvinistæ verò, ut quid parvulos etiam baptizant, quos Sanctos fatentur? Si mandatum Christi obtendunt. Hic *non valentibus*, sed *malè affectis* baptismum præcipit Qui iccirco institutus est, ut sit *lavacrum regenerationis*, ac remedium salutis. Non curatur nisi infirmus: non abluitur nisi impurus. Vel igitur concedunt ex fideli parente natum ante baptismum, justificatum esse, per imputatam illi Christi justitiam: vel negant. Si concedunt: jam sine fide propria homo poterit justificari, totumque justificationis negotium subvertitur. Si negant, ergo infidelis & non justificatus poterit salvari. Rursum si nasci ex fideli parente sit esse sanctum, per imputatam Christi justitiam, hanc verò imputati sit (juxta Calvinistas) certò destinari ad vitam æternam: ergo nullum originale pecatum ab Adamo ad posteros derivatum est, nullus ex posteris damnatus; quia ab illo fideli omnis posteritas est progenerata. Denique si sancti fidelium nascuntur libri apud Calvinistas, nemo potest per baptismum *renasci, & regenerari*, contra Christum Joh.3 & Paulum Tit.5. Nam qui nascuntur sancti, *hos non oportet denuo nasci* ut sancti fiant. At durum, inquiunt est, damnare infantes, sine culpa sua, baptismo privatos. ℟. Hæc culpa progenitoris Adæ fuit, ob quam tamen non plectuntur, nisi privatione cæli, illis in persona sua nunquam debiti. (de inferni enim pœnis, nihil in hos scriptura decrevit) Quam cum tot infantium myriades fortem inter infideles, nullo quoque merito suo, adeant; non est, cur pauculi hi de sua fortuna querantur. Equidem sentio tertium hunc mediumque inter cælestes inferosque ordinem, (de quo, utpote instructionis non capaci, revelatio nulla requirebatur) ad illustre

lustre divinæ providentiæ sapientiæque specimen in omnem æternitatem destinari. Illorum magis deploranda liberorum infelicitas, qui parentum hæresi ab Ecclesiæ gremio divulsi, inter errores perfidiam & scelera, ignorantes malorum sibi imminentium, adolescunt, æternisque suppliciis reservantur. Hos considerent, siquos tangit ignorantium commiseratio.

Alio hic Anabaptistæ argumento instant. Mandatum, ajunt, Christi est, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Nemo igitur nisi doli, doctrinæ, ac fidei capax ad baptismum est admittendus. Ideoque annexum est. *Qui non crediderit* (non verò, qui non baptizatus fuerit) condemnabitur. Quod sine fide salvari nemo possit: hæc autem nisi adultis suaderi nequeat, adeòque nec Baptismus, tanquam signaculum fidei, aliis conferri.

Resp. hoc argumentum de pueris neque asserit, neque quicquam negat, cùm ad solos doctrinæ Apostolicæ capaces, hoc est adultos, spectet, si vis sententiæ hujus expendatur. Sed si, ut debes, componas, quæ Christus dixit Joh. 3. Nisi *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei*: quod salutis remedium exequendum Marc. ult. discipulis commisit: non est dubium, quin tam fides, quam baptismus ad salutem quoque infantium requiratur, quòd per aquam & spiritum debeant renasci. Cùm igitur supra à nobis traditum sit, baptismo aquæ legitimo ex promissione Dei, Spiritus S. regenerationis internæ donum conjunctum esse; satis erat hoc tingi infantes, doctrinæ nondum capaces, ut cum Spiritu S. fidei donum quoque perciperent, *sine quo impossibile est placere Deo.* Heb. 1. v. 6. Unde & Christus adducentibus *infantes, ut illos tangerent. Sinite*, inquit, *pueros venire ad me, & nolite vetare illos, talium est enim regnum Dei.* Luc. 18. v. 15. Quomodo accedent? *oportet nasci denuo, ut regnum intrent.* Joh. 3 Fidem autem actualem minimè requiri, ut justificemur, sed infusam ejus qualitatem, & habitum, seu potentiam sufficere, tam manifestum est, quàm clarum, etiam fideles dormientes, qui nullum fidei actum exercent, justos esse. Et verò hoc ipsos sensisse Apostolos existimandum est, quando Act. 16. v. 15. & 18. v. 8. cum *omni* domo patresfamilias baptizarunt. Sufficiebat autem adultos, actualium etiam peccatorum reos, ad pœnitentiam præmittendam & cetera doctrinæ Christianæ capita tenenda erudiri; quòd hi deinde filiis eadem tradituri essent. Unde monentur Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptize-*

tur

tur unusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus S. vobis enim est repromissio (nec solis tantum) *sed & filiis vestris.* Si igitur, & his facta promissio, quis dubitet implendam? In adultis fides & pœnitentia prævia est, in pueris baptismum comitatur. Et quis præterea ambigat, de infantibus per Baptismum Dei populo aggregandis, quando circumcisionis Sacramentum, quod Baptismi figura fuit, octavo vitæ die iisdem collatum novimus? Imago hæc opinor, de corporis exhibiti præsentia ac necessitate nos instruet; præsertim, quando in neglectu æterna salus periclitatur. Et verò, si quod esset dubium, via tutior foret eligenda.

Hærent hic implicati Protestantes. Lutherani actualem fidem & quos nescio, cum Joanne Baptista, pios motus, in pueris ratione carentibus, requirunt; sed quis illis paria huic promittat, de quo dictum, *inter natos mulierum non surrexit major?* Calviniani parentum sufficere fidem credunt (quam nos prodesse, ob futuram instructionem, sentimus) infantibus; sed fidem non merentur: quando, ut supra tradidi, aliena nemo fide potest justificari ac salvari; non, opinor, magis, quàm alieno cibo saturari.

Quæ ad ritum celebrandi jam olim Baptismi, temporibus Apostolicis, attinet, quædam supra art. 33 § 3. observata reperies, ut appareat, jam tum extra S. Scripturam Apostolicas *ordinationes* in Ecclesia receptas, *ad honestam decentemque* Sacramentorum administrationem, fuisse. His verò refragari velle, erit Apostoli promissionem infringere.

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ Patres Baptismi efficaciam, & necessitatem, semel illis debiti, cum ritu ministrisque suis agnoverunt.

1. Nunc orthodoxæ Ecclesiæ Patres ex S. literis, tam de expiatione plena scelerum, quàm infantum consanatione, per baptismum, sententiam pronuntient.

S. Martialis ad Tholosanos cap. 1. *Estis membra Christi, & & corpus immaculatum, nec aliqua in re inquinatum.* Jam enim sanctificati, & mundati estis aqua regenerationis 1. Cor 6.

Clemens Alexand. l. 1 Pædag. c. 6. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur:* Ego, *inquit*, dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. *Ps.* 81. *Multis autem modis vocatur hoc opus:* gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. *Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, qua remittuntur pœna, quæ peccatis debentur, &c.* Orige-

Origenes homil.14 in Luc. *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel, quo tempore peccaverunt? aut, quomodo potest ulla lavacri ratio subsistere in parvulis, nisi juxta illum sensum, de quo ante diximus:* nullus mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? *Et quia per Baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli:* nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poterit intrare in regnum cælorum. *Ioh.*3. Idem tradit in cap.6. ad Rom.

Cyprianus Epist.59. vel ut alia habet editio, lib. 3. Ep 8. *Quantum ad causam infantium attinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos, baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiqua,* ut intra octavum diem eum qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares, Gen.17. *Longè aliud in concilio nostro omnibus visum est, universi judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio dicat,* Luc. 9. filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, *quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est, &c. Esse denique apud omnes sive infantes, sive majores natu unam divini muneris æqualitatem, declarat nobis divina scripturæ fides,* cum Helisæus super infantem Sunamitis viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita se, Deum deprecans, superstravit; ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis parvuli membris, & pedes pedibus jungerentur, &c. 4. *Reg.* 4.

S Ambrosius lib 2. de *Abrah. cap.* 11. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei. *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Habeant illi apertam pœnarum immunitatem: nescio an habeant regni honorem.*

S Gregorius Nazianz. Orat 40. in S. Baptisma. *Quid de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & obsignatione abscedere.* Atque hujus rei nobis est ratio, circumcisio die octavo peragi solita (Gen.17. v.12) *quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis expertes erant, offerebatur.*

S Hieronymus Dial. 3. *contra Pelag.* cap. 6. Regnavit mors ab Adam usque Moysen, etiam in eos, qui non peccarunt, in simili-

similitudinem prævaricationis Adam, qui est forma futuri *Rom.5 Qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur, qui ejus ætatis est, qua potest sapere, & alieno, & suo*, (si peccavit) *Christi sanguine liberatur*

S. Chrysostomus ad Neophytos, sive de Baptizatis. *Sacerdos ab infirma ætate exigit pacta conventa, & assensiones, & minoris ætatis fidejussorem accipit susceptorem, & interrogat.* Renuntias Satanæ? &c. Item Dom. *de Adam & Eva* exorcismos consuetos fuisse asserit, & hunc parvulos baptizandi morem Ecclesiam ubique diffusam tradit celebrare.

S. Augustinus Epist. 28. ad Hieron. *Quisquis*, inquit, *dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. Qui autem non vivificatur in Christo, restat, ut in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus Rom.5* per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, &c. Idem disertè ostendit Epist. 89.

Sic de peccat. meritis & remiss. lib. 3. c. 12 expendens illa Pauli 1. Cor. 7. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. *Sine dubitatione*, inquit, *tenendum, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana institutione & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Et lib. 2. *cap.* 25. Circumcisionem respiciat, quæ semel fiebat *Gen.* 17. *& tamen in singulis sigillatim fiebat. Sicut ergo tempore illius Sacramenti de circumciso qui nasceretur, circumcidendus fuit; sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est.* Vide cap. 26. quoque. Et lib. 1. cap. 27. de illo *Marci* 16. qui non crediderit condemnabitur. *Quis*, inquit, *nesciat, credere infantibus esse baptizari; non credere autem non baptizari* Vide plura cap. 23 ibid.

II. Iterandum verò baptismum non esse, idem tradit.

D. Augustinus tract. XI. in Joannem. *Rectè*, inquit, *intellexit Nicodemus Nativitatem carnis. Sic & tu intellige Nativitatem Spiritus: Quicunque tibi dixerit, ut spiritualiter iterum nascaris: respondo,*

responde, quod dixit Nicodemus Nunquid potest homo iterum in ventrem matris suæ intrare, & nasci? *Ioh.* 3. *Iam natus sum de Adam. non potest me iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo: non potest me iterum generare Christus.* Vide eundem de Baptismo contra Donatist. lib. 2. cap. 4. ex Joannis 13. probantem. *Qui lotus est, &c.*

S. Ephrem jam olim idem tradiderat. tom. 3. *de Pœnit. ante finem Contra hæreticos negantes lapsis pœnitentiam.* Sic disserit. *Paulus*, dicitis, *ait* Impossibile esse, eos, qui semel illuminati sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursumque crucifigere sibimetipsis Christum & transgressores recipi. *Heb.* 6. *Non de pœnitentia id Paulus dixit, verùm de secundo Baptismate; quod iterum baptizari sit eum impossibile, qui semel in Christo baptizatus est, quoniam idem ait Apostolus.* Quicunque in Christo baptizati sunt, in morte ejus baptizati sunt. *Rom.* 6. *Vna est crux, unum est etiam Baptisma, &c.*

III. Per ministrum quemcunque, etiam hæreticum & profanum hominem, baptismum validè conferri, iidem Patres ex S. literis tradunt.

D. Augustinus Tract. 5. in Evang. S. Joannis. *Sint*, inquit, *ministri justi, si volunt; si autem noluerint esse justi*, qui Cathedram Moysi sedent, *securum me fecit Magister meus, de quo Spiritus ejus dixit:* Hic est qui baptizat *Ioh.* 1. *&c. Baptisma quod datum est à Iuda, Christi erat. Dedit Iudas, & non baptizatum est post Iudam.* dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem. *Act.* 19. *Quia qui datus est à Iuda baptismus, Christi erat: qui autem à Ioanne datus est, Ioannis erat.* Et lib. 4. contra Donat. *Si per vim Sacramenti Dei avarus dimittit peccata; etiam Hæreticus: si per meritum suum; nec ille, nec iste.* De laicis idem tradit August. ad Fortunatum. D. Hieronym. contra Lucifer. cap. 4. De pueris quoque Baptizantibus se invicem, quem Baptismum Alexander Episcopus Alexandr. cum Concilio Clericorum probarit, scribit Ruffinus in hist. Eccl. lib. 1. c. 14. & Sozomenus lib. 2. c. 16.

Tertullianus jam olim idem in Ecclesia receptum, tradidit de Bapt. c. 17. *Dandi Baptismi etiam laicis*, inquit *jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest: nisi Episcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes:* Domini sermo non debet abscondi ab ullo *Psal* 39. *v.* 11. *Proinde & Baptismus æquè Dei census ab omnibus exerceri potest, &c. quanquam*, omnia licere *dixit Sanctis. Apostolus*; sed non omnia expedire. 1. Cor. 6.

Suffi-

Sufficiat *scilicet in necessitatibus, ut utaris.* Ita ille. Et certè, necessitas legem non habet.

Neque Apostolis eorumque successoribus magis baptizandi munus adstringitur Matt. ult quàm docendi, cùm dictum. *Euntes docete, baptizantes, &c.* ut igitur ab alio quovis laico rectè etiam instructio in doctrina fidei excipitur, cum sacerdos deest, ita & baptismus. Et sanè si hæretici, qui legitimè missi in Christi nomine non sunt, Baptismum queant impertiri, quid ni alii quicunque laici queant? Calvinistæ itaque hic non minus, qui laicos ab hoc munere rejiciunt, quàm Anabaptistæ, qui solos admittunt sanctos, jure sunt corrigendi.

IV. Ritus ceremoniasque Romanæ Ecclesiæ circa Baptismum, jam olim SS. Patres in Ecclesia observarunt.

S. Dionysius Areopagita c. 2. hierarch. Eccles. Exemplum ab Episcopo baptizati exponit, & hæc in ceteris. *Contestatur*, inquit, *ei*, oportere ex integro totoque corde ad Deum accedere, per cuncta perfectum & immaculatum. *Heb. 6. Tum divinæ quoque conversationis ac vitæ illi explicans rationem, an ita deinceps velit vivere, sciscitatur. Quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit ejus capiti manum, consignansque illum, Sacerdotibus mandat, ut virum susceptoremque describant &c. Insufflare illum ter Satanam jubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri. Et cum illum Ministri exuerint, deferunt Sacerdotes sanctum unctionis oleum. At verò Pontifex trino S. Crucis signaculo unctionem inchoans, inungendum jam Sacerdotibus toto corpore hominem tradit, ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, ejusque aquas S. prece ac invocatione sanctificans, terque in eas ad Crucis effigiem sanctissimum fundens unguentum, &c. trina illius mersione & emersione tres beatitudinis divinæ personas inclamans, &c.* Subjicit deinde omnium rituum explicationem mysticam.

Similia Clemens Rom. in Epist. 3. *ad universos* tradit. Tertul. de corona mil. c. 3. Cyprianus Epist. 70. ad Januar. Basilius de Spiritu S. c. 27. Chrysostomus in hom. de Adam & Eva. Cyrillus Jerosolym. in Catech. 1. 2. 3. & 4. Mystag. Ambrosius lib. 1. de Sacr. cap. 1. Et qui Myster. initiantur cap. 1.

D. Augustinus concludat de Nupt. & Concup. lib. 2. cap. 29. *Exorcizantur, vel, ut dixi exsufflantur parvuli,* ut in regnum Christi, à potestate tenebrarum *hoc est diaboli & Angelorum ejus eruti* transferantur Colos. 1. v. 3. Vide de chrismate, signo Crucis, aliisque ceremoniis eundem Tract. 33. & 118. in Joannem.

§. IV.

§. IV. Protestantes sensum veteris Ecclesiæ de Baptismo sat apertè profitentur.

PRotestantes facilè agnoscunt Patres de Sacramentorum gratia, usu, rituq; sibi adversari, ideoque veterem orthodoxamque Ecclesiam, (sed nævis suis, ut aiunt, laborantem) deserunt.

Lutherus *lib.* 1. contra Cochlæum ait. Quod si qui sunt ex Patribus, qui senserunt Sacramenta sua virtute justificare, esto etiam Augustinus, ut Cochlæus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta, sibi ipsis sæpius pugnantium, pleraque humano sensu extra scripturas docentium.

Calvinus more suo ac suorum, Patribus, ubi exponi nequeũt, hyperbolen, sive superementientem adjectionem imputat. lib. 4. Inst. c. 14. §. ult. Fortè miseros illos Sophistas (Catholicos intelligit) deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur, quale est illud Augustini, quod *V. l. Sacramenta Salvatorem tantum promittebant; nostra verò dent salutem.* Has & similes dicendi figuras, cùm non adverterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt,

Ibid. c. 15. §. 20. ait, Quod multis ab hinc seculis, adeóque ab ipso Ecclesiæ exordio usu receptum video, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione defendi possit.

Beza *Epist.* 8. Mille ritus baptismo catechumenorum adjecerunt veteres placuit inungi, exorcismis & sufflationibus eripi ex Satanæ potestate, cereos accensos præberi.

Casaubonus *Epist. ad Cardinal. Peronium* p. 18. Rex profitetur necessitatem baptismi ex institutione divina, &c. *Et Exercit* 16. §. 52. Passim Patres Baptismum docent esse ad salutem necessarium ex ordinatione Domini.

Centuriatores *Cent.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. §. *de Baptismo*, Origenes & Cyprianus & alii Patres autores sunt, Apostolorum etiam tempore infantes baptizatos esse. Constat etiam ex Apostolorum scriptis, quod infantes à baptismo non excludantur. Nam dum locum circumcisionis Baptismum supplere Paulus docet Colos. 2. v. 11. æquè infantes atque adultos ad Baptismum admittendos Paulus indicat.

Cent. 2. *cap.* 6. *aiunt.* Autor responsionum apud Iustinum

R quæst.

quæst. 137. habet quædam de inunctione per oleum & unguentum. Qui ad eum morem alludit, quo baptizandi antequam baptizarentur, perungebantur oleo vereti; baptizati verò consignabantur unguento.

Et Clemens *Rom.* Epist. 3 *Baptizetur*, inquit, *unusquisque aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis invocato super se, perunctus primum oleo per orationem sanctificato.* Sed quia hæc Centuriatoribus non placent, autores sibi aiunt esse suspectos. Verum nobis esse non possunt, quibus tot alii veterum suffragatores adsunt.

Cent. 3 cap. 4. §. de baptismo. Nova, *aiunt*, opinione Tertullianus in serm. de Bapt. sensit. *Baptismum Ioannis nihil cœleste præstitisse, sed cœlestibus præministrasse.*

Cyprianus lib. 1. Epist. 12. *Oportet*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur abluere: quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, & adspergam super vos aquam mundam.* Ubi & hoc affirmare audet, *quod persona baptizans Spiritum S conferat, & baptizatum intus sanctificet.* Et ibid. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.*

Denique ibid. cap. 6. de ritibus Baptis. *inquiunt Centuriatores.* Porrò forma Baptismi eadem adhuc mansisse videtur, quam Christus instituerat. Primò enim baptizādus de symbolo interrogabatur ut: *Credis?* &c. Cypr. l. 1. Ep. 6. Deinde *renuntiabat Diabolo.* Tertul. de Cor. Postea *ter in aquam* mergebatur. Tertul. ib. Mersionem sequebatur *unctio*, *& manus impositio.* Tertul. lib. de Bapti. Et *signaculum Dominicum* Cypr. l. de hæret. rebapt. Meminit & *exorcismi* Epist. ad Quint. & *osculi* à Ministro dati lib. 3. Ep. 8 & Eusebio quoque l. 7. c. 25 colligi posse videtur, *Apostolorum nomina Liberis* baptizatis *imposita* fuisse &c. Hæc aliaque fusius hoc loco reperies: Nos brevitati studemus, neque iccirco ad sequentia transimus secula, longe illustrioribus scriptis distincta. Hæc æquo pudentique æstimatori antiquitatis sufficient.

ARTICULUS XXXVI.

AFfirmamus *a* sanctam cœnam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimoniū nostræ cum Domino nostro Jesu Christo unctionis; quoniam, non est duntaxat mortuus semel, & excitatus à mortuis pro nobis; *b* sed etiam verè nos

a 1. *Cor.* 10. *v.* 16. & 11. *v.* 20. b *Ioh.* 6. *v.* 56. 57. & 17. *v.* 11

nos pascit, & nutrit carne sua, & sanguine, ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. c Quamvis enim nunc sit in cœlis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum judicaturus : credimus tamen eum arcana & incomprehensibili Spiritus sui virtute, nos nutrire & vivificare, sui corporis & sanguinis substantiâ per fidem apprehensâ. Dicimus autem, hoc spiritualiter fieri, non, ut efficaciæ & veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus; sed potius, quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeò naturæ ordinem superet. Denique, quoniam, cum sit divinum & cœleste, non nisi fide percipi potest.

c *Marc.* 16. *v* 19. *Act* 3. *v*. 21.

ARTICULUS XXXVII.

CRedimus, sicut antea dictum est, tam in Cœna, quàm in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, verè & efficaciter donare, quidquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis conjungimus verã possessionem ac fruitionem ejus rei, quæ ibi nobis offertur. Itaque affirmamus eos, qui ad S. mensam Domini, puram fidẽ, tanquam vas quoddam adferunt, verè excipere, quod ibi signa testificantur. d Nempe corpus sanguinem Jesu Christi, non minus esse cibum, ac potum animæ, quàm panis & vinum sunt corporis cibus.

d *Ioh.* 6. *v*. 51. & 1. *Cor.* 11. *v*. 24.

ARTICULUS XXXVIII.

DIcimus itaque e elementum aquæ, quantum vis caducum, nobis nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem, in sanguine Jesu Christi, per S. Spiritus efficaciam. Itemque, panem illum, & vinum illud, quod nobis in cæna datur, verè nobis fieri spirituale alimentum, quatenus videlicet, velut oculis nostris, spectandum præbent, carnem Christi nostrum cibum esse, & ejusdem sanguinem nobis esse potum. Itaque fanaticos illos omnes rejicimus, qui hæc signa & symbola repudiant; cùm f Christus D. N. pronuntiarit. Hoc est corpus meum, & hoc poculum est sanguis meus.

e *Rom.* 6. *v*. 3. *Eph.* *v*. 26. f *Mat.* 2. *v*. 24.

§.I. Reformatio.

CRedimus Christum qui visibili specie *ascendit ad cœlos, sedens ad dexteram Dei*, a *usque ad tempus restitutionis omnium* b postea *apparuisse Paulo in via, qua veniebat Damascum* c & Jerosolymis capto *ubi adsistens nocte ei Dominus, ait, constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic oportet te & Romæ testificari* d Unde Paulus inquit, *visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: novissimè autem, tanquam omnium abortivo visus est & mihi.* e Sed & invisibilis, *ubi duo vel tres in ejus nomine sunt congregati in medio eorum est.* f imò in Ecclesia *nobiscum futurus est usque ad consummationem seculi* g

a *Marc.ult.* b *Act.* 3. c. *Act* 9. *v.* 17. d *Act.* 23. *v.* 11. e 1. *Cor.* 15. *v.* 8 f *Mat* 18. *v.* 20. g *Mat ult.*

Credimus itaque præsentem corpore nobis in Sacramento, de quo dixit Evangelista Lucas, *accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem: similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui* (calix τὸ ποτήριον) *pro vobis fundetur.* h Ita & Matthæus. *Cœnantibus illis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, accipite & comedite hoc est corpus meum: & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* i Hæc Marcus confirmans addit. & *biberunt ex illo omnes* l Paulus disertè stabilit. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam* D. J *in qua nocte tradebatur, accepit panem,* & *gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter* & *calicem postquam cœnavit, dicens: hic calix novum testamentum est, in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probat autem seipsum homo,* & *sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* m

Cre-

h *Luc.* 22. *v.* 19. i *Mat.* 26. *v.* 20. l *Mar.* 14. *v.* 25.
m 1. *Cor.* 11.

Credimus autem Christum non sola fide nostra, sed secundùm carnem hic verè suscipi, ipso apud Joannem teste. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (audiant Sacramentarii) *Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hic est panis, qui de cœlo descendit: non sicut manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum, &c. Hoc vos scandalizat? spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro.* n

n *Ioh. 6.*

Credimus Deum in sacramentis Ecclesiæ necessariis, non allegoricis tropicisq; passim verbis usum; sed vel propriis, vel clarè explicatis, ut in V. T. *Circumcidetis, ait, carnem præputii vestri, ut sit signum federis inter me, & vos.* Et sic de Agno. *Erit Agnus absque macula, masculus, anniculus, &c. immolabitque eum universa multitudo Israel ad vesperam, & sument de sanguine.* p *Hæc autem in figura facta sunt*, sicut *circumcisio fuit baptismi*, q *Agnus Christi immolati*, r *Manna quoque panis Eucharistici.* s

o *Gen.* 17. *v.* 11.
p *Ex.* 11. *v.* 6. q *Colos.* 2. *v.* 11.
r *Ioh.* 1. s *Ioh.* 6.

Ita & Baptismus in N. T. qui est, *baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* t *Confirmatio*, u *extrema unctio*, x aliaque, ut infra videbimus, clarissimis verbis instituta sunt, uti Paulus quoque de corpore & sanguine Christi in cœna agnoscit. *Vobis*, inquit, *prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico: calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* y

Nempe tunc impletum est votum *virorum tabernaculi Iob. quis det nobis de carnibus ejus, ut saturemur!* z

t *Mat. ult.* u *Act.* 8. *v.* 17.
x *Iac.* 5. *v.* 14 y 1. *Cor.* 10.
z *Iob.* 31. *v.* 31.

tur unusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus S. vobis enim est repromissio (nec solis tantùm) *sed & filiis vestris.* Si igitur, & his facta promissio, quis dubitet implendam? In adultis fides & pœnitentia prævia est, in pueris baptismum comitatur. Et quis præterea ambigat, de infantibus per Baptismum Dei populo aggregandis, quando circumcisionis Sacramentum, quod Baptismi figura fuit, octavo vitæ die iisdem collatum novimus? Imago hæc opinor, de corporis exhibiti præsentia ac necessitate nos instruet; præsertim, quando in neglectu æterna salus periclitatur. Et verò, si quod esset dubium, via tutior foret eligenda.

Hærent hic implicati Protestantes. Lutherani actualem fidem & quos nescio, cum Joanne Baptista, pios motus, in pueris ratione carentibus, requirunt; sed quis illis paria huic promittat, de quo dictum, *inter natos mulierum non surrexit major?* Calviniani parentum sufficere fidem credunt (quam nos prodesse, ob futuram instructionem, sentimus) infantibus; sed fidem non merentur: quando, ut supra tradidi, aliena nemo fide potest justificari ac salvari; non, opinor, magis, quàm alieno cibo saturari.

Quæ ad ritum celebrandi jam olim Baptismi, temporibus Apostolicis, attinet, quædam supra art. 33 § 3. observata reperies, ut appareat, jam tum extra S. Scripturam Apostolicas *ordinationes* in Ecclesia receptas, *ad honestam decentemque* Sacramentorum administrationem, fuisse. His verò refragari velle, erit Apostoli promissionem infringere.

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ Patres Baptismi efficaciam, & necessitatem, semel illis debiti, cum ritu ministrisque suis agnoverunt.

1. Nunc orthodoxæ Ecclesiæ Patres ex S. literis, tam de expiatione plena scelerum, quàm infantum consanatione, per baptismum, sententiam pronuntient.

S. Martialis ad Tholosanos cap. 1. *Estis membra Christi, & corpus immaculatum, nec aliqua in re inquinatum.* Jam enim sanctificati, & mundati estis aqua regenerationis 1. Cor 6.

Clemens Alexand. l. 1 Pædag. c. 6. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur*: Ego, *inquit*, dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. *Ps.* 81. *Multis autem modis vocatur hoc opus*: gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. *Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur, &c.*

Orige-

Origenes homil. 14 in Luc. *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel, quo tempore peccaverunt? aut, quomodo potest ulla lavacri ratio subsistere in parvulis, nisi juxta illum sensum, de quo ante diximus:* nullus mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? *Et quia per Baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli:* nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poterit intrare in regnum cælorum. *Ioh.* 3. Idem tradit in cap. 6. ad Rom.

Cyprianus Epist. 59. vel ut alia habet editio, lib. 3. Ep 8. *Quantum ad causam infantium attinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos, baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ,* ut intra octavum diem eum qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares, Gen. 17. *Longè aliud in concilio nostro omnibus visum est, universi judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio dicat,* Luc. 9. filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, *quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est, &c. Esse denique apud omnes sive infantes, sive majores natu unam divini muneris æqualitatem, declarat nobis divina scriptura fides,* cum Helisæus super infantem Sunamitis viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita se, Deum deprecans, superstravit; ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis parvuli membris, & pedes pedibus jungerentur, &c. 4. *Reg.* 4.

S Ambrosius lib 2. de *Abrah. cap.* 11. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei. *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Habeant illi apertam pœnarum immunitatem: nescio an habeant regni honorem.*

S. Gregorius Nazianz. Orat 40. in S. Baptisma. *Quid de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, siquod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & obsignatione abscedere.* Atque hujus rei nobis est ratio, circumcisio die octavo peragi solita (Gen. 17. v. 12.) *quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis expertes erant, offerebatur.*

S Hieronymus Dial. 3. *contra Pelag.* cap. 6. Regnavit mors ab Adam usque Moysen, etiam in eos, qui non peccarunt, in simili-

similitudinem prævaricationis Adam, qui est forma futuri Rom. 5 *Qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur, qui ejus ætatis est, qua potest sapere, & alieno, & suo,* (si peccavit) *Christi sanguine liberatur*

S. Chrysostomus ad Neophytos, sive de Baptizatis. *Sacerdos ab infirma ætate exigit pacta conventa, & assensiones, & minoris ætatis fidejussorem accipit susceptorem, & interrogat.* Renuntias Satanæ? &c. Item Dom. *de Adam & Eva* exorcismos consuetos fuisse asserit, & hunc parvulos baptizandi morem Ecclesiam ubique diffusam tradit celebrare.

S. Augustinus Epist. 28. ad Hieron. *Quisquis,* inquit, *dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. Qui autem non vivificatur in Christo, restat, ut in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus Rom. 5* per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, &c. Idem disertè ostendit Epist. 89.

Sic de peccat. meritis & remiss. lib. 3. c. 12. expendens illa Pauli 1. Cor. 7. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. *Sine dubitatione,* inquit, *tenendum, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana institutione & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Et lib. 2. *cap.* 25. Circumcisionem respiciat, quæ semel fiebat *Gen.* 17. *& tamen in singulis sigillatim fiebat. Sicut ergo tempore illius Sacramenti de circumciso qui nasceretur, circumcidendus fuit; sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est.* Vide cap. 26. quoque. Et lib. 1. cap. 27. de illo *Marci* 16. qui non crediderit condemnabitur. *Quis,* inquit, *nesciat, credere infantibus esse baptizari; non credere autem non baptizari* Vide plura cap. 23 ibid.

II. Iterandum verò baptismum non esse, idem tradit.

D. Augustinus tract. XI. in Joannem. *Rectè,* inquit, *intellexit Nicodemus Nativitatem carnis. Sic & tu intellige Nativitatem Spiritus: Quicunque tibi dixerit, ut spiritualiter iterum nascaris:*

responde,

responde, quod dixit Nicodemus Nunquid potest homo iterum in ventrem matris suæ intrare, & nasci? *Ioh.* 3. *Iam natus sum de Adam . non potest me iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo : non potest me iterum generare Christus.* Vide eundem de Baptismo contra Donatist. lib. 2. cap. 4. ex Joannis 13. probantem. *Qui lotus est, &c.*

S. Ephrem jam olim idem tradiderat. tom. 3. *de Pœnit. ante finem Contra hæreticos negantes lapsis pœnitentiam.* Sic disserit. *Paulus*, dicitis, *ait* Impossibile esse, eos, qui semel illuminati sunt, rursus renovari ad pœnitentiam , rursumque crucifigere sibimetipsis Christum & transgressores recipi. *Heb.* 6. *Non de pœnitentia id Paulus dixit, verùm de secundo Baptismate; quod iterum baptizari sit eum impossibile, qui semel in Christo baptizatus est, quoniam idem ait Apostolus* Quicunque in Christo baptizati sunt, in morte ejus baptizati sunt. *Rom.* 6. *Vna est crux, unum est etiam Baptisma. &c.*

III. Per ministrum quemcunque, etiam hæreticum & profanum hominem, baptismum validè conferri, iidem Patres ex S. literis tradunt.

D. Augustinus Tract. 5. in Evang. S. Joannis. *Sint*, inquit, *ministri justi, si volunt ; si autem noluerint esse justi*, qui Cathedram Moysi sedent , *securum me fecit Magister meus, de quo Spiritus ejus dixit :* Hic est qui baptizat *Ioh.* 1. *&c. Baptisma quod datum est à Iuda, Christi erat. Dedit Iudas , & non baptizatum est post Iudam .* dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem. *Act.* 19. *Quia qui datus est à Iuda baptismus, Christi erat : qui autem à Ioanne datus est, Ioannis erat.* Et lib. 4. contra Donat. *Si per vim Sacramenti Dei avarus dimittit peccata ; etiam Hæreticus : si per meritum suum ; nec ille, nec iste.* De laicis idem tradit August. ad Fortunatum. D. Hieronym. contra Lucifer. cap. 4. De pueris quoque Baptizantibus se invicem, quem Baptismum Alexander Episcopus Alexandr. cum Concilio Clericorum probarit, scribit Ruffinus in hist. Eccl. lib. 1. c. 14. & Sozomenus lib. 2. c. 16.

Tertullianus jam olim idem in Ecclesia receptum, tradidit de Bapt. c. 17. *Dandi Baptismi etiam laicis*, inquit *jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest : nisi Episcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes :* Domini sermo non debet abscondi ab ullo *Psal* 39. *v.* 11. *Proinde & Baptismus æquè Dei census ab omnibus exerceri potest, &c. quanquam ,* omnia licere *dixit Sanctiss. Apostolus*; sed non omnia expedire. 1. *Cor.* 6.

Suffi-

Sufficiat *scilicet in necessitatibus, ut utaris.* Ita ille. Et certè, necessitas legem non habet.

Neque Apostolis eorumque successoribus magis baptizandi munus adstringitur Matt. ult quàm docendi, cùm dictum. *Euntes docete, baptizantes, &c.* ut igitur ab alio quovis laico rectè etiam instructio in doctrina fidei excipitur, cum sacerdos deest, ita & baptismus. Et sanè si hæretici, qui legitimè missi in Christi nomine non sunt, Baptismum queant impertiri, quid ni alii quicunque laici queant? Calvinistæ itaque hic non minus, qui laicos ab hoc munere rejiciunt, quàm Anabaptistæ, qui solos admittunt sanctos, jure sunt corrigendi.

IV. Ritus ceremoniasque Romanæ Ecclesiæ circa Baptismum, jam olim SS. Patres in Ecclesia observarunt.

S. Dionysius Areopagita c.2. hierarch. Eccles. Exemplum ab Episcopo baptizati exponit, & hæc in ceteris. *Contestatur,* inquit, *ei,* oportere ex integro totoque corde ad Deum accedere, per cuncta perfectum & immaculatum. *Heb. 6. Tum divinæ quoque conversationis ac vitæ illi explicans rationem, an ita deinceps velit vivere, sciscitatur. Quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit ejus capiti manum, consignansque illum, Sacerdotibus mandat, ut virum susceptoremque describant &c. Insufflare illum ter Satanam jubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri. Et cum illum Ministri exuerint, deferunt Sacerdotes sanctum unctionis oleum. At verò Pontifex trino S. Crucis signaculo unctionem inchoans, inungendum jam Sacerdotibus toto corpore hominem tradit, ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, ejusque aquas S. prece ac invocatione sanctificans, terque in eas ad Crucis effigiem sanctissimum fundens unguentum, &c. trina illius mersione & emersione tres beatitudinis divinæ personas inclamans, &c.* Subjicit deinde omnium rituum explicationem mysticam.

Similia Clemens Rom. in Epist. 3. *ad universos* tradit. Tertul. de corona mil. c. 3. Cyprianus Epist. 70. ad Januar. Basilius de Spiritu S. c. 27. Chrysostomus in hom. de Adam & Eva. Cyrillus Jerosolym. in Catech. 1. 2. 3. & 4. Mystag. Ambrosius lib. 1 de Sacr. cap. 1. Et qui Myster. initiantur cap. 1.

D. Augustinus concludat de Nupt. & Concup. lib. 2. cap. 29. *Exorcizantur, vel, ut dixi exsufflantur parvuli,* ut in regnum Christi, à potestate tenebrarum *hoc est diaboli & Angelorum ejus eruti* transferantur Colos. 1. v. 3. Vide de chrismate, signo Crucis, aliisque ceremoniis eundem Tract. 33. & 118. in Joannem.

§. IV.

§. IV. Protestantes sensum veteris Ecclesiæ de Baptismo sat apertè profitentur.

PRotestantes facilè agnoscunt Patres de Sacramentorum gratia, usu, ritu q; sibi adversari, ideoque veterem orthodoxamque Ecclesiam, (sed nævis suis, ut aiunt, laborantem) deserunt.

Lutherus *lib.* 1. contra Cochlæum ait. Quod si qui sunt ex Patribus, qui senserunt Sacramenta sua virtute justificare, esto etiam Augustinus, ut Cochlæus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta, sibi ipsis sæpius pugnantium, pleraque humano sensu extra scripturas docentium.

Calvinus more suo ac suorum, Patribus, ubi exponi nequeūt, hyperbolen, sive superementientem adjectionem imputat. lib. 4. Inst. c. 14. §. ult. Fortè miseros illos Sophistas (Catholicos intelligit) deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur, quale est illud Augustini, quod *V. l. Sacramenta Salvatorem tantum promittebant; nostra verò dent salutem.* Has & similes dicendi figuras, cùm non advertérent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt,

Ibid. c. 15. §. 20. ait, Quod multis ab hinc seculis, adeòque ab ipso Ecclesiæ exordio usu receptum video, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione defendi possit.

Beza *Epist.* 8. Milleritus baptismo catechumenorum adjecerunt veteres placuit inungi, exorcismis & sufflationibus eripi ex Satanæ potestate, cereos accensos præberi.

Casaubonus *Epist. ad Cardinal. Peronium* p. 18. Rex profitetur necessitatem baptismi ex institutione divina, &c. *Et Exercit* 16. §. 52. Passim Patres Baptismum docent esse ad salutem necessarium ex ordinatione Domini.

Centuriatores *Cent.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. *§. de Baptismo*, Origenes & Cyprianus & alii Patres autores sunt, Apostolorum etiam tempore infantes baptizatos esse. Constat etiam ex Apostolorum scriptis, quod infantes à baptismo non excludantur. Nam dum locum circumcisionis Baptismum supplere Paulus docet Colos. 2. v. 11. æquè infantes atque adultos ad Baptismum admittendos Paulus indicat.

Cent. 2. *cap.* 6. *aiunt.* Autor responsionum apud Iustinum

quæst.137.habet quædam de inunctione per oleum & unguentum. Qui ad eum morem alludit, quo baptizandi antequam baptizarentur, perungebantur oleo veteri; baptizati verò consignabantur unguento.

Et Clemens *Rom.* Epist.3 *Baptizetur*, inquit, *unusquisque aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis invocato super se, perunctus primum oleo per orationem sanctificato.* Sed quia hæc Centuriatoribus non placent, autores sibi aiunt esse suspectos. Verum nobis esse non possunt, quibus tot alii veterum suffragatores adsunt.

Cent.3 cap.4.§.de baptismo. Nova, *aiunt*: opinione Tertullianus in serm.de Bapt.sensit. *Baptismum Ioannis nihil cæleste præstitisse, sed cœlestibus præministrasse*

Cyprianus lib.1.Epist.12. *Oportet*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur abluere: quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, & adspergam super vos aquam mundam.* Ubi & hoc affirmare audet, *quod persona baptizans Spiritum S conferat, & baptizatum intus sanctificet.* Et ibid. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.*

Denique ibid.cap.6. de ritibus Baptis. *inquiunt Centuriatores*. Porrò forma Baptismi eadem adhuc mansisse videtur, quam Christus instituerat. Primò enim baptizādus de symbolo interrogabatur ut: *Credis?* &c. Cypr.l.1. Ep.6. Deinde *renuntiabat Diabolo*. Tertul. de Cor. Postea *ter in aquam* mergebatur. Tertul. ib. Mersionem sequebatur *unctio, & manus impositio*. Tertul.lib.de Bapris. Et *signaculum Dominicum* Cypr.l.de hæret.rebapt. Meminit & *exorcismi* Epist.ad Quint.& *osculi* à Ministro dati lib.3.Ep. 8 & Eusebio quoque l.7.c.25 colligi posse videtur, *Apostolorum nomina Liberis* baptizatis *imposita* fuisse&c. Hæc aliaque fusius hoc loco reperies: Nos brevitati studemus, neque iccirco ad sequentia transimus secula, longe illustrioribus scriptis distincta. Hæc æquo pudentique æstimatori antiquitatis sufficient.

ARTICULUS XXXVI.

AFfirmamus *a* sanctam cœnam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimoniū nostræ cum Domino nostro Jesu Christo unctionis; quoniam, non est duntaxat mortuus semel, & excitatus à mortuis pro nobis; *b* sed etiam verè nos

a 1.*Cor.*10.*v.*16. & 11.*v.*20. b *Ioh.*6.*v.*56.57. & 17.*v.*11

nos pascit, & nutrit carne sua, & sanguine, ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. *c* Quamvis enim nunc sit in cœlis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum judicaturus: credimus tamen eum arcana & incomprehensibili Spiritus sui virtute, nos nutrire & vivificare, sui corporis & sanguinis substantiâ per fidem apprehensâ. Dicimus autem, hoc spiritualiter fieri, non, ut efficaciæ & veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus; sed potius, quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeò naturæ ordinem superet. Denique, quoniam, cum sit divinum & cœleste, non nisi fide percipi potest.

c *Marc.* 16. *v* 19. *Act* 3. *v.* 21.

ARTICULUS XXXVII.

CRedimus, sicut antea dictum est, tam in Cœna, quàm in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, verè & efficaciter donare, quidquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis conjungimus verã possessionem ac fruitionem ejus rei, quæ ibi nobis offertur. Itaque affirmamus eos, qui ad S. mensam Domini, puram fidẽ, tanquam vas quoddam adferunt, verè recipere, quod ibi signa testificantur. *d* Nempe corpus sanguinem Jesu Christi, non minus esse cibum, ac potum animæ, quàm panis & vinum sunt corporis cibus.

d *Ioh.* 6. *v.* 51. & 1. *Cor.* 11. *v.* 24.

ARTICULUS XXXVIII.

DIcimus itaque *e* elementum aquæ, quantum vis caducum, nobis nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem, in sanguine Jesu Christi, per S. Spiritus efficaciam. Itemque, panem illum, & vinum illud, quod nobis in cæna datur, verè nobis fieri spiritualem alimentum, quatenus videlicet, velut oculis nostris, spectandum præbent, carnem Christi nostrum cibum esse, & ejusdem sanguinem nobis esse potum. Itaque fanaticos illos omnes rejicimus, qui hæc signa & symbola repudiant; cùm *f* Christus D. N. pronuntiarit. Hoc est corpus meum, & hoc poculum est sanguis meus.

e *Rom.* 6. *v.* 3. *Eph.* *v.* 26. f *Mat.* 2. *v.* 24.

Credimus autem Christum non sola fide nostra, sed secundùm carnem hic verè suscipi, ipso apud Joannem teste. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (audiant Sacramentarii) *Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hic est panis, qui de cœlo descendit: non sicut manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum, &c. Hoc vos scandalizat? spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro.* n

n *Ioh.* 6.

Credimus Deum in sacramentis Ecclesiæ necessariis, non allegoricis tropicisq; passim verbis usum; sed vel propriis, vel clarè explicatis, ut in V. T. *Circumcidetis, ait, carnem præputii vestri, ut sit signum federis inter me, & vos.* Et sic de Agno. *Erit Agnus absque macula, masculus, anniculus, &c. immolabitque eum universa multitudo Israel ad vesperam, & sument de sanguine.* p *Hæc autem in figura facta sunt*, sicut *circumcisio fuit baptismi*, q *Agnus Christi immolati*, r *Manna quoque panis Eucharistici.* s

o *Gen.* 17. *v.* 11.
p *Ex.* 11. *v.* 6. q *Colos.* 2. *v.* 11.
r *Ioh.* 1. s *Ioh.* 6.

Ita & Baptismus in N. T. qui est, *baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* t *Confirmatio*, u *extrema unctio*, x aliaque, ut infra videbimus, clarissimis verbis instituta sunt, uti Paulus quoque de corpore & sanguine Christi in cœna agnoscit. *Vobis*, inquit, *prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico: calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* y

Nempe tunc impletum est votum *virorum tabernaculi Iob. quis det nobis de carnibus ejus, ut saturemur!* z

t *Mat. ult.* u *Act.* 8. *v.* 17.
x *Iac.* 5. *v.* 14 y 1. *Cor.* 10.
z *Iob.* 31. *v.* 31.

§. II. Observatio.

HIc Lydius est lapis, ad quem integritas Protestantium in scripturarum S. interpretatione exploratur. Quos ut paucis de suis erroribus instruam, duo principia, ab ipsismet admissa, in mentem revocabo.

I. Nunquam in S. literis, quæ pro regula ultima fidei esse debent, à proprio & literali sensu esse recedendum: nisi aliquis receptus fidei articulus cum tali sensu pugnet. Si enim ratione solâ contra sensum scripturæ proprium niti liceat, nulla potest esse regulæ hujus esse certitudo major, quàm sit rationis, imò ratio hominis, non scriptura, erit ultima fidei regula.

II. Qui proprium scripturæ sensum, ad alium improprium transfert, ut certos nos de veritate reddat, tenetur ex alia scriptura S. ostendere, hunc quem vult sensum, non solum esse possibilem, verùm etiam hoc loco necessarium: sive, non tantùm sic posse, sed omninò debere intelligi, v.g. *hoc est corpus meum*, non aliter intelligi debere, quàm *hoc significat corpus meum*. Nam etsi ostendat, sic posse intelligi, nos tamen incertos de veritate relinquet. cùm Claudius Sainctes in Tract. de Euch. octoginta quatuor diversas expositiones ejus loci ex Adversariorum scriptis proponat. Quando igitur ad solam scripturam judicem provocant, quam diu non demonstrant ex verbis & sententia illius, quis istorum sensuum solus sit necessarius, nihil agunt, nisi λογομαχεῖν. Proprio autem sensui semper insistendum est, dum improprius, sicut dixi, probetur.

Jam verò has leges, quas ipsimet, sibi fixerunt, ut ex parte 1. Concord. Med. constat, ab adversariis in exponenda prædicta scriptura S. nequaquam impleri, manifestum est. Nam ex lege prima, nullum è symbolo, aut scriptura S. dictum fidei promunt articulum, qui proprium istorum verborum: *hoc est corpus meum*, sensum evertat, aut à recepta Ecclesiæ Romanæ sententia deflectat; sed lubricas tantùm, & fallaciæ obnoxias (ut nec ipsi diffiteri possunt) ratiocinationes. Nam, ut ille articulus symboli: *Sedens ad dextram Patris* &c. stat cum illa veritate, quod *Paulo Christus apparuit in via*; ita etiam cum illa stare potest, quod *Christus in ara Sacerdoti sub specie panis & vini sistatur*. Quod quò minus ratio capit, eò ... fide materies. Quia apud Deũ *non erit impossibile omne verbum*, quod ipse locutus est. *Luc.* 1. vers. 37. quando etiam *camelum per foramen acus transire*, *licet apud homines impossibile sit, possibile tamen est apud Deum* Luc. 18.

An

An capiunt, quemadmodum clausis ostiis ad discipulos Christus intravit? Joan. 20. v. 19. & 26. an capiunt, quomodo Deus trinus sit in personis, unusque in substantia? quomodo Deus homo, & homo Deus factus sit? Imò, leviora sciscitabor, cum Augstino, capiuntne quemadmodum flos pulcherrimus, ex putri gleba formetur, quemadmodum sol in cœlo suis in terra versetur radiis, oculus unus tot rerum imagines colligat? Quæro, suumne capiant animum? totusne, an pars una in pede? sapiatne illic, an ignoret omnia? Pudori hominem, qui nec pulicis naturam penetret, judicare velle, an sub panis & vini accidentibus se possit Christus præsentem sistere? simulne, & in cœlis manere, & in terras se possit effundere? Quid est fides, nisi credere quæ non vides? Si quæ intelligimus tantùm credimus, jam scientia cum fide confunditur, *fides evacuatur*. Nulla igitur ex hoc capite ratio est à proprio scripturæ sensu, in re tam ardua, deflectendi. Ubi quidquid demum controvertatur, tutissimum erit, *in captivitatem redigere intellectum ad obsequium Christi* 2. Cor. 10. Ille *qui dixit, &* ex nihilo *facta sunt* omnia, in hoc etiam Sacramento quæ dixit, est effecturus.

Porrò licet nulla ad probandum sensum proprium ratione teneamur, sed improprius antè adversariis sit demonstrandus: tamen tot argumenta sunt pro hac veritate pugnātia, quot ante sunt ductæ è scriptura S. lineæ. Non immorabor singulis, strictè tantum nonnulla percensebo. Credimus eundem Christum simul ad dexteram Dei sedere in cœlis, & visibilem *apparuisse Paulo* in terris Act. 9. & 23. invisibilem quotidie interesse cœtui in *suo nomine* congregato Mat. 18 & ult. idque in illa, quâ nobiscum vixit, carnis substātia & persona, de qua abiens dixit: Mat. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Quibus scripturis & exhibitam & promissam illius tā in cœlis, quā terris habemus præsentiā, idq; in locis simul pluribus, quæ sive per reproductionē, sive adductionē facta sit, non est credentis scire: satis est hujus facti Deum nos habere, & testem, & autorem, qui cum possit facere, quæ non sunt, quid ni possit replicare quæ sunt? Hæc verò in cœna præstitisse, cum dixit, sumpto pane: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*: & sumpto calice; *Hoc est poculum sanguinis mei quod pro vobis effunditur*, ambigere nec possumus, nec debemus, quando uno ore id omnes Evangelistæ, verbis nusquam metaphoricè expositis, atque in re tanta, quanta est salus nostra hoc Sacramento nixa, exponunt. Et Christus apud Joannem clarius humana voce loqui hac in re non

 potuit,

potuit, quàm obmurmurantibus Judæis sanctè affirmando: *Amen dico vobis, Caro mea verè est cibus, & nisi manducaveritis Carnem filii hominis, non habebitis vitam.* Quod licet, ita exponeret, ut diceret; *Caro non prodest,* ad carnis scilicet nostræ nutrimentum, & vitam corporis, sed *spiritus est, qui vivificat,* animum videlicet, per alimentũ divinæ charitatis & gratiæ: tamen *manducationem carnis* Christi, utiq; tanquã *veri cibi,* præsentis manifestè requirit. Ut mirum sit, hominẽ esse scripturæ S. & Dei reverentem, qui hanc *manducationem* negare ausit; aut tam perversè loqui, ut hanc manducationem fide, non ore fieri asserat. Dicant Calviniani: Christum verè nobis adesse, non tantũ in signis panis viniq; sacramentaliter (ut ZWinglius) sed corporis & sanguinis sui substantia fide apprehensam nobis, incomprehensibili licet modo, uniri; & sic nos fide illum manducare, Christumq; verè, sed spiritualiter, sua nos carne pascere ac nutrire. Quæ scriptura hæc commenta complectitur? quid fides aliud potest, quàm ut solùm mentis cogitatione, conceptuque, atq; idea rem sistat præsentem? Quis dicat cibum aurumve, quod apud Indos est mente conceptum, me vel pascere, vel ditare in Europa posse? quis me comedere, quando escam fide apprehendo? Et quomodo hæc asserunt, quod ipsi Calvinistæ, ut incomprehensibile, mente nunquam complexi sunt? Audentne, pro veritate, extra S. scripturam affirmare, quod nec cogitatu quidem ipsis licuit assequi? Apage tam manifestis deliriis.

Sed fortè cum S. scriptura loquuntur, illiq; hanc præstant reverentiam, ut malint non intelligere quid dicant, quam non credere. Ita præ se ferunt, sed ex obscuris clara illustrare loca volũt, & lucẽ quærunt in tenebris. *Patres nostri* aiunt ex Paulo 1 Cor. 10 *omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundẽ potum spiritualẽ biberunt. (bibebant autem de spirituali consequente eos Petra, Petra autẽ erat Christus)* Unde sic arguunt. Si eandem spiritualem escã Patres *nobiscum* sumpserunt, neq; aliter, quam vera fide præsentem Christum (qui in carne nondum natus erat) potuerunt sumere, constat nos quoque ita præsentẽ manducare, cum eandẽ mãducemus escã. Cõfirmãt ex August. qui Tract. 26 in Joh. docet, quod *eandẽ quã nos escã spiritualem mãducarint; licet specie visibili, aliud illi, aliud nos; tamen hoc idem significante virtute spirituali.* Quid? *quod caro non prosit quicquã,* sed *tantũ spiritus & vita,* Imò fœdũ sit, illã, ne dicã horrendũ, sumere. *quod enim intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Mat. 15. Quare satis erit *Christũ per fidẽ habitare in cordib⁹ nostris* Ep. 3. v. 17

His

His umbris suum errorem obtegunt. Verùm, quamvis scripturæ tantum de esca Patrum illorum loquatur, qui *sub nube* fuerunt, tamen, ut demus cum Augustino, eàndem Patres nobiscum escam sumpsisse, quòd tam illorum manna & aqua de petra, quàm panis viniquè apud nos figura corpus sanguinemq; Christi significarint, tam illi, quàm nos in Christum crediderint, utrique etiam de gratia Christi participarint, nihilominus re sacramenti distamus plurimum. *Aliud*, inquit idem August. lib. 2. contra lit. Petil. c. 37. *est pascha, quod Iudæi de ove celebrant; aliud quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Nos signum & signatum, fide & re; illi signum cum sola fide: eandem igitur utrique *spiritualem*; (vel ut August. *significante virtute spirituali*) *escam*: non eandem realem, *Petra* illos *consequitur*, nos comitetur. Nos habemus *panem de cœlo vivum*: illi manna mortuum. Joh 6.

Ceterùm *non prodesse carnem* Christi, ad nos (ut solet) in carne nutriendos, libenter fatemur; non prodesse ad spiritum charitatis, sua præsentia ratòque hoc amoris indicio & consociatione inflammandum, hoc vel lapides, si sentiant, negaverint. Cogitatio *de secessu* porcorum est, non hominum. Multa *in os eunt*, quæ in secessum non abeunt, sed cor, sanguinem, carnem, nutriunt. Et verò quid ni Christus esse possit illic, ubi Deus est? an sol in sordibus inquinatur? Nos tamen speciebus in stomacho consumptis, illic quoque Christum abesse sentimus, quanquam mentaliter fide viva creditus, etiam extra omne sacramentum *in cordibus nostris* habitare possit, sed quid in his obsecro locis, de incomprehensibili modo, quo nos per substantiam corporis sui, fide apprehensam, verè nutriat?

Declaratur nostra veritas ex ipsis institutionis sacræ verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, panis autem, vel apprehensus in mente Christus, seu expressa ipsius idea, pro redemptione nostra oblata non sunt, sed ipsum Christi corpus. Iterum, *hoc est poculum, novum testamentum in sanguine meo, quod pro vobis effundetur*, manifestè indicat non vinum, sed verum Christi sanguinem, neque hunc, ut fide apprehensum, sed ut ipsum fidei nostræ objectum, hoc in poculo fuisse, cùm aliud nihil pro salute nostra effusum est. Adde quod *novum testamentum* non fuerit in vino, aut symbolo sanguinis, sed ipso Christi sanguine sancitum. Postremò quid disertius à Paulo dici potuit, quàm quod *manducans* hunc panem *indignè, reus sit corporis Domini*, neque *corpus* illud *dijudicet*? si corpus Domini in hoc cibo violatur, si dijudicandum in illo est, quomodo potest abesse? aut, si in signo

tantùm violatur, caveant sibi quotquot Christi imagines proscribunt è templis improbeque dilacerant; quia Judæis crucifixoribus accensendi sunt, si deinde in signo corpus Christi dijudicandum est, idololatriæ damnandi non sunt, quotquot, ligneam etiam Christi effigiem pro Christo adorant; quia in signo rem dijudicant, ac venerantur. Hæc strictim Protestantibus suggero ruminanda.

Instant. J. Christus *benedixit ac fregit panem*, de quo dixit, *accipite & comedite hoc est corpus meum*, panis autem, vel tanquam continens dici potest corpus, uti vas aliquod vinum appellatur, & sic Lutherus triumphat: velut signum e.g. imago Cæsaris Cæsar dicitur, & sic Zvvinglius Calvinusq; superat; iterum post consecrationem, tam corpus, quàm sanguis Christi, adhuc panis vinumque appellantur, imò Christus ipse sumpto calice de *genimine vitis* se ait bibere, Mat. 26. quem proprium hausisse sanguinem nemo senserit. Denique voluit sumi ab aliis *in sui commemorationem*, quod præsentem in his signis non fuisse indicat: cum absentium fiat memoria, ideóque & Paulus dicat mortem Domini annuntiabitis, *donec veniat*. Postremò demonstrativum pronomen *Hoc*, non potuit aliud designare, quam panem, qui & subjectus erat discipulorum oculis, & ante consecrationis verba Christi manibus tenebatur.

℟. Ut hæc certius assequaris, pone, Christũ in nuptiis Canæ acceptam eo modo aquam benedixisse: dicendo: *accipite & bibite, hoc est vinum*. Quero, rectén Christi verba, eo quo asseris sensu interpretari possis, præsertim, si alias dixisset, aquam verè vini potum fore? Non opinor equidem. Quare disquirere, quis *esse* hic sensus *possit*, frivolum est, cum quis *esse debeat*, sit demonstrandum, quanquam, cùm nec panis ex natura sua, ut vas ad continendum, nec ut imago ad significandum destinatus sit, non intelligam, quemadmodũ hæc illi significatio etiam competere possit. Benedixit, ut fatemur, panem; jussit verò accipere & comedere *hoc*, quod subjungebat, nempe *corpus suum*. uti patet, si in Cana dixisset, *bibite, hoc est vinum*, nam tò *hoc* absolutam spectabat sententiam, quæ nisi in fine haberi non poterat. Unde etiam manifestum est, per *hoc* non minus debere hic designari corpus, quam illic vinum. &, sicut in hac propositione, de aqua Canæ transubstantiata, *hoc est vinum*, aliqua indeterminatè substantia principio signatur, quæ & aquam desinentem, & vinum incipiens complectitur; tamen in fine dictionis ad solum vinum significandum determinatum pronomen *hoc* est:

ita

ita quoque in præsenti rem habere necesse est; adeóque transubstantiationem veritas propositionis illius, *hoc est corpus meum,* tam certò infert, quam compertū est, idem non posse aliud, sive, *hunc panem, hoc corpus Christi* dici. Porrò, quod post consecrationem, de corpore & sanguine Christi, adhuc panis vinique usurpantur nomina, mirum non est; cùm res hæc sit in mutatis corporibus usitata, & antecedenter panis vinumque hic fuerit, ac species etiamnum maneant, & Christus ipse hoc tropo hic ulus sit, ut *panem se vivum* appellaret, *vitemque veram*. Quare & Paulus 1. Cor 10. *calicem* hunc vocat *communicationem sanguinis Christi*, & *panem* quem frangimus *participationem corporis Domini*, ut intelligas vinum panemq; in sanguinem corpusque Christi versum hic nobis exhiberi. Aliàs Christum non bibisse ex calice consecrato post cœnam, sed sub ipsa cœna, Lucas, idem cum Matthæo narrans, exponit; sed nec hic, nisi de vino alio præsente, & potu ante facto loqui cōvincitur. Ad commemorationem quod attinet, hæc etiam præsentis Dei atque in oculos non incurrentis meritò instituitur, dum aliquando visibilis appareat, quo tamen argumento si quid vincerent, suam quoque ex fide præsentiam Calvinistæ destruerent. Sed frustra ejusmodi conjecturis immoramur, quando constat adversarios nullibi admissis supra regulis posse satisfacere. Juvabit Patres ex Scriptura S. arguentes audire.

§III. Primevæ Ecclesiæ cōstans, de reali Christi præsentia & transubstantiatione sensus, ex hæresum conflictu, & S. Scripturæ expositione cognitus.

VEterem primorum seculorum Ecclesiam, juxta hodiernum Romanæ Ecclesiæ sensum, de Eucharistia statuisse, nec realem tantummodo præsentiam Christi, sed & panis substantialem agnovisse mutationem, adorationemque in hoc Sacramento Christo debitam, non tantùm Patres, sed & hæreses subnatæ, damnatæque constanter ab Ecclesia indicant.

S. Ignatius Martyr *in Epist. ad Smyrnenses*, juxta vetusta Exemplaria (quale adhuc Florentiæ est in bibliotheca Medicæa, teste Turriano) de sacr. Euch. sic habet, de Simone Mago ejusq; asseclis, *Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro*

pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. Qui igitur contradicunt dono Dei, altercantes intereunt. Eadem ex Ignatio citat Theodoretus D.al.3. ut pateat Sacramentarios ex recentioribus editionibus eliminasse.

In secunda ætate Gnostici improbè, rejecto pane vinoque, carnem infantis pistillo contusam, pro carne Christi, in hoc sacramento usurpabant. De quibus clemens Alex. l.3. Strom. & Epiph. hæresi 26. S. August. hær. 6. His Cataphryges & Montanistæ accedunt, qui sanguinem infantis miscebāt, ut Epiph hær. 48. & Aug. hær. 26. Quos nemo de existimatione præsentis carnis & sanguinis; sed de materia malè adhibita omnes arguunt.

In tertia ætate Paulus Samosatenus à Dionysio Alexand. in Epistola (quæ habetur Tom. 2. auctarii biblioth. & cujus meminit D. Hier. de script. Eccl.) quadam perstringitur, *quod corpus & sanguinem Christi doceret in Eucharistia corruptibilia esse; eò quod dicerentur illa frangi, dividi, fundi,* docetque, *non minus in sacramento, quam in cœlo illa corrumpi, quod etiamsi spiritus* S. Act. 2. v. 3. & 17. *dividi effundique dicatur, non iccirco corruptibilis haberi possit.* Eadem ætate exorti Manichæi auferebant calicem; tum quòd vinum, tanquam Diaboli inventum, proscriberent; tum quòd Christum corpus sine sanguine fictè assumptum habere crederent. Quare ad hos à Catholicis discernendos, utraque sacramenti species decreta fuit. Ut S. Leo Papa ser. 4. de quadrag. c. 5. Viguisse itaque & hac ætate fidem de præsentia reali Christi in hoc Sacramento, errores circa istius corporis conditiones ostendunt. Illâ nunquam improbatâ, his damnatis.

In quarta ætate Donatistæ, quod negarent Catholicos, tanquam hæreticos, verè consecrare, calices & altaria evertebant, aliquando & Eucharistiam projecerunt canibus, qui in rabiem versi suos Dominos laniarunt. Ut Optatus Mil. lib. 2. & 6. contra Parmen. Sed Messaliani eodem tempore, cum Simone Mago, sensisse videntur, nil præter figuram in hoc sacramento reperiri. Unde Magnes ejus ætatis scriptor lib. 3. Apolog. ad Theosthenen. *cum accepisset Christus panem & vinum dixit,* hoc est corpus meum. *Non enim figura corporis* (tantùm) *aut figura sanguinis, sicut quidam nugati sunt, stupefacti mente, sed secundùm veritatem est corpus & sanguis Christi.* En statim correctos, qui à linea deviarunt.

In quinta ætate Nestoriani contemptores Eucharistiæ, in qua carnem tantùm Christi, sine divina natura exhiberi sentiebant

bant Catholici ἀνθρωποφαγίαν objiciebant, negabant etiam manere post usum in reliquiis corpus Christi, quos Cyrillus Alexand. in Epist.ad Calosirium reprehendit. *Insaniunt*, inquit, *qui hoc asserunt, neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutantur, sed benedictionis vis & facultas, & vivificans gratia perpetuò in ipso existit.* Patet igitur Ecclesiam primorum seculorum omnes, quotquot contra honorem Eucharistiæ, quicquam statuerent in sensu Protestantium, aversatam esse. Sed Patres disertius loquentes audiamus.

Justinus ad Antoninum Apol. 2. *Non*, inquit, *ut communem panem, & communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factum est servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam; unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli suis in scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcipisse sibi Iesum.* Eum enim accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei memoriam. Hoc est corpus meum, & similiter accepto poculo, actisque gratiis dixisse: Hic est sanguis meus, *& solis ipsis communicasse.*

Origenes hom. 7. in Num. *Antea in ænigmate fuit baptismus*, in nube & mari, 1. *Cor*, 10. *nunc in specie regeneratio est*, in aqua & Spiritu S. Joh. 3. *tunc in ænigmate erat* manna *cibus*: *nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dixit*: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Ioh*. 6.

Idem hom. 5. in diversos. *Quando*, inquit, *vita pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipsum imitare hunc centurionem, & dicito*: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, Mat. 8. *Vbi* indigne ingreditur, ibi ad judicium *ingreditur* 1. Cor. 11.

Tertullianus lib. de Idolol. cap. 7. De improbis sacerdotibus *Pro scelus*, inquit, *semel Iudei* Luc. 23. v. 54. *Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt* 1. *Cor*. 11. *Viderint jam, an per similitudinem dictum sit*: *Si te manus tua scandalizat, amputa eam* Mat. 18. *Quæ magis amputanda, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?* Et in libro de Resur. carnis. *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.*

Cyprianus de cœna Dom. *Hoc sacramentum*, ait. *aliquando*

corpus

corpus suum. *Luc.* 22. *aliquando* carnem & sanguinem, *aliquando* panem Christus appellat portionem vitæ æternæ (*Ioh.* 6.) *cujus secundum hæc visibilia corporali communicavit natura. Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporis. Ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas, sensibili argumento edocta est visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos uniri.* Et ibidem. *Panis iste quem* Dominus discipulis porrigebat *Mat.* 26. *Non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento visibili divina se infudit essentia.*

Idem serm. de lapsis *Domini*, inquit, *Corpus invadunt, quanquam occurrat scriptura divina & clamet, & dicat*, *Lev.* 22. Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, peribit anima illa de populo suo, &c. *Spretis his omnibus, atque contemptis, vis infertur corpori & sanguini ejus, & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt.*

Cyrillus Hierosolymi. Catech. 4. Mystag. *Cum Christus ipse affirmet & dicat de pane*: Hoc est corpus meum *quis deinde audeat dubitare. Eodem quoque confirmante, & dicente*: Hic est sanguis meus, *quis, inquam, dubitet, & dicat: non esse illius sanguinem.* Aquam aliquando mutavit in vinum, *quod est sanguini propinquum* in Cana Galilææ, Joh. 2. *sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, cur non multo magis corpus & sanguinem suum filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni certitudine Corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis; ut sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus. Atque ita, ut B. Petrus dicit*, divinæ consortes naturæ efficiemur 2. *Pet.* 1. v. 4. &c. *Hoc sciens & pro certissimo habens, qui apparet panis, panis non est, etsi gustus ita sentiat, sed corpus Christi, & quod apparet vinum, nequaquam vinum est: tametsi sensui gustus vinum esse videatur, sed sanguis Christi.*

NB. ob tam evidens testimonium, cuperent Cyrilli hujus autorita-

toritatem omni arte eversam, ideoque ex Ruffino l.2.cap.23. Macedonianum, aut Arianum fuisse contendunt, & in fide variasse. Verùm ut ipsi Magdeburgenses cent. 4.c.10. ex Socrate lib.5.c.8 & lib.7.c.7. Theodoretus lib.5.c 9. synodo Constantinopolitanæ summa autoritate interfuit, acerque fuit hæresum oppugnator. Imo sub Constantino Cæsare Ariano ejectus sede Hierosolymitana, restitutus post illum, sub aliis Imperatoribus, & Theodosio orthodoxo præfuit. Verùm licet Arianis favisset, quid hoc ad Catecheses ipsius evertendas facit, quas & Adolescens Orthodoxus (ut Hieronymus) scripsit, & postea senex orthodoxus probavit. Taceo etiam, quòd Arianæ hæresi talis de Sacramento doctrina, velut corrupta, non imputetur. Vt probrosum omnino sit adversariis, tam putidis subterfugiis veritatem declinare.

Gregorius Nyssenus, orat. catechetica 37. *Hic panis, ut ait Apostolus,* per verbum Dei & orationem sanctificatur 1. *Tim* 4. *v.*5. *non quia comeditur, eò progrediens, ut Verbi* (Christ) *corpus evadat; sed à Verbo in corpus transmutatur, statim cum dictum est:* Hoc est corpus meum, &c. *Inserit verò se per carnem omnibus credentibus, commistus attemperatusque corporibus credentium (qua substantiam ex pane & vino habent) ut unione cum eo, quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis Hac autem tribuit, virtute benedictionis, rerum naturam, qua videntur, in illud* (corpus Christi) *commutans.*

S. Basilius Magnus, Gregorii Nysseni frater *Ep.*151. Carnem ipsius edimus, & sanguinē bibimus Joh.3. consortes ipsius effecti (2.Pet.1.) *per incarnationē & sensibilem verbi ac sapientia vitam.*

Macarius Ægyptius hom 27. *In Ecclesia offertur panis & vinum anticypon carnis & sanguinis Christi. Et qui sumunt ex eo, qui apparet panis,* carnem Domini comedunt Joh.6.

S. Ephrem de natura Dei non scrutanda. cap.5. *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus Salvator noster.* Ignem & spiritum manducandum ac bibendum præstitit nobis (Joh.6. vers.64.) *carne vestitis,* corpus scilicet & sanguinem suum.

Epiphanius in Ancorat. *Videmus, quod accepit Salvator in manus suas velut Evangelium habet, quod surrexit in cœna, & accepit hac, & ubi gratias egisset, dixit:* Hoc meum est, hoc, & hoc, *Luc* 22. *Et videmus, quod non aquale est, neque simile: non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis, membro-*

membrorum &c. Et nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum (corpus) *sicut dixit, is excidit à gratia & salute.*

S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *Si verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo dominico sumimus Quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est; qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi natus homo assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit?* Ita enim omnes unum sumus, *quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis &c verè homo ille, qui ex Maria natus fuit Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum sumus;* quia Pater in illo, & ille in nobis &c. *Ipse enim ait*: caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo. *Ioh. 3. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est, &c. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc, quod sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur dicens*: & hic mundus me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego vivo & vos vivetis, quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis *Ioh. 14. v. 19.*

Gregorius Nazian. orat. 11. in laudem Gorgoniæ. *Desperatis,* inquit, *omnibus aliis auxiliis, ad altare cum fide procumbit, eumque qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans, eam,* quæ Christi fimbria sanguinis profluuium compresserat, *imitatur* Mat. 9. &c. dum liberatam se morbo sentit.

D. Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 4 *Panis iste panis est ante verba sacramentorum, si accesserit consecratio, de pane fit caro Christi - Consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Iesu. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi?* nempe is, quo facta sunt omnia Gen. 1 *Si ergo tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? cœlum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem*: ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt *psal. 148. Ergo ut tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, & post consecrationem dico tibi, quod jam est corpus Christi.*

Idem de iis, qui Myster. initiantur cap. 9. *Fortè dicas: aliud*

vid. o,

video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit: sed quod benedictio consecravit, majoremq́ vim esse benedictionis, quàm naturæ; quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moyses; projecit eam, & facta est serpens *Exod.* 7. &c. *Quod si tantum* valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, *non valebit sermo Christi ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti:* ipse dixit & facta sunt, *sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quàm mutare naturas &c. Liquet,* quod præter naturæ ordinem Virgo generavit *Luc.* 1. & 2. & *hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus, partus ex Virgine?*

Et cap. 5. *Antequam consecretur panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem:* accipite & edite ex eo omnes: hoc est enim corpus meum. *Et ante verba Christi,* calix est vini, *& aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.*

Et lib. 3. de Spir. S. c. 12. *in verba Psal.* Adorate scabellum pedum. *Per Scabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.*

Optatus Milevitanus lib. 6. contra Donat. *Quid est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis frangere, radere, removere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita.* Depone, *inquit,* munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut possit pro te Sacerdos offerre. *Matt.* 5. *Quid enim est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi* Luc. 22. v. 19. *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitat?*

S. Chrysostomus Homil. 83. in cap. 26. Matt. *Credamus Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro absurdum videatur. Quoniam ergo ille dixit:* hoc est corpus meum: *nulla teneamur ambiguitate. O quot modò dicunt: vellem formam ejus, & speciem, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre! Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit: ipse nunc*

quoque operatur, ipse perficit. Ministrorum ordinem nos tenemus; qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Sanguinem meum potius effundi patiar, quam sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam.

Idem hom. 24. in I. ad *Corint.* c. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? *Valde fideliter dixit, & terribiliter. Hoc est autem quod dicit, id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & illius sumus participes &c.* Sic oratione de S. Philog. ait, *Mensa hæc vicem explet præsepis: nam & hic ponitur corpus Dominicum.*

Et ad pop. Antioch. hom. 2. *contra Avarit.* Helias meloten discipulo reliquit 4. *Reg.* 2. filius autē hominis ascendens suam nobis carnem dimisit. Mat. 28. v. 20. *Sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Et homil. de prodit. Judæ. *Sacerdotis*, ait, *ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia.* Hoc est, *ait*, corpus meum; *hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dixit:* crescite & multiplicamini, & replete terram, *semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.*

Et Hom. 7. in Matt. *Cave, ne Herodi efficiaris similis, & dicas,* ut & ego veniens adorem eum, *cumque veneris. Hujus enim similes, qui indignè abutuntur communione mysterii.*

Reus est enim, *inquit*, iste corporis & sanguinis Domini I. Cor. 11. &c. sic specie quidam adorare videntur, quantum verò in ipsis est interimunt eum, quem adorare se simulant.

Et hom. 3. ad Ephes. *Qui* ab Angelis adoratur, *hunc degustamus, considera quæso. Mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrant, ipse Rex adest & tu adstas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi cura. At pura sunt, igitur adora & communica, dum profertur sacrificium & Christus immolatur.* Vide hom. 61. ad pop. Ant.

D. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 2. *Nos audiamus* panem verum, quem fregit Dominus dedit discipulis esse corpus salvatoris Luc. 22. &c. Nec Moyses dedit nobis panem verum *sed Dominus Iesus, ipse conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur.*

Et in cap. 62. Isa. *Triticum de quo panis cœlestis efficitur illud est, de quo loquitur Dominus:* caro mea verè est cibus *rursumque*

de

de vino: sanguis meus verè est potus *Ioh.6.* Et in Mat.cap. 26. *Postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat*, assumit panem, qui confortat cor hominis, *& ad verum pascha transgreditur Sacramentum; ut quomodo, in praefiguratione ejus*, Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat *Gen.14.Ps.109.ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repraesentaret.*

Cyrillus Alexand.Epist.ad Calosirium. *Ne dubites, an hoc verum sit, eo manifestè dicente:* Hoc est corpus meum &c. *Ne horremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitae, convertens ea in veritatem propriae carnis; ut corpus vitae quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis. Vnde subdit:* Hoc facite in meam commemorationem.

D.Augustinus contra Adversarios legis & Prophet.lib.2.c.9. Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum (1.*Tim.*) carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem (*Ioh.6.*) *fideli corde & ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Idem Tract. 27.in Joannem. *Magister bone, quomodo* caro non prodest quicquam, *cum tu dixeris*: nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam. *Ioh.6. An vita non prodest quicquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam aeternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo: non prodest quicquam* Caro non prodest quicquam, *sed quomodo ipsi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in marcello venditur, non quomodo spiritu vegetatur* &c. *Sic dictum est*, caro non prodest quicquam, *quomodo dictum est* scientia inflat, 1.*Cor.8. Iam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est*, scientia inflat? *sola sine charitate. Ideo adjunxit*: charitas vero aedificat. *Adde scientiae charitatem, & utilis erit scientia. Sic etiam*, caro non prodest quicquam, *sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum* &c. Spiritus ergo est qui vivificat, caro non prodest quicquam. *Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem.* Et ibid.tract. 31. *Viderunt Christum suo scelere morientem, & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem, quousque biberent sanguinem quem fuderant.*

Idem in Pf.33.Conc.1. De David in figura Christi insaniam cotam Achis Regis simulante 1.*Reg*.21.v.13. Et ferebatur, *ait scriptura*, in manibus suis. *Hoc verò fratres, quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus.* Ferebatur enim *Christus* in manibus suis, *quando commendans ipsum corpus suum ait.* Hoc est corpus meum *Mat*.26.*ferebat enim illud ipsum corpus in manibus suis.* Et ibid. in Pf.65.*Ipsum* sanguinem, *quem per insaniam fuderunt, per gratiam* biberunt. Et in Psal.98.*Ipsam* carnem manducandam nobis ad salutem dedit. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Idem Epist. 120.c.27.*ad Honoratum.* Manducaverunt *ait ex Psal*.21. & adoraverunt omnes divites terræ. *Ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur.* Postea subjicit. *Quia Deus excitavit eum à mortuis*, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. *Phil.*2.*fama celsitudinis ejus, & gloria nominis ejus in Ecclesia usquequaque diffusa permoti, & ipsi veniunt ad mensam, manducant & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt justitiam.* Ut intelligas, non hic agi de adoratione, quæ à piè sumentibus Christo præstatur in cœlis existenti, sed de illa, quæ eidem in sacramento etiam ab improbis exhibetur.

Idem de Baptismo contra Donat.l.5.c.8.*Sicut* Judas, cui bucellam tradidit Dominus *Ioh*.13.*non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit, sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus:* qui manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini 1.*Cor*.11.

En pauca de multis testimonia, quæ sensum scripturarum Veteri Ecclesiæ ab Apostolis relictum luculenter exponunt. Quia tamen varia sunt, quæ de uno hoc sacramento prædicantur, quod diversis causis effectisque ac partibus constat; ut nunc hæc, nũc illa inadæquatis conceptibus dissertationibusq; de eodem à Patribus efferantur: ita vel malignis, vel ignorantibus eorum interpretibus occasio data, multa in sequiorem partem pro adversariorum sententia traducendi. Utque fecundissimus inprimis scriptor Augustinus est in hac materia,

ita

ita liberali hinc manu segetem testimoniorum colligunt. Sed facilè hæc objecta dilues: modò observes illam, quam dixi, rerum in hoc sacramento varietatem. Est signum vel secundùm externas species rei sub se latentis, hoc est corporis ac sanguinis Christi præsentis, vel secundum se totum, mortis præteritæ Christi in cruce, hoc est sanguinis cum anima à corpore separati. Unde Paulus inquit, hoc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis. Utrolibet modo intelligi potest Augustinus Epist. 23. ad Bonif. cum ait: *secundum quendam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est.* Et ad Adimantum. c. 12. *Non dubitavit Dominus dicere: hoc est corpus meum, cum daret signũ Corporis sui* ultimo modo loquitur l. 3. de doctr. Christi in verba. *Nisi manducaveritis &c. flagitium* inquit *videtur jubere; figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum.* Iterum, corpus Christi est res hujus sacramenti, sed tamen sine extensione locali corporis, in modũ spiritus, seu corporis gloriosi sacramentaliter præsentis. Ita Ps. 99. dixit: *non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, sacramentum aliquod commendare voluit spiritualiter intellectum vivificabit vos.* hoc est, illud invisibili & spirituali modo percipietis. Rursum hoc sacramentum non ore solum (sic enim *caro non prodest*) sed & corde, seu affectu fideli pioq; suscipiendum est, nam *spiritus est qui vivificat.* Unde Patres nonnunquam ita loquuntur, ut si hac spirituali sumptione tantùm perciperetur Christus, quia videlicet ab hac totus sacramenti fructus ita dependet: ut si defuerit, etiam noxium sit. quo sensu Augustin. aliquando negat impios hoc sacramentum percipere, quia cum spiritualiter non sumant, omni fructu destituuntur, qui tamen alibi indignè manducantes, cum Apostolo, reos facit corporis Domini; quòd illud non dijudicent, uti de Juda ante vidimus. Unde & corporaliter illud ab impiis sumi agnoscit. Estq; hoc indissolubile prorsus Calvinianis argumentum, cùm enim impii spiritualiter corpus Christi non suscipiãt; ut indignè suscipiãt, corporaliter id fieri, necesse est.

Sed urgent illo Augustini Tract. 25. in Joh. dicto: *Quid paras dentem, & ventrem, crede & manducasti.* At Augustinum hic non loqui de S. cœna, sed de fide in Christum Joh. 6. priusquam de hoc sacramento quicquam dictũ, manifestum est. Verba exhibeo. *Dixerunt ergo ad eum, quid faciemus, ut operemur opera Dei? v. 28. dixerat enim illis* (postquã exprobrasset: quod se quærerẽt, quia manducassent de panibus, & saturati essent) *operami-*

ni non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quid faciemus inquiunt? quid observando, hoc præceptum implere poterimus? Resp. Iesus, & dixit eis. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum qui misit me. *Hoc est ergo* manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Discernitur quidem ab operibus fides &c. sed ipsa est fides, quæ per dilectionem operatur.* En, ut tam illa quæ antecedunt, quàm quæ sequuntur, ad fidem solam extra sacramētum hoc dictum adstringunt, allusione sola ad cibū, quo Christus in deserto Judæos paverat, facta. Quanquam & de sacramēto verba illa admitti queant, cum non excludat August. corporalem sumptionem, sed spiritualem fidei quoque, ut perfecta sit manducatio, requirat. Sic serm. 2. de verbis Apost. ait. *Illud manducare, refici est; illud bibere, quid est, nisi vivere?* refectio enim & vita est finis mãducationis, quo sublato, nulla est. Et sic quoque de impiis admitti poterit, quod non manducēt, hoc est, reipsa Christo non fruantur, licet sacramentū dentibus premant. ut August. l. 12. c. 25. de civit. Dei loqui videtur. Ut appareat, non nisi male traductis, aut depravatis autorum sententiis adversarios subniti posse, & si quid incommodius dictum sit, haud difficilem interpretationem admittere. Cum illi, ubi humana ratio cum scriptura deficit, hyperbolas, & allegorias Patribus imputent hoc est dicant aliud, quam senserunt, locutos esse. Quod est compendio ita solvere omnia, ut humana divinaque scriptorum fides uno ictu dissolvatur. quanquam illa quæ de transmutatione panis viniq; in corpus & sanguinem Christi, tum etiam ejusdem in S. mensa adoratione dicta sunt, ejusmodi interpretationē non patiãtur, ut haud multò post, ex iis, quæ de sacrificio incruēto dicēda sunt, invincibili veritate stabiliemus.

§. IV. Ecclesiæ Catholicæ Adversarii, Patres verbis propriis Rom. de reali præsentia Christi & transsubstantiatione sententiam exprimere fatentur.

Cum Protestantes nec in Patribus Veteris Ecclesiæ, nec in hæresi quidem nisi Simoniana fortè celebrem aliquam suæ opinionis ex scriptura S. defensionē sedemque reperiant; illa verò quæ pro se tum ex S. literis, tum Patribus proferunt magis ad Zvvinglii & Anabaptistarum errorē suadendum faciant, quā ut causam illorum propriam stabiliant, antiquitatem doctrinæ suæ ab Anno Christi 800. à Scoto quopiam ac Berengario arcessere coguntur: Sed ut illius liber Vercellensi concilio damnatus

tus est; ita hic diversis in synodis Turonensi una, & gemina Romana, erroris convictus, rer tetractaiam, resumptamque toties hæresin deniq; constantet ejuravit. Vellent sibi & Basilium quendam vendicare Græcum in oriente, ætate supparem Berengari circa Annum Christi 1080. Deinde Pettum Bruzium sub D.Bernardo An.1140.exortum,& idem supparem Waldonem Lugdunensem, ac postremo Almaricum cum sociis Albigensibus An.Dom.1200.suorum vestigiis Wicleph Anglum & Hus Bohemum ac se deniq; ajunt insistere. Ira scilicet suæ arbitrantur se doctrinæ successionem longam demonstrare. Verum hæ aves licet concolores, diversi tamen fuere generis, & omnes ab Apostolica ætate nimium dissident. Basilius (ut Euthymius in sua Pan. part. 2. refert) aliam Eucharistiæ confectionem usumq; non agnoscebat, quam in oratione Dom. *Panem nostrum &c.* Idem ferè Waldo, nisi quod diceret per hanc orationem in die cœnæ dictam confici sacramentũ, quod toto anno servari posset, verèque Christum haberet præsentem, ut Gvido de heres. Wald.c.9. Bruzius quoque verum Christi corpus agnoscebat, sed hoc sacramentum à Christo solo fieri potuisse docebat. ut Petrus Clunia.tr.de missa. Albigenses Christum ubique, etiam extra hoc sacramentum, statuebant. Petrus Cistert. in hist. Albig. Wicleph. Zvvinglio, & Anabaptistis favit Hus, & Hussitæ præsentiam Christi & transubstantiationem semper defenderunt, ut ipse ex carcere paulò ante mortem Epist. 51. ipsiusque testantur opera Noribergæ An. 1558. cum præfatione Lutheri vulgata. Novum igitur plane Calvini est commentum, quod nulla ætate prius conceptum defensumque est. Et siquidem aliquando fuisset, quid nisi malè recocta crambe esset?

Ceterùm hodierna Catholicorũ doctrina, vel ipsa Protestantium confessione, ab Apostolis traducta est; dum illius originẽ ante se aliã demonstrare ab aliquo Rom. Pontifice velut autore nequeunt. Quid, quod schismaticæ Eccl. orientis, Æthiopicæ, Chaldææ, Moscoviticæ, imò & Indianæ, superiori rursũ seculo aditæ, ab Apostolo Thoma instructæ, hanc de transsubstantione, & adoratione Christi in Eucharistia fidem ad hæc usq; tempora, quamvis Rom. Eccl. aut hostes, aut ignorantes, propagaverint, ut gnari rerum adversarii nequeunt diffiteri. Sed paucis eorum testimoniis, quamvis invitè confitentium, utamur.

Melanchthon postquam ex Cypriano, Chrysostomo, Ambrosio Theophilacto testimonia recitasset, sic demum concludit. *Hæc tam longa recitatio exemplorum ostendit authorem* (Ambrosium) *sensisse panem non tantùm, sed naturam panis mutari.*

Beza in libro de cœna Dom. contra Joach. Westphalum ad 3. tat. 3. cap. sic ait *Hoc quidem sæpe diximus, quod nunc repetam retineri reipsa non posse τὸ ῥητὸν in his verbis Christi: Hoc est corpus meum, quin transubstantiatio papistica sequatur.*

Hospinianus part. 1. Histor. sacram. l. 4. c. 2. sic scribit. Confirmarunt hanc superstitiosorum hominum sententiam, (de reali præsentia Christi in Eucharistia) phrases hyperbolicæ primitivæ Ecclesiæ Patrum, quibus majestatem & venerationẽ quandã huic sacramento conciliare voluerunt, & homines docere, non nuda & inania signa proponi. Hæc ille, ac deinde ordine plurima testimonia subjicit, ex quibus multa à nobis superius recitata sunt. Hoc verò in cæteris, ex Chrysostomo à nobis tactum obiter, Hom. 60. ad pop. & hom. 83. in Mat. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum videatur, quod dicit. Superet & sensum & rationem nostram sermo quæso ipsius, quod in omnibus rebus, sed præcipuè in mysteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent solummodo adspicientes; sed verba quoq; illius tenentes. Nam verbis illius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit,* hoc est corpus meum, *nulla dubitatione teneamur; sed credamus.* Et ex hom. 24 in 1. Cor. *Magos hoc ipsum corpus adorasse in præsepi. Nos autem aliquid amplius habere, quàm habuerint Magi. Nam illi habuerunt in præsepi, nos in altari: illi in ulnis mulieris, nos in manibus sacerdotis.* Ex Leone Papa serm. 6. de jejunio sept mensis. *Sic sacra mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.* Ex Eusebio Emiss. in serm. de corp. Domini. *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis, verbo suo secretâ potestate commutat &c. Antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere.*

Hæc aliaq; cum Hospinianus recitasset, desperatissimo responso speravit se posse vim hanc testium declinare, cum diceret hyperbolicè illos de hoc mysterio locutos esse. Ergóne & S. scripturã, & Patres ejusdem interpretes, ubi res suadetur difficillima, & quidem sub æternæ salutis, nisi credas, discrimine, ubi rude vulgus quoq; instruendum, ubi præceptũ & lex universis scribitur, ubi præcipuum Ecclesiæ sacramentum instituitur, ubi ultimũ à sapientissimo magistro testamentũ discipulis côditur,

ubi

ubi filij thesauri pretiosissimi hæredes scribuntur, metaphoricè atque hyperbolicè loqui censendi sunt. Quæ potest tanta perversitas atq; amentia in Christum, in Apostolos, proximosq; ab illis instructos de veritate discipulos derivari. Aut illos, aut ejusmodi interpretem extremè delirum fateri necesse est. Et verò manifestè contra Patres hæc pugnat responsio, Chrysostomus, *ipsamet* dicit *verba, licet absurda & sensui repugnantia videantur, tamen credenda ac tenenda esse, quod hæc fallere nequeant, sensus possit.* Et ne ambigamus de proprietate dictorum : *idem* nos dicit habere *in altari, quod Magi in præsepi.* Leo *eundem quem credimus Christum,* nos *ore* dicit *accipere.* Eusebius *substantiam panis ad verba Christi in substantiam corporis commutari.* Quid verò certius ad declarandam propriam, & hyperbolicam verborum significationem excludendam, dici poterat? Sed ulterius illorum hominum perversitatem in expositione Patrum advertite. Quam aliena Patrum fuit interpretatio, si hoc Sacramentum signum tantùm obsignatioque promissæ nobis per Christum gratiæ atq; unionis erat, & viva fide susceptum hanc nobis præstitit. Obscurarunt atq; everterunt, ut seductores hoc nobis mysterium, non, ut Doctores Ecclesiæ, explanarunt.

Quid tot disserrationibus, ambagibus, similitudinibus admirandisq; exaggrationibus opus fuit ? Id quod paucis à Protestantibus contra nos asseritur, hoc clarè strictimq; tradi ab illis poterat. Ad decipiendum igitur hæc omnia, non docendum fuere composita. Hoc verò quis de talibus, tam sapientibus, tantæque sanctitaris viris, Apostolica luce & eruditione illustratis sibi persuadeat. Deus, Apostoli, Doctores, tota Ecclesia nos decipit, si hoc Sacramento Romano Catholici decipimur.

Magdeburgenses Centur. breviter sua Confessione concludant, Cent. 4. c. 4. de Cœna. Incommodè, aiunt, dictum est, quod citatur ex Athanasij libello de Christi imag. in quo negat, *ex carne & sanguine Christi aliquid in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur.*

Et apud Ambrosium auctor precationis ad Missam, de transsubstantiatione, & applicatione pro vivis & mortuis habetur. *Spiritus* inquit *S. maiestas oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, ac benignè suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum,, quàm defunctorum, &c.*

Idem Gregorius Nyssenus docet in orat. Catech. *Rectè nunc*

etiam Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari &c.

Et Cent V. de Cœna Chrysostomus, aiunt, transsubstantiationem videtur confirmare, dum ita scribit serm. de Euch. *Num vides panem? num vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit! ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia.*

Idem videtur sapere quod Theodoretus scribit, Dial. 2. *Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante invocationem sacerdotis; sed post invocationem mutantur & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in divinam naturam.*

In his alijsque cum transsubstantiationem Protestantes agnoscant, quantò æquius est, ut in locis supra adductis longè disertioribus eandem venerentur! quanquam & hæc ipsa Confessio illis ad veritatem agnoscendam possit ac debeat sufficere.

Finio anagrammatica testificatione in Verba consecrationis panis & vini, in qua veritas latens disertè eruitur.

Programma.

H*Hoc est enim corpus meum. Hic est enim calix sanguinis mei. novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.*

Anagramma.

CAlvine, non est figura, Luthere, non est panis: Corpus est Dei optimi maximi effusè mihi semetipsum communicantis in cibum. Nosce, quo ritu & mysterio, te reum redemit, resipisce, adora.

Nunc hac thesi aliqanto fusius exposita, vela in ceteris magis erunt contrahenda.

I. Appendix de utraque specie, *ex Confessione generali & Anglica.*

C*Onfessio* Gener. *c.* 21. Improbamus illos, qui alteram speciē,

Pocu-

Poculum, inquam, Domini fidelibus subtraxerunt. Graviter enim hi peccant contra institutionem Domini dicentis, Bibite ex hoc omnes, *a.* id quod ad panem non ita expresse dicit.

a. *Mat.* 26. *v.* 27.

Confessio Anglica art. 30. Utraque pars Dominici Sacramenti ex Christi institutione & præcepto, omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

§. I. Reformatio.

CRedimus quod is qui dixit universim Christianis : *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis,* singulatim etiam dixerit , *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, qui enim manducat me, vivet propter me.* b. nisi *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè.* c. sicut Judas, quando *biberunt ex eo omnes Apostoli* d. Melius illi qui in Emaus sub una specie sumpserunt : ubi *Christus accepit panem, benedixit, fregit, & porrigebat illis, apertique sunt oculi eorum,* e. & illi, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & unum corpus facti sunt omnes, qui de vno pane participarunt.* g. Intellexerunt hi utique non esse *panem vitæ,* nisi qui vitam nobis communicaret.

b. *Ioh.* 6. c. 1. *Cor.* 11. d. *Marc.* 14. e. *Luc.* 24. *v.* 30.
f. *Act.* 2. *v.* 42. g. 1. *Cor.* 10. *v.* 17. h. *Ioh.* 6.

§. II. Observatio.

HAnc quæstionem part. 1. & 2 Concord. excussi diligentius, ideòq; hic solum tango. Res sic paucis expediri potest.

Agnoscunt 1. Protestantes ad obligationem utriusq; speciei, præceptum Dei requiri : non qualecunque, sed quod singulos fideles ad eiusmodi sumptionem obliget. Nam si tantum Ecclesiæ universim datum sit, sicut e. c. olim præceptum sacrificandi filiis Israel Num. 24. & immolandi agnum Exod. 12. & in N. T. præceptum docendi, & baptizandi gentes, aut in resp. excubandi civibus datur, singulos non obligabit, sed universim aliquos, illos videlicet, quos Synagoga, Ecclesia, aut resp. designaverit.

Agnoscunt 2. Præcepti talis infallibilem debere notitiam demonstra-

demonstrationemque ab illis exhiberi, qui illud volunt inductum, alioquin suam cuique libertatem relinqui, pro qua semper in dubio jura decernunt.

Quæro igitur à Protestantibus, an quisquam illorum sit, qui hactenus ex S. literis illud præceptum, ita verbis sententiaque expressum definitumque ad singulorum obligationem exhibuerit, ut necessarius verborum sensus, alius omninò esse nequeat. Qui enim ista, *accipite, comedite, bibite, facite hoc in mei memoriam*, obligatoria ex præcepto vult esse, nimium ineptit, quando ex usu communi hæc invitantium sunt, non imperantium, magis verò illa præceptum sonent, quæ ibidem Christus dixit: *si Dominus & Magister lavit pedes vestros, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* faciamus tamen, & hæc & ista præcipientis esse; quis evincet obligare singulos? an sentit, se quilibet Protestantium obligatum esse, ut alterius pedes lavet? Sic, an, *bibite omnes* evinces necessariò dictũ aliis, quàm de quibus scriptum *biberent ex eo omnes?* Cum præcepit Christus: *docete omnes gentes*, an vel singuli Apostoli ad *omnes* instruendos, vel alii, quàm Apostolorum successores ad *docendum* obligati fuêre? Imò & in his verbis, *hoc facite* in mei commemorationem, id est, benedicite panem, & calicem, porrigite alijs, &c. an omnes singulique obligantur homines, & alii, quàm Apostolorum successores, quibus potestas his verbis idem Sacramentum conficiendi defertur? Quid, quod Apostolus Paulus optimus Christi mentis & instituti ab illo Sacramenti interpres, dum Corinthios tam sacerdotes, quàm Laicos instruit, ista verba, *bibite ex illo omnes* omiserit, tum subjecerit calici: *hoc facite (quotiescunque bibetis)* in meam commemorationem: secus quam post panem absolutè & ipse, & Lucas habet: *hoc facite in mei commemorationem.* Illius igitur ex his verbis sumendi manet libertas, hujus erit necessitas.

Hoc præsidio deiecti ad aliud nonnulli confugiunt Joh. 6. *nisi manducaveritis & biberitis* &c. Verùm hoc neque Lutheranis, neque Calvinistis pro sua parte stabilienda, sed Hussitis tantùm servire potest, qui concedunt nobiscum, non de fide & spirituali hic tantùm sumptione Christum, verùm etiam de Sacramentali disserere. Sed hanc legem universæ tantùm Ecclesiæ, non singulis fidelium datam esse, vel ab ipsis adversarijs concedendum est: nisi in illo errore Innocenti, Gelasij, & Augustini hærere velint, qui ex hac lege malè intellecta statuerunt, etiam infantibus communicandum, ut salvi essent; cumque

quæ panis sumendi nondum essent capaces, vino reficiendos. Quam opinionem, cum deinde universa correxit Ecclesia, argumento fuit, neque olim sic præceptum hoc fuisse acceptum, tanquam singulos fidelium obstringeret. Jam & fideles olim, ut neque Nazaræos à vino abstinentes, neque alios à vino abhorrentes excluderent, erant *communicantes in fractione panis.* Estq; hæc sacramentalium præceptorum ferè ratio universalis, ut Ecclesiam, non fideles singulos obligent, ut de agno veteri, de ordine, matrimonio, alijsque inter Catholicos hodiedum receptis videre est. Quanquam etiam nihil vetet particulam *&* pro *vel* disiunctivè sumi, ut illos qui solùm calicem infantibus præbuêrunt, facere necesse fuit, cum & hoc alibi fiat, ut Exod. 21.v.15. *percutiens patrem & matrem morietur*, & hoc ipso loco à Paulo factum sit 1.Cor.11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium manducat*: Pro *vel* bibit, nam una etiam specie indignè sumpta peccatur. Ita etiam una panis specie dignè sumpta Christus sæpius vitam promittit. Joh. 6. & Paulus hinc unitatem adstruit, Cor. 10. v. 17. *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quæ solum dico: non quod priori abscedam sententia; sed ut nullam hinc ab adversariis demonstrationem infallibilem è S. literis duci ostendam. Nos igitur satisfieri præcepto Domini Joh. 6. sentimus, quando Ecclesia utriusq; speciei usum ita observat in sacerdotibus, ut alterius in Laicis non negligat. Ecclesia verò Catholica hanc sibi à Christo relictam libertatem pro ratione temporum ita usurpavit: ut nunc utramque nunc alteram Laicis speciem præciperet. Illud olim à Leone aliisq; Pontificibus factum, quando Manichæi, vinum execrantes inter Catholicos, sub una tantùm panis specie Communicantes latitabant, ut hac ratione, sicut habet S. Leo serm. 4. de quadrag. proderentur. Quod præceptum, cùm evanescentibus Manichæis rursum esset laxatum, ac Hussitæ demum in Bohemia, illius tanquam divini, necessitatem omnibus injectam vellent, concilio Constantiensi Hus damnatus est, Ecclesiaq; cùm propter causas alias ad Sacramenti reverentiam spectantes; tum inprimis adversus hæreticos suâ utens potestate, decrevit Laicis, sub unâ tantùm specie communicandum; ne videlicet error iste invalesceret Quæ utique, si hæresis aliqua insurgeret, alterutram solùm speciem à Deo Laicis præceptam esse decernens, his rursum indulgeret libertatem: ne errori viam muniret. Hanc itaq; libertatem Ecclesiæ quicunq; tam putidis ratiunculis expugnatum eunt, hi seipsos miserè confundunt, & pro victoria ignominiam reportant.

§ 3. Or-

§. III. Orthodoxæ Ecclesiæ Patres unam Laicis speciem à Christo exhibitam agnoscunt.

NOtandum quod in hac quæstione facillimè nos ex scriptura S. per Patres tueri possimus. Nam cum negativè hic nos solùm habeamus, hoc est nullum præceptum, nisi probetur ex S. litteris, agnoscamus. Vicimus, quamdiu nemo Patrum producitur, qui tale ostendat in Scriptura præceptum, quod & *singulos fidelium sub salutis discrimine* obliget, & non tantùm ad sumendum, sed disertè sub *vini speciebus Christi sanguinem sumendum* adstringat. Nam hæc duo ad obligationem singulorum requiruntur; ut & præceptum de utraq; specie sit, (nam sanguinem Christi etiam Laicos cum corpore, sub una panis specie sumere confitemur) & ad singulos verbis expressis lex ista extendatur. Ita cum Ignatius ad Philad. dicit, *unum calicem omnibus distributum*, nil habet de præcepto. Cum Justinus etiam *utramq; speciem præceptam*, de Ecclesia & Apostolis loquitur, non singulis fidelium, cum Tertullianus ait, quod *Caro corpore & Sanguine Christi vescatur*, neq; de præcepto neq; de singulis obligatis, quicquam adfert, ideoq; hæc aliaq; Patrum testimonia adversum nos evincere nil possunt. Præ ertim cum sine scriptura S. loquuntur. Nos igitur, licet ad probationem non teneamur magis, quàm qui non ligatus est, vincula dissolvere: tamen si vel ex uno Scripturæ loco communionem sub sola specie panis datam Patres declarent, rem pro nobis etiam confecerunt.

S. Chrysostomus hom. 17, operis imperf. in Mat. *Quod Sacerdos*, inquit, *de manu sua dat non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, &c. Ita Dominus in via non solùm* benedixit panem; sed de manu sua dedit Cleophæ, & socio eius Luc. 24. *Et Paulus navigans Act.* 27. non solum benedixit panem, sed & de manu sua porrexit Lucæ & ceteris discipulis. *Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum; quia non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio sanctificans accipientem.* Ubi agnoscit autor communionem sub una specie panis ex Luc. 24.

S. Augustinus de Consensu Evang. l. 3. c. 25. *Non incongruenter*, ait, *accipimus hoc impedimentum* in oculis eorum Luc. 24. *à Satana factum fuisse*, ne agnosceretur Jesus; *Sed tamen à Christo est facta permissio, usq; ad sacramentum panis: ut unitate corporis eius participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus*

Christus possit agnosci. Et serm de Verbis Evangelij, quem citat Beda in 1.Cor.10.v.26.

Dominus Iesus ab eis, quorum oculi tenebantur, ne illum agnoscerent in fractione panis, voluit agnosci *Luc.* 24. *Noverunt fideles, sciunt quid dicam. Noverunt Christum in fractione panis Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi.*

Theophilactus ad cap. 24. Lu. *Insinuatur autem & aliud quiddam. Nempe quod* oculi eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, ut cognoscant illum. *Magnam enim & indicibilem vim habet Caro Christi.*

Augustinus idem ex 1.Cor.10. probat de Consensu Evang. l. cit. *Ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cuius unitatem in sacramento panis commendat Apostolus, dicens:* unus panis, unum corpus multi sumus 1. Cor. 10. *ut cum eis* panem benedictum porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum Luc. 24.

Hoc & superiori Augustini testimonio etiam Beda in c. 24. Lucæ usus est, & satis nobis hi in re per se ipsam clara esse debent, cum *in ore duorum, vel trium testium, consistat omne verbũ.*

§. IV. Singulis fidelium utramque ex præcepto speciem non deberi, fatentur Acatholici.

PRotestantes ipsimet, si hanc veritatem agnoscant, nihil est quòd hic religionis concordiam morari possit, modò solam orthodoxæ Ecclesiæ autoritatem & libertatem, præ sua, venerentur. Lutherus non esse præceptam singulis utramq; speciem passim agnoscit: solùm profitetur, se Romanæ Ecclesiæ in altera tantum accipienda nolle obsequi. Nam *de cap. Babyl.* cap. de Euch, ait. *Non hoc ago, ut vi rapiatur utraque species, quasi necessitate præcepti ad hoc cogamur.* Et in Epistol. ad Bohemos. *Quamvis pulchrum quidem esset utraq; specie in Eucharistia uti, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret pacem & unitatem, quem Christus utiq; præcepit sectari, quam de speciebus contendere.* De formula Missæ tamen ait. Se hac in re nolle ab Ecclesiæ Concilio obstringi. *Et si hoc permitteret utramq; speciẽ, tunc minimè omnium,* inquit, *nos vellemus utraque sppecie potiri, imo tum primùm in despectum tam Concilii, quàm statuti, vellemus aut alterutra tantùm, aut nequaquàm utraque potiri*

Alia

Alia locis aliis non promit dissimilia, ex quibus manifestum est, sensisse Lutherum, nihil de utaque specie singulis fuisse præceptum.

Melanchthon licet utriusque speciei assertor, tamen hanc nobis causam tradit, cùm in Apologia. Confess. Aug. in articulo de utraq; spec. fatetur, Christum in Emaus sub una specie Eucharistiam discipulis præbuisse. Subjicit tamen, hic per figuram intellectionis totum sacramentum, sub utraque specie significatum. Verùm sine intellectu, nam vel dicit, unâ hac specie eundem Christum, qui sub utraque est specie significari, & sic nobis nihil officit: vel Christum post panem illic quoque exhibuisse calicem, & sic Evangelium subvertit, quod ad sumptionem panis, & oculos eorum apertos esse, & Christum agnitum evanuisse scribit Luc. 24. v. 31.

Calvinus itaque, ut ubique, sic hic quoque in affirmando audacior, negat hoc loco Eucharistiam præbitam, quamvis Act. 2. ubi dicuntur Christiani primi *perseverantes in doctrina Apostolorũ & communione fractionis panis* illam agnoscat; quod speret, hic se figuram intellectionis facilius tueri posse, cum vinum, licet non expressum, subintelligi queat. Ita sat firmo talo se niti scripturis credit: modò tantùm non repugnet his alia de suo adjici, conjectura quævis illi pro fundamento etiam fidei est. Ceterùm veteris Ecclesiæ sensum sententiamque ipse nostram esse fatetur: quod nobis ad ipsius Calvini autoritatem ex ipsomet infringendam sufficit. *Augustinus*, ait in Comment. apd cap. ult. S. Lucæ in v. 30. *& cum eo plerique alij, senserunt panem non edulium à Christo porrectum esse, sed in sacrum corporis sui symbolum. Et hoc dictu plausibile est, Dominum in spirituali deniq; cœna speculo agnitum fuisse.*

Porrò in Vet. Ecclesia modò hanc, modò alteram, sæpiùs etiam utramque speciem exhibitam esse, tot compertum testimoniis est, ut nequeat, nisi ab imperitis dubitari. De ultimo non contendimus, de priori constat. Nam abstemiis primò aliter nunquam præbitum sacramentũ. Deinde illo tempore, quo multi neq; infantibus Eucharistiam negandam censebant, sanguis ipsis suctu attrahendus præbebatur. *Pueris*, inquit Hugo de S. Vict. l. 1. c. 20. de sacr. *recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.* Ita Barthol. Brixiensis in fine Can. 28. *si qui* de Consecr. *dist. 4. Parvulus non datur corpus Christi, nisi fortè ubi consuetudo est, quod infundatur per ora eorum sanguis Christi,*

non

non corpus, secundum quosdam. Ita corpus olim Dom. sub specie panis domum à multis deferebatur, ut vel ex pietatis studio, vel in eremo, vel navigantes, vel etiam ægri sumerent, quod varijs exemplis ex Patribus, & historicis constat, nulla unquam calicis adhibiti memoria. Undè *Tertull.* lib. de orat. c. 14. *Accepto corpore Domini, & reservato, utrumq; salvum est, & participatio sacrificij, & executio officii.* Et ad Uxor. lib. 2. c. 5. *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustet. Et si sciverit, panem, non illum credis esse, qui dicitur.* In vino certè occultari res non poterat. Hinc & D. *August.* serm. 252. de tempore. *Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina ubi Corpus Christi accipiant.* His sanè vinum excipere, & domum ferre non poterant. Sic *Basilius* in Epist. ad Patrit. ait Eremicolas foris à seipsis communicare, & D. *Hieronymus* in Apol. ad Pammach. c. 6. domi fideles corpus Christi sumere. Et *Dionysius Alex.* ad Fabium de Serapione narrat, quod puer particulam Eucharistici panis madefactam in os moribundi immiserit, qua sumptâ extremum spiritum reddiderit. *Ambrosius* in orat. funebri de fratre Satyro, narrat, quod Eucharistiæ sacramentum orario illigatum ex collo suspenderit, ut in naufragij periculo, vel servaretur, vel sumeret; verùm servatus in portum emerserit. Hæc cum ipsi Adversarij agnoscant, mirum est, quâ conscientia manum hactenus mentemque à pace & concordia subtrahant.

II. Appendix de sacrificio, *ex Catechesi Heidelb.*

Quæstio 80. Quid interest inter cœnam Domini & Missam Papisticam?

RESP. Cœna Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium, quod ipsemet semel in Cruce peregit. *a.* Tum etiam nos per Spiritum S. inseri Christo, *b.* qui jam secundum naturam tantùm in cœlo est ad dexteram Patris, *c.* ibique vult à nobis adorari. *d.*

T In

a. *Heb.* 7. *v.* 26. & 9. *v.* 12. & 25. & 10. *v.* 10. 12. *Luc.* 22. *Mat.* 26. b. 1. *Cor.* 6. *v.* 17. & 10. *v.* 13. 16.
c. *Colos.* 3. *v.* 1 *Heb.* 1. *v.* 3. & 8. 1.
d. *Mat.* 6. *v.* 20. *Ioh.* 4. 21. *Act.* 7. *v.* 56. &c.

In Missa autem negatur, vivos & mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidie Christus pro ipsis à sacrificulis offeratur. Tum etiam docetur Christum corporaliter sub speciebus panis & vini esse, ideòque in illis adorandum esse. Atque ita ipsum Missæ fundamentum nihil aliud est, quam abnegatio unici illius sacrificij, & passionis Jesu Christi, & execranda idololatria. *e.*

e. *Heb.* 9. *v.* 26. *&* 10. *v.* 12. 14.

§. I. Reformatio.

CRedimus *Christum, qui in cruce semel oblatus est ad multorum exhauriendapeccata*, f. offerri sæpius in *altari, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*, g. sic instituente illo, qui dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, & poculum sanguinis quod pro vobis effunditur: hoc facite in mei commemorationem.* h. *Quæ gentes immolant Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere. & calicem Dæmoniorum.* i. Hoc sacrificium Deus prædixit per Malachiam, *Ab ortu*, inquit, *solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda* l. hoc est, *agnus absque macula.* m. Cum nemo alius possit dicere *mundus sum ego & absque delicto.* n. Hic ipse quoque *Sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech* o (*qui panem & vinum obtulit, & ipse Sacerdos.* p.) A quo omnis *Pontifex ex hominibus assumptus est, ut dona & sacrificia offerat*: q. *donec ablatum fuerit juge sacrificium, & posita abominatio.* r.

f. *Heb.* 9. *v.* 24. g. *Heb.* 13. *v.* 10.
h. *Luc.* 22. *Mat.* 26.
i. 1. *Cor* 10. l. *Mal.* 1. *v.* 11.
m. *Exod.* 12. *v.* 5. n. *Iob.* 33. *v.* 9.
o. *Psal* 109 *v.* 4. p. *Gen.* 14. *v.* 18.
q. *Heb.* 5. *v.* 1. r. *Dan* 12. *v.* 11.

§. II. Observatio.

QUemadmodum in veteri testamento alia cruenta, alia incruenta fuere sacrificia, quibus Deo homines ad supremum illius dominium, cum debita subiectione rerum omnium, litarent, ut in lege naturæ Cain Agricola in fructibus, Abel in gre-

gibus,

gibus, ille incruentam, hic cruentam hostiam immolabat ; in lege Moy. Israelitæ pecudes & aves Levit. 1. Panes & Lagana c. 2. sic Christus in lege gratiæ has figuras impleturus, geminum quoque sacrificium Deo obtulit, incruentum sub vini & panis speciebus in cœna ultima, cruentum in cruce, pro nobis immolatus Patri. Sed illud à discipulis eorumque successoribus, *in huius commemorationem* fieri voluit. *Quod esset Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, Sacrificio incruento.*

Hæc veritas ex ipsius institutionis verbis Luc. 22. & Mat. 26. manifestè eminet. *Accipite*, inquit, *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* (Græca & Syriaca habent, *frangitur*) *Hoc est poculũ sanguinis quod pro vobis effunditur* &c. *Hoc facite in mei cõmorationem* Paulus addit *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 1. Cor. 11. Hic quot verba, tot penè sunt oblationis incruentæ argumenta. In originali textu, verba de præsenti sunt tempore omnia, *datur* verò in omni versione etiam reperitur. Ut hanc oblationem ad solum tempus futurum, & sacrificium cruentum Crucis, ubi corpus & sanguinem moriens obtulit, intorquere velle, sit apertam scripturæ ac veritati vim inferre. Futilis planè evasio est, dicere, jam tum cœpisse eius mortẽ, quando nondum Diabolus cor Judæ invaserat, nondum plenè conclusa proditio. Jam verò illæ voces, *pro vobis*, indubiè oblationem Deo pro Apostolis in cæna factam inferunt. Rursum vox *frangitur* corpus, non potest competere propriè corpori Christi in cruce, de quo dictum *os non comminuetis ex eo* Joh. 19. v. 36. sed eidem, prout erat in cœna, sub speciebus panis, suffragante Paulo 1. Cor. 10 *panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est* ? Cujus sententiæ firmitatem Patres te infra docebunt.

At, inquiunt, Romana versio, Ecclesia & Patres, hæc etiam verba *tradetur* & *effundetur* in futuro adhibent, unde apparet, eundem cum his sensum habere in præsenti, ideoq; tantùm de corpore in mortem tradendo , & sanguine fundendo, hoc est cruento sacrificio agi. *Respond.* Romanus textus, & Patres de utroque loquuntur, quando verba, nunc de præsenti, ut Luc. 22. v. 19. *datur*: nunc in futuro, ut v. 20. *fundetur* adhibent. Nam quia post cœnam & sacrificium illud Christi incruentum, tam cruentum in cruce , quam incruentum in ara sacrificium, toto deinde mundo ab Apostolis & sequacibus exhibendum erat, utrumq; hoc in futuro significatum est, idemq;

quoad rem substantiamq; erat sacrificium, utrobiq; enim corpus & sanguis est Christi, offerendi ratio tantùm diversa, illic cruenta, hic incruenta, illic vitæ ad Dei servitium & hominum salutem destructio, hic naturalis habitus locationisq; utrobiq; idem summus sacerdos offerens Christus: minister tantùm diversus, illic infidelis & illegitimus; hic legitimus & fidelis. Utrobiq, idem pretium Christus oblatus, cum omnibus actionibus suis in redemptionem nostram: applicatio tamen diversa, illic universalis pro salute omnium sufficiens; hic quoque ad particularium multorum salutem ex ministri intentione adhibita. Utrobiq; non suspensa ex probitate, vel improbitate ministrorum, sed sola virtute justitiæ & meritorum Christi; illic tamen immediata, hic mediata & per ipsum Sacrificij opus (quod non operantis, sed operatum vocant) applicata. Denique utrumq; sacrificium, quod in substantia est idem, in adjunctis mutuò illustratur & illustrat, incruentum imaginem quandam cruenti in symbolis repræsentat, cum *Domini mortem annunciat, donec* ipse Judex *veniat:* cruentum suam isti virtutem; cum ipsa substantia communicat, quòd in hoc *effusus sit sanguis in remissionem peccatorum.* Hoc igitur, cum semel tantùm oblatum sit, in illo quodammodo perpetuum est, quod *fit in illius commemorationem.* Undè apparet quantum absimus ab illa calumnia, quod sacrificium illud incruentum, sive missa, sit abnegatio passionis Christi; quando in tota Ecclesia nihil est, quò magis illius memoria & præstātia celebretur, nihilq; incruētæ illi oblationi, exclusa cruentæ oblationis substantia & virtute tribuatur.

Christum itaq; semel tantùm oblatum esse in cruce (de qua oblatione Paulus ad Heb. c. 9. & 10. loquitur, ut apparet c. 9. v. 26) ideoq; una oblatione tali *exhausta esse peccata multorum* c. 9. v. 28. *consummariq; in æternum sanctificatos* c. 10. v. 14. *neq; aliam talem oblationem ultra requiri* v. 18. libenter fatemur. Sed cum ibidem Paulus c. 5. monuerit, quod Christus *à patre constitutus sit Pontifex, & sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* v. 5. 6. & 10. de cujus *Sacerdotio* & oblatione *panis ac vini* Hebræis abundè ex Gen. 18. v. 18. constabat; ut iccirco hunc *ordinem* Paulo exponere necessum non fuerit: non possumus incruentam quoq; illam oblationem Christo negare, quæ alteram, ut diximus, non obscurat, sed egregia quadam imagine, ubiq; ante oculos exposita illustrat.

Et verò dicant Protestantes quod aliud sit *altare nostrum, de quo*

quo Iudæi potestatem edendi non habeant? Heb. 13. quod aliud *sacrificium & oblatio munda, quæ ab ortu solis ad occasum inter gentes recepta offeratur* (Mal. 1.) cum cetera fidelium licet & piorum opera, Deo consecrata, non nisi immunditiæ habeantur? edisserant quodnam aliud sit *iuge illud sacrificium tempore abominationis ultima* in fine mundi *abolendum*? Dan. 12. Non autem hic scripturam agere, quod ineptè à quibusdam respondetur, de sacrificijs laudis, & bonorum operum, quæ vel genericè, vel translatè sacrificia appellantur, nimis est manifestum, quando ad hæc neque ara victimarum 1. Cor. 10. neq; esus spectat, eademq; nec oblatio munda, nec juge sacrificium ab Antichristo tollendum dici jure possint. Ceterùm impietatis extremæ est, talem sacrificij cultum, qui soli Deo ita peculiaris est, ut quemadmodum cultus reliqui, nulli mortalium possit competere, supremæ illius majestati ereptum ire. *Sacrificium*, inquit, D. August. l. 1. contr. Adv. leg. c. 18. *est, quod præcipuè debetur Deo. Nam obsequia cetera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare.* Nulla igitur gens unquam tam barbara reperta est, quæ cum Deos nosset, non censeret eosdem sacrificij seiuscemodi placandos esse, ut mirum sit Christianos reperiri potuisse, qui adeò divinis non tantùm scripturæ testimonijs, sed rationi etiam propriæ, cum extremo salutis discrimine obluctentur.

§. III. Primæ Ecclesiæ Patrum de sacrificio incruento iudicium ex S. literis depromptum.

NUnc quandoquidem in scripturis S. vel proprio sensu, vel etiam lectione consueta dimovendis hic magnopere adversarii laborant. Primi Ecclesiæ Patres securissimam hac in lite sententiam nobis pronuntiaturi sunt: Ut: contendimus de sensu & verbis loci Gen. 14. v. 18. ubi legimus in vulgata *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*: Abrahamo scilicet. Aliud, *aiunt*, proferre, aliud offerre. Item in hebraico non legi: *erat enim Sacerdos*, ut iccirco tanquam sacerdos obtulisse panem & vinum Deo convinci nequeat; verùm quod tanquam Rex amicum Abraham, post prælium his refecerit. At in Hebraica lectione, quæ talis est: *Et Mechisedech. Rex salem eduxit* (Horsi) *panem & vinum, Et* (vau) *ipse sacrificans* (cohén) *Deo altissimo. Et benedixit ei.* &c. omnia fortius pro nostro sensu conspirant. nam & Horsi *eduxit* cum accusativo apud Hebræos, est producere ad sacrificandum. ut videre est Nu. 19. v. 3. & Jud. 6. v. 18. & *vau* litera hoc loco

 causa-

causalis(ut ex contextu liquet) pro *vt*, vel *enim* ulurpatur, & quod præcipuum est, *cohen* participium activũ præsentis temp. primæ conjug. in Benoni est, quo ipse actus sacrificantis exprimitur ut si diceres *sacrificat enim altissimo*. Jam verò distinctiones punctorum in Hebræo aliter positæ ostendunt, quod non iccirco dicatur sacerdos, quod benedixerit Abrahamo; sed quod panem vinumque sacrificans proferret. Uti legitur quoque in Latinis: *erat enim sacerdos* quæ manifestè rationem dant, *cur panem & vinum protulerit*. Et sanè, si alia nulla ratio esset pro communi obvioque sensu nostro, hæc una sufficeret; quod cum Christus dicitur *sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, peculiaris aliquis ordo, per quem à reliquis sacrificantibus differat, è scriptura producendus sit: nullus autem præter hoc sacrificium panis vinique, in cuius oblatione Christus in cœna ultima cum ipso conveniat, produci possit. Quare, cùm in hoc uno totam causam nostram esse appareat, audiamus, quo sensu ab Apostolis hæc verba exceperit primitiva Ecclesia.

Clemen Alexand. lib. 4. Strom. c. 8. *ait*. Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum *sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistia.*

Cyprianus. Ep. 63. vel l. 2. Ep. 3. *In sacerdote*, inquit *Melchisedech sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundũ quod scriptura divina testatur, & dicit:* Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum; fuit enim sacerdos Dei summi: & benedixit Abraham. *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in ps. Spiritus S. ex persona Patris ad filium dicens.* Tu es Sacerdos in æternum & c. *qui ordo utiq; est hic de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod* Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem vinum obtulit & c. Et serm. de cœna Domini ait, *significata olim à tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, & filiis Abrahæ, facientibus opera eius, summus* Sacerdos panem profert & vinum. Hoc est, *inquit* corpus meum. & c. Eusebius Cæsar. lib. 5. Demonst. Evang. c. 3. *Quemadmodum*, inquit *Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus ipse Salvator ac D.N. deinde, qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeũtes, vino ac pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis misteria repræsentant, quæ sanè mysteria Melchisedech tanto ante spiritu divino cognoverat & rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Moysis scriptura testatur. Gen.* 14. Et Melchisedech Rex Salem

lem protulit panes & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abraham.

S. Ambrosius de Sacr. l. 5. c. 1. *Diximus ergo, quod in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum. Et quid aliud? aqua. Sed tu dicis mihi: quomodo ergo* Melchisedech panem & vinum obtulit? *quid sibi vult admistio aquæ?* &c. Idem Ambros. l. 4. c. 1. ex Missæ nostræ canone, tanquam olim usitato, recitat. *Hanc oblationem suscipias &c. sicut quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech.* Idem, vel alius autor Synchronus ad Heb. 5. *Huius ordinem sacrificii per mysticam similitudinem* Melchisedech *iustissimus Rex instituit, quando* Domino panis & vini fructus obtulit. *Constat enim pecudum victimas periisse, quæ erat ordinis Aaron, non Melchisedech, sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur.*

S. Hieron. Ep. 126. ad Evagr. dicit: Melchisedech præcessisse in typum Sacerdotis filii Dei, de quo dicitur ps. 109. *Tu es sacerdos in æternū, secundum ordinem Melchisedech. Ordinē autē eius multis modis interpretantur, quod solus & Rex & sacerdos &c. neq; carnis & sanguinis victimas immolaverit, sed pane & vino simplicī puroq; sacrificio Christi dedicaverit Sacramentum.* &c. vide eundem in Gen. & ad ps. 75 & 109 & Ep. 17. c. 2. & ad cap. Mat. 26.

S. Chrysost. in ps 109. *Quare dixit*, secundum ordinem Melchisedech? *propter Sacramenta, quod ille quoque panem & vinum obtulerit.* &c. Vide eundem hom. 35. & 36. in Gen.

S. August. n. de doct. Chr. l. 4. c. 21. *In Sacerdote Melchisedech Dominici Sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundùm quod scriptura divina testatur & dicit*: Et Melchisedech Rex Salē protulit panem & vinum. 1. *Quod autem Melchisedech typū Christi portaret, declarat in ps* 109. &c. Vide eundem in ps. 33. Conc. 2. Contra Adv. legis l. 1. c. 20. De Civ. Dei l. 16. c. 22. & Ep. 95.

Ex hoc solo argumento frontem audaciamque, tantæ consensioni & autoritati adversantium, possis cognoscere. Longè tamen plura apud Bellarm. congesta testimonia reperies, qui & de Agno paschali hoc sacrificium præfigurante non pauca collegit; sed mihi non licet esse tam diserto. Pauca tantùm de diversis scripturæ locis adjiciam.

Justinus in Dialogo cum Tryphone. *De sacrificiis*, inquit, *à vobis Iudæis tum oblatis Deus per Malachiam ait* c. 1. Non est voluntas mea in vobis dicit Dominus, & sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris; ab ortu enim solis, usq; ad occasum, magnū est nomen meum in gentibus, & in omni loco adolentur odoramenta nomini meo victimæq; puræ &c. *De nostris*

verùm gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ iam tum locutus prædixit, nos quidem glorificare nomen eius: vos autem profanare. &c.

Irenæus lib.4.c 32. *Dicens*, hoc est corpus meum &c. *novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert ei, qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum, in novo Testamento. De quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit.* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & sacrificium non accipiam de manibus vestris; quoniam in omni loco offertur incensum nomini meo, & sacrificium purum &c.

Cyprianus, sive autor serm. de Cœna Dom. *Sed & per Salomonem*, inquit, *Spiritus S. typum Dominicici sacrificii ante præmonstrat immolatæ hostiæ, & panis* & *vini, sed & altaris, & Apostolorum faciens mentionem.* Sapientia, *inquit*, ædificavit sibi domum & subdidit columnas 7. mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & paravit mensam suam &c. & dixit; venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis. *Prov. 9. Vinum mixtum declarat, id est, calicem Domini, aqua & vino mixtum, prophetica voce prænuntiat. &c.*

S. Ambrosius in cap.1. Luc. *quando sacrificamus Christus adest, Christus immolatur*, etenim pascha nostrum immolatus est Christus 1. Cor. 5. v. 7.

S. Hieronymus in cap.26. Mat. *Postquam typicum pascha fuerat impletum & agni carnes cum Apostolis comederat* : assumit panem, qui confortat cor hominis, *& ad verum Pascha transgreditur Sacramentum. Vt quomodo in præfiguratione eius* Melchisedech summi Deus sacerdos, panem & vinum offerens, fecerat, *ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.*

Gregorius Nyssenus in orat. de Resurrect. *Dominus præoccupans impetum Iudæorum, seipsum victimam offert, idem simul sacerdos & agnus. Sed dices mihi: quando hoc accidit ? Tum, cum* corpus suum ad comedendum, & sanguinem ad bibendum *familiaribus dedit.*

S. Chrysostomus orat. 17. in Epist. ad Hebr. Quoniam multis locis offertur, *multine sunt Christi ? Nequaquam sed unus ubique est Christus. Pontifex noster est. qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius, quod tunc factum est.* Hoc enim facite, inquit in mei commemorationem *Luc. 22. Non aliam hostiam, quàm Pontifex, sed eandem*

semper

semper facimus, vel potius hostiæ, seu sacrificii facimus recordationem.

S. Augustinus de Civit. Dei lib. 18. c. 35. *Malachias*, ait, *prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam Iudæis, apertissimè dicit ex persona Dei.* Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. *Hoc sacrificium, per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco, à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Iudæorum &c. cessasse, negare non possunt:* quid adhuc exspectant alium Christum?

Mirum sanè est inveniri homines, qui has Patrum ex scriptura S. ductas sententias, per delira interpretamenta in aversum sensum conantur abstrahere, totumque hoc sacrificandi mysterium in orationes piorum ridiculè transformare, aut persuadere, aliud unquam sensisse Patres, quàm antiquissimæ liturgiæ Petri, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, Cyrilli Hierosf. & Ambrosii suadeant, qui eundem hodiernum Missæ nostræ canonem, vel sensu, vel etiam verbis plerisq; repræsentant. Hos tamen logodædalos propria suorum Confessione de Veteris Ecclesiæ sensu validius retundemus.

§. IV. Sanctorum Patrum de Missa judicium ab ipsis Protestantibus cognitum.

SI ipsorum Protestantium judicio vetus Ecclesia hoc incruento corporis Christi sacrificio, super altare Deo oblato, usa fuerit, veritatem hanc, opinor abundè fore stabilitam.

Lutherus in *lib. de capt. Babyl. c. 1.* Missa, *inquit*, creditur passim esse sacrificiũ, quod offertur Deo. Accedunt his dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, tantusq; usus per orbem constanter observatus. *Et in Epist. dedicat. de abroganda Missa.* Magnum est certè, *inquit*, tot seculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumque autoritati reluctari &c. Tune solus sapis (*seipsum alloquitur*) tot errant universi tot secula ignorarunt? *Deniq; in tom. 7. Germ. Witt. edito fol. 479 fatetur. Dæmonem sibi vigilanti adstitisse, Missæque abrogandæ multis argumentis fuisse autorem.* Ex quibus nihil ego concludo; sed prudentem hic hominem expendere cupio, ut statuat; plusne toti Ecclesiæ & priscis Patribus, quos sibi adversari Lutherus sensit, an huic & Diabolo qui iisdem opponuntur tribuendam judicent?

Calvinus se cum Luthero & Diabolo contra omnes adversantes stare ostendit. Sic habet *lib.* 4. *Inst c.* 18. §. 11. Quia veteres quoque video aliò hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat, nihil tutius piis pectoribus fuerit, quàm in Domini ordinatione acquiescere. *Et* §. 12. si cogitamus Domini, non hominum cœnam esse, non est cur ulla hominum autoritate, aut annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri.

Kemnitius in *Exam. Conc. Trid. p.* 782. *inquit*: Negari non potest, veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicę, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ. Item uti verbis offerre, sacrificare, immolare.

Hospinianus *l.* 2. *de orig. Templorum c.* 6. *ait*. Non nego habuisse primitivam Ecclesiam ante Constantinum altaria, seu aras. Meminit enim & Tertullianus geniculationis pœnitentium ante aras in lib. de Pœnit. Mentionem quoq; facit altaris Cypr. l. 1. Epist. 7. &c. Et ex Origenis Homil. 10. in Josuam apparet, ad ornatum altarium jam tum à fidelibus quædam collata esse.

Authores Admonitionis Neustadianæ *Cap.* 11, Incom. 1. Absurd. 45. Verbis quidem detestantur (Lutherani) sacrificium propitiatorium Missæ, sed reipsa fundamentum ejus retinent & tuentur. &c. Nam posita Christi præsentia, facilè obtinebitur petendam esse remissionem propter hunc filium, qui manibus sacerdotum de altari tollitur. &c.

Centuriatores Magd. De primi seculi post Apostolos Patribus fatentur, Cent. 2. c. 4. *de sacrif.* quædam incommodè (*ut ipsis visum*) dicta occurrere, ut in Epistola Ignatii ad Smyrn. *Non licet*, inquit, *sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare.*

Et Irenæus lib. 4. c. 32. *Novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* Ita illi; sed mox frustra hæc in alium sensum detorquent, quasi ille de merito Christi fide apprehendendo; hic de pane consecrando potius, quàm consecrato loquatur. Quod profectò non est loqui, nec sapere, ut homines.

Ex eodem Irenæo illud lib. 5. adferunt, ibid. c. 6. de ritib. cœnæ. *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis Christi.* &c fatentur quoque hanc Eucharistiam frequenter oblationem ab eo (quanquam impropriè, & negligenter) appellari. Sic ex Clemente Alex. lib. 1. Strom. dicunt: *Etiam Eucharistiam, cum quidam, ut mos est diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere.*

Deni-

Denique subijciunt qui nugis rituum delectatur, audiat Anacletum Epist. 1. Tom. 1. Concil. *Ipsi autem quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfectè in sacratis Deo locis sacrificare probentur Ait, namque autoritas legis divinæ :* vide ne offeras holocausta tua in omni loco &c. *In solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos & subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat &c.* Hæc aliaque Centuriatores fateri coguntur, sed existimant, ita oblatam Eucharistiam, propter adjunctas preces, quæ adjunguntur sacrificia dici. Sic Justinum loqui in Dial. cum Trypho. lib. 4. cap. 34. *Nos offerre munus ad altare, quod est in cœlis; illuc enim preces nostræ, & oblationes diriguntur.* Verùm perversè. Nam preces & oblationes distinguit, non confundit Justinus, nec altare quod in cœlis constituit, tollit illud, super quod in terris immolatur. Deinde cum eædem oblationes vocentur hostiæ & Victimæ, ut paulò ante fatentibus adversariis audivimus, cùmque Ignatius dicat nos immolare, quæ ratio hæc potest universa transformare in oblationes vel sacrificia precum? Hac sanè loquendi audacia omne sacrificium propriè dictum negari poterit. Stabit igitur immota hoc seculo panis vinique Eucharistici Deo facta oblatio.

De altero seculo sic loquuntur *Cent. 3. cap. 4. de Euch.* Cyprianus superstitiosè fingit, lib. 1. Epist. 1. quod *Eucharistia in altari sanctificetur*, & lib. 2. Epist. 3. *Sacerdotem vice Christi fungi, & Deo Patri sacrificium offerri.* Item *passionem esse sacrificium, quod Deo offeramus.* Qua phrasi *(sacrificium offerre)* etiam Tertullianus l. de cultu fœm. de cœna loquens, utitur. Et Martialis Epist. ad Burdeg. *cœna*, inquit, *Domini, id est sacrificium Deo creatori offertur in ara.* Hæc illi, nec habent, quam adeò disertis verbis expositionem opponant.

De tertio seculo ita scribunt *Cent. 4. cap. 4. de Cœna.* Incommodè dictum, quod citatur ex Athanasii libello *de imagine Christi*, Patribus oblato congregatis apud Cæsaream Cappadociæ, in quo expressè negat *ex carne & sanguine Christi aliquid in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris, per manus sacerdotum, quotidie spiritualiter efficitur.* Est & phrasis nova apud Nazianzenum orat. 1. in Jul. *Mox incruenti sacrificii oblatione manus commaculat.* Item ex præparatione ad Missam, quæ est apud D. Ambrosium. *Ego Domine memor vene-*

venerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemoratione tui &c. utitur quoque locutionibus his, *Missam facere, offerre: offerre sacrificium* &c. lib. 5. Ep. 33. Hic iterum interpretatio deficit, solum arguunt censores improbi, quod *superstitiosè* & *incommodè* Patres loquantur. Nostrum erit judicare, istiue Veteres Apostolorum, an hi novi, Lutheri ejusque præceptoris discipuli in scripturarum interpretatione audiendi sint?

III. Appendix de Sacramentis reliquis.

De reliquis sacris gratiæ divinitus collatæ signis, utque nos Catholici appellamus, sacramentis, cum plerique Protestantium nihil suis in Confessionibus moveant, Nos præter illa, quæ parte 1. & 2. Concordiæ diximus, vix quicquam ultra præter aliquas Patrum ex S. scriptura ductas testificationes censemus adjungendas. quod ceteris compositis, non difficilis harum quoque controversiarum decisio futura sit. Pauca tamen discurienda existimavi, quandoquidem ad quendam hic scopulum, quem auricularis Confessionis vocant, plures, tanquam allisa navi, resilierunt.

In definitione Sacramenti universè convenimus, quando illud statuimus esse *signum sensibile à Deo institutum invisibilis à gratiæ nobis collatæ.* Addunt illi, quod eandem gratiam obsignet, nos quod hanc etiam conferat, licet in virtute meritorum Christi. Sed hæc potius ad effectum, quàm naturam spectant. In tribus his consentimus 1. quod sit signum sensibile. 2. quod à Christo institutum. 3. quod promissionem gratiæ annexam habeat. Hæc igitur paucis ostendo in quinque aliis sacramentis, à Protestantibus malè neglectis, reperiri: ut de Pœnitentia, Confirmatione, Ordine, extrema unctione, & Matrimonio.

Pœnitentia I. est signum sensibile externum, ut confessio Pœnitentis est, & Sacerdotis absolutio, illis indicatum verbis Johan. 20. v. 22. *quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis retenta erunt.* quæ remissio, aut retentio, cum recta ratione fieri nequit, nisi alter singula confiteatur, ut dijudicare Sacerdos possit, quæ remittenda, aut retinenda sint. Nec reus absolvi poterit, sine pronuntiata

Sacer-

Sacerdotis sententia. vide p.2.tr.2.art.3.2. Gratia promittitur in verbis. *remittentur eis.* 3. Institutum in his verbis simul adjunctis continetur : *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hinc Apostolus etiam dicit 2. cor. 8. v. 18. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis*, nam *pro Christo legatione fungimur.*

Confirmationis signum sensibile est manuum impositio cum oratione. Sic Actor.8. *Oraverunt pro ipsis & imponebant ei manus*, moxque additur gratia : *& accipiebant spiritum S.* v.15. & 17. Cujus etiam promissio habetur Joh.14.v.6. qui in omnibus adversis adsit, & fortes reddat in testificatione veritatis Joh.15. v.79. Cum autem Apostoli ita spiritum S. contulerint, institutum Dei fuisse necessum est. Porrò unctio impositioni manuum ab Ecclesia jungi solita fundamentum habet 2. Cor.1.v.21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Qui locus paucis nomen, rem, formam effectumque Confirmationis complectitur.

Ordinis signum externum manuum quoque impositio est, quæ adjunctam habet promissionem gratiæ 1. Tim.4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Paria habet 2. Tim.1.v.6. Institutio & mandatum habetur Act. 13. v. 2. de Paulo & Barnaba speciatim. *Segregate*, inquit, *spiritus S. mihi Paulum & Barnabam in opus* (ministerii) *ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, orantes, imponentesque illis manus, dimiserunt illos* ad Evangelii prædicationem. Quem usum jejunii, orationisque etiamnum servat Ecclesia. Episcopis Timotheo & Tito per Paulum hoc officium in suis ad illos Epistol. committitur, & universim traditur cum regendi munere, cui ministros ordinandi munus sociatur Act.22.v.28. *Attendite vobis & universo gregi in quo vos spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam.* Et Ephes. 4. v.11. quædam quoque ordinandorum ponitur diversitas. *Ipse dedit alios quidem Episcopos, alios Pastores, & Doctores in ædificationem corporis Christi:* uti & Diaconi præter illos Phil.1.v.1.& 1.Tim. 3. reperiuntur. In quibus Episcopi tam potestate ordinis, quàm jurisdictionis eminent. illâ, quia his munus ordinandi presbyteros & confirmandi ceteros per manuum impositionem commissum, hac verò ; quia super presbyteros etiam judices constituti sunt. Ita Paulus Timotheo 1. Tim. 5. ait, *Adversus Presbyterum accusationem noli suscipere, nisi sub duobus aut*

aut tribus testibus. v. 19. *& manus cito nemini imposueris.* v. 22. & ad Tit. 1. v. 5. Porrò licet Ordo in veteri quoque Testamento repertus sit, tamen, quod gratiam promissam non haberet, in Sacramentis numeratus non est.

Extremæ unctionis signum sensibile, & institutio exponitur Jacob. 5. v. 14. *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & ungant eum oleo.* Promissio mox gratiæ additur. *Alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Neque hîc, ut nonnulli volunt, de miraculosa sanitate eo tempore conferenda agitur. Cur enim hæc solis committatur presbyteris, & peccati habeat sibi adjunctam remissionem? *Matrimonii* signum externum est contractus inter virum & feminam, ut habes Eph. 5. v. 31. *Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ. Sacramentum hoc magnum est.* Additur cum Christo conjunctio, seu promissio gratiæ: *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* quæ magis exponitur 1. Tim. 2. v. 3. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate.* Quomodo verò in his permanebunt, nisi ante donum mutuæ fidei, amoris, & continentiæ conjugalis cum sanctitate quadam collatum fuerit? Institutum habemus Matth. 19. v. 6. *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Porrò quod non omnibus omnia Sacramenta concedant e. g. Sacerdotibus conjugium, non pugnat cum ratione Sacramenti, quæ diversa diversis sunt statibus accommodata. Paulus nuptias, ceteris permissas, viduis ad Ecclesiæ ministerium assumptis prohibet 1. Timoth. 5. quo facto tamen non repudiantur nuptiæ. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic, &c. sed in qua quisque vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 1. Cor. 7.

§. I. Observatio de Sacramento pœnitentiæ.

Quæ hîc moventur ab adversariis vel magni non sunt momenti, vel alibi pro instituta brevitate discussa ut de Confessione & satisfactione quoad Sacramentum pœnitentiæ in part. 2. tr. 1. art. 11. & præcipuè tr. 2. art. 3.

Quod verò ad rationem Sacramenti hæc signa negent sufficere, eò, quòd vel non sint visibilia, ut in pœnitentia, cõfessio & absolu-

absolutio: vel annexam, ex instituto gratiam non habeant; ut universim cetera, id omnino vanum est. Nam quid interest, an audibile, vel palpabile sit signum, modò sensibile sit, quod de occulta gratia concessa instruat? Hoc necessarium; illud impertinens est. De gratiæ verò promissione hic signis annexa, breviter ante vidimus, quæ nisi per scripturæ oppositam sententiam apodicticè evertantur, Ecclesiam à sensu usuque perpetuo dimovere non possunt.

De *Pœnitentia* verò instant, hanc neq; in Vet. T. sacramentum fuisse, & tamen gratiam remissionis habuisse adjunctam, atque habere etiamnum solâ baptismi & fidei virtute. Christum etiam sine Sacramento, & exactâ confessione, remisisse peccata. neque de Apostolis reperiri, quod hoc medio salutis usi sint. Fallere non posse illam Christi promissionem, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*; cùm Baptismus per peccata non prorsus aboleatur. *Resp.* Nec baptismus in V. T. Sacramentum fuit; & tamen nunc est. Virtus pœnitentiæ, ut olim, sic etiamnum extra Sacramentum operatur, sed hujus beneficio illius nunc suppletur imperfectio, utpote in *lege gratiæ*, quæ beneficiis nos pluribus cumulavit olim incognitis. Ut si quis non habeat in pœnitentia *fidem* talem, *quæ per charitatem operatur*, aut *timorem* filialem *Domini, expellentem peccatum, timeat* tamen *illum, qui potest & animam, & corpus mittere in Gehennam* Luc. 12. audire possit: *remittuntur tibi peccata tua.* Baptismus & fides, in relapsis, præparatio ad pœnitentiam sunt, & hoc virtute sibi cognata præstant, initium reconciliationis & salutis sunt, non tota salus. Alias nec charitas, nec ipsa virtus pœnitentiæ requiretur, si ista ad salutem cunctis sufficiant. Christum exigere à pœnitentibus confessionem par non erat, ut se ostenderet rerum abditarum conscium: nec Sacramenti egebat adminiculo, qui erat fons omnis gratiæ. Ut imbecillitas contradicentium appareat, quando tam infirma colligunt argumenta. Et Apostoli quidem citra hoc Sacramentum gratiam impartiri potuissent, ut nec ab exemplo illorum liceret arguere; verùm tamen, cum Actor. 19. legamus: *multi credentium veniebant, & annuntiabant actus* (*offensas* habent originalia) *suos.* & Jacobus totam fidelium congregationem, in quibus & Sacerdotes erant, admoneat: *confitemini alterutrum peccata vestra* Jac. 5. nemo prudenter colliget, Apostolos clavibus, sibi ad hanc indulgentiam concessis, usos non esse.

Verùm

Verùm nulla in re manifestius deploratam hic se tueri causam adversarii produnt, quàm cùm hæc Christi verba: *quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt,* ita pervertunt: ut hunc esse sensum afferant. *quibus prædicabitis, seu nuntiabitis peccata esse remissa, his remittentur, &c.* Quis hic, obsecro, divinorũ verborum reverens, illa perversitate interpretandi non offendatur? Quo Dei verbo hanc expositionem, ut solum necessariam eruunt, obviamq; sententiam evertunt? Nihil hactenus traditum; ut facessere novitate tanta necesse sit. Et verò phantastica hæc absolutio est: *si credis, denũtio tibi, quod à peccatis sis absolutus.* Nam qui credit, juxta Protestantes, certò tenere debet sibi remissa peccata esse: Ergo hanc certitudinem à Nuntio prædicante exspectare non potest: aut si ab illo etiamnum exspectat: non credit, ideòq; nec hac denunciatione absolvitur. Deinde quomodo potest credere, se absolvi ex denuntiatione prædicantis, qui est homo, & falli potest. Ad verbum Dei utique tali homini recurrendum erit, videndumq;, num in illo scriptum sit: quod prædicanti remissionem denuntianti credendum sit. Et hoc nusquam reperiet: Si tamen reperit, jam non Prædicans, sed verbum Dei certam tali absolutionem denuntiabit. Frustra igitur his absolutoribus salariũ penditur, quibus credere non possum me esse absolutum, nisi in Dei verbo hoc ipsum reperiam, & verè Deo credam, meque per fidem ante absolutum teneam, quam ipsi hoc mihi significent.

At, quid tandem Prædicantes denuntiant? *Si credis,* fide scilicet vivâ, *absolutus es.* Ergo ipsi non remittunt tibi magis peccata, quàm Asina Baalam, si hoc ipsum diceret, neq; enim magis intelligunt, quàm hoc brutum, an tu absolvaris; quia, an verè credas, nesciunt. Nisi tu magis noveris, te absolutum esse, quam ipsi, & sine ipsis idem teneas, hærebis in luto. Christus veris sacerdotibus suam tradidit cum ministerio vicariam potestatem. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos, quibus remiseritis, remittentur, &c.* Toto cœlo hæc diffident. debitum alicui remittere, & nuntiare ab alio esse remissum, morbum alicui tollere, & nuntiare quod sanus sit, pecuniam solvere, & nuntiare quod soluta sit. Magis mirum quod dicunt. Sacerdotem *retinere* etiam *peccata* posse, & tamen non intelligere, an & quænam illa sint? captivũ detinere in vinculis posse, aut denuntiare, quod in vinculis detineatur, de quo tamen nesciant, an in rerum natura sit, umbramne an corpus, pulicemne an camelum attineāt? Quid hoc est, nisi cœcos judicare de coloribus? Actus itaque tui per te

te expositi, te prodente, inspiciendi sunt, nisi fortè, ut Nathano Davidis delictum, sic Sacerdoti tuum jam ante satis sit exploratum. Tum quoque, ubi seriò tan tùm dixeris: *peccavi*, audire per os sacerdotis vicarii Dei poteris, *Deus transtulit peccatum tuum.* Neque anxium te hic esse cupimus, ut quæ ignoras, etiam eruas, ad tibi cognita tantùm obligaris, conscientiæ solum loquenti obsequere, quam dum audies, non aberrabis. Hanc diligenter *explora, de admissis dole*, *crimen* vicario Christi *detege*, onusque *satisfactione admitte*, & dignum hoc te reddes sacramento.

Sed hic rursùm obnituntur: nam detrahere Christo est inquiunt, suis aliquid operibus satisfactionis tribuere, *ipse* enim *est propitiatio pro peccatis nostris* 1. Ioh. 2. v. 2. *& impietas impii non nocebit ei, quacunque die conversus fuerit ab impietate sua* Ezech. 33. *Resp.* ut nihil Christi meritis per fidem & Sacramenta, ita nec per bona opera detrahi, quæ in virtute meritorum Christi, non minus quàm illa, ad salutem prosunt. Solis claritatem speculum ab illo refulgens, non aufert, sed propiùs nobis exhibet. Christi propitiatio sufficit omnibus, non tamen singulis nisi applicata prodest. Qui nos sine nobis redemit, non salvat sine nobis, hic cooperandum est. Unde Christus Luc. 3 *facite fructus dignos pœnitentiæ* Et Paulus 2. Cor. 7. inter *tristitiæ* opera, *quæ pœnitentiã in salutẽ stabilem operantur, vindictã* collocat quæ, si sola ad Deũ impii conversio omne malum transferat, frustra in ultionem scelerum adhibetur. Insanus enim sit, qui sibi pœnam infligat, quam constet à Deo sublatam, *sed de his vide part.* 2. *l. c. & supra de bonis oper. & Purgatorio.*

§. II. Veteris orthodoxæ Ecclesiæ Patres ex S. literis de vera pœnitentia judicium ferunt.

IN primitiva Ecclesia, longè in pœnitentiæ disciplina rigidiores, non privatâ tantùm, sed & publicâ confessione ac satisfactione, per aliquot quandoque annos imperata, confessum scelus expiabant; quod tamen onus cum divina lege impositum non esset, sed vel spontanea pietate, vel Ecclesiæ voluntate, in publicis inprimis criminibus susceptum, ut qui scandalo aliis fuerant, essent rursùm ædificationi; propter

conjunctam]quandoque, ex pœnitentium scelere cognitor' infamiam, ab Ecclesia denique sublatum est, illâ tamen quæ privata est, confessione semper retenta. Quod præmonendum censui, ut cum Patres ac præcipuè Chrysostomus (qui à publica confessione magnopere, propter recens exorta scandala abhorrebat) ad pœnitentiam coram Deo agendam extimulant: noveris non à privata, sed publica confessione avocare. Sed ipsi sine interprete, mentem suam loquuntur.

Tertullianus proximi ab Apostolis seculi Doctor, in singulari de Pœnitentia libro cap. 4. sic scribit. *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit: dicens ad populum*, pœnitere, & salvum te faciam. *& iterum*: vivo, *inquit*, Dominus & pœnitentiam malo, quam mortem *Ezech* 18. Et infra c. 9. *Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu & victu mandat &c. jejuniis preces alere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.* Idem adversus gnost. c. 10. *Si adhuc clausum putas cœlum memento* claves eius, hic Dominum Petro & per eum Ecclesiæ reliquisse. *Mat.* 16. *quas unusquisque interrogatus atque confessus secum feret.*

Origenes, eiusdem ævi, disertius ostendit, non soli Deo, sed & Sacerdoti singulatim exponenda peccata, qui judicet, an publicè quædam conveniat exponi. *hom.* 17. *in Lucam explicans illud*: ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Et nos*, inquit, *si peccaverimus, debemus dicere*: peccatum meum cognitum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi: dixi, annuntiabo injustitiam meam contra me Domino. *Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra non solum Deo; sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait*: ecce deleo, ut nubem, iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua.

Idem psal. 37. *ubi dicitur*. Quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo. *Tantummodo*, ait *circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere &c. siquid dederit consilii sequaris. Si intellexerit & præviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari. Ex quo fortasse, & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, & satis periti*

Medici

Mediti illius consilio procurandum est. Unde apparet, non in publica confessione, sed privata, quæ apud Sacerdotem judicem de singulis præmitti consueverat, absolutionem datam: illam verò in occultis delictis satisfactionis & emendationis loco, tum adhibitam, cùm ad ædificationem ita Sacerdoti spectare videretur.

Cyprianus Ep. 75. *Qualis error sit, & quanta cæcitas eius, qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel à Christo supra petram solidata est, hinc intelligi potest; quòd soli Petro Christus dixerit:* quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. *Mat. 16. Et iterum in Evangelio, quando in solos Apostolos insufflavit Christus dicens:* accipite spiritum S. si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, & si cui tenueritis tenebuntur Ioh. 20. *Potestas ergo remittendorum peccatorum Apostolis data, & Ecclesiis quas illi à Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.*

Idem serm. de lapsis *Denique, inquit, quanto & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii* (idololatrici) *aut libelli facinore constricti* (quo Christum abnegarent) *quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus deponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse*: Deus non deridetur *Gal. 6.* & infra. *Confiteantur singuli, quæso, fratres delictum suum, dum adhuc, qui delinquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

Reliquis seculis brevitatis studio transmissis, cum Chrysostomo & Augustino, quos adversarii favere sibi putant, concludam. Et *Chrysostomus* quidem hom. 2. de Sacerd. *paucis ad illa alludens*: ite ostendite vos Sacerdotibus: *inquit, Quamobrem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani ultrò sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere.* Quod de privata confessione dictum est, cum publicam aversetur.

S. Augustinus lib. 1. de visitat. infirmorum, c. 4. & 5. *sunt, inquit, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. No-*

na. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur se ostendere Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere, per legislatorem constituit Dominus *Lev.* 1. &c. *Nos autem non negamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum.* Beatus enim, qui tenebit, & allidet parvulos ad petram *psal.* 136. Petra autem Christus est: *Sed testamur, & testatur illud sana doctrina, ne tibi applaudentium faveas auribus, quoniam prius eges Sacerdotis, qui Mediator sit apud Deum tuum, salubri judicio. Alioquin & sub lege, & sub gratia:* ite & ostendite vos Sacerdotibus *Luc.* 17. *responsum quomodo consummaretur?* Confitemini alterutrum peccata vestra *Iac.* 5. *quomodo compleretur? &c. Adstantem coram te Sacerdotem Angelum Dei existima.* Labia quidem Sacerdotis, *ait Malachias* c. 2 custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus Angelus enim Domini exercituum est. *cum qua, & Deum & Angelum eius decet reverentia, Dei ministrum affari: aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundiarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Nam humanum est peccare, Christianum est à peccato desistere, diabolicum perseverare.*

Hæc, nisi fallor, ulterioris non egent interpretis.

§. III. Protestantium ipsorummet sententia de sacramento Pœnitentiæ cognoscitur.

TEstes nunc etiam audiamus Adversarios nostros, illis vocibus, quas veritas extorsit.

Lutherus, quamvis non omninò secum consentiens, ut qui disertè *contra Lovanienses art.* 35. Pœnitentiam inter sacramenta recenset, sed in *captivitate Babyl.* eandem rejicit, quod signo visibili divinitus instituto careat: tamen ibidem sic statuit: *occulta* confessio, quæ modò celebratur, etsi probari ex scriptura non possit, miro tamen modo placet & utilis, imò necessaria est. Nec vellem eam non esse, imò gaudeo eam esse in Ecclesia Christi, cum ipsa sit afflictis conscientiis unicum *remedium*. Hæc ille. Ex quibus concludo, quod si necessaria sit hæc confessio in Ecclesia, sitq; unicum remedium conscientiarum in relapsis, tot illam nobis scripturæ S. locis præcipi, quot relapsis pœnitentia

tentia & emundatio à delictis imperatur, ideoque malè adjectum à Luthero est, quod ex S. scriptura probari nequeat.

Melanchthon *in Apologia Confess. August.* Verè, inquit, sunt sacramenta, Baptismus, cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ. Idem confirmat *in Catechismo*, & in ultima editione *locorum communium* (corrigens, quod in prima, Lutheri gratiâ, omiserat) ubi sic habet. Numerentur hæc sacramenta, Baptismus, cœna Domini, Absolutio. Mihi maximè placet etiam addi Ordinationem.

Centuriatores verò sensum Veterum quoque hac in re promunt. *Cent. 2. c. 6. de ritibus.* In Epistola, *aiunt, prima Clementis Rom. tom. 1. Concil.* sic habetur. *Quod si fortè alicuius cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquot malum his, quæ superius memoravimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hoc huic, qui potest, ut ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quo possit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.* Et in eadem Epist. *Petrus instruebat, actus vitæ suæ omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere; firmiter cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum illidere, & sacerdotibus Domini manifestare.*

Instituit & *Alexander Papa, ne Presbyter ab incestuosis accipiat munus ut eorum scelera reticeat, aut minus dignè pœnitentem ad reconciliatioem adducat, eique testimonium reconciliationis ferat.* Hæc illi. Qui licet horum scriptorum fidem suspectam faciant, tamen Clementis Epistolarum & Epiphanius meminit hær. 30. & Hieron. lib. 1. contra Jovin deque scriptoribus Ecclesiasticis, & discertè liber Pontif. Damaso inscriptus primæ hujus Epistolæ: licet inscriptio & chronologia ab aliis forte addita, errore multis scriptis communi, vacillent. Alexandri Papæ institutio, ut minori contradictioni obnoxia est, ita & probationis minus indiget. Illos qui cum Apostolis vixerunt audivimus, nunc & proximè sequentes audiamus.

De altero sic habent seculo *Cent. 3. cap. 4. de Pœnit.* Plerique, ajunt, hujus seculi scriptores doctrinam de Pœnitentia mirè depravant. Ad ipsum tantum opus pœnitentis, seu contritionem deducunt, eique remissionem peccatorum imputant. De fide in Christum, aut gratuita remissione nihil dicunt &c.

Origenes hom. 6. in Exod. *lapsos* jubet, *pœnitendo, flendo, & satisfa-*

tisfaciendo delere,quod admiserunt,quia dicat Propheta : si conversus ingemueris,salvus eris. Et hom,15.in Levit asserit,*pœnitentiam*,id est,*lacrymas & bona opera,esse pretium quo peccata nostra redimuntur*.

Cypr anus l.1.Ep.3.*peccata*,ait, *redimi & ablui satisfactionibus*. Alibi ejusmodi pœnitentiæ definitionem extruit, lib.3. Epist.18. *Pœnitentiam ille agit,qui divinis praceptis mitis & patiens,& sacerdotibus Dei obtemperans,obsequiis suis & operibus justis Dominum promeretur*.

Denique subiiciunt.Autor *serm de Passione Christi*. videtur quoque nostræ contritioni & confessioni tribuere, quod mereantur veniam,& quod pœnæ,seu supplicia corporalia satisfaciant pro pœnis æternis. Ut,*Sodomitas esse igne inflammatos, ut in ipsa sub versione generent pœnitentes,& temporali pœna æternalis non succedat,sed esset iis pro remedio supplicium, & pro absolutione tormentum* Deus enim non vult mortem peccatoris,sed magis ut convertatur & vivat.*Ezech.33.*

Ibidem in *Centur 3.cap.5.* Ex Eusebio varia recitant exempla lapsorum per hæresim, & excommunicatorum,qui per publicam pœnitentiam in Ecclesiam recepti sunt,quos extra cõsensum Rom.Pontificis non licebat,nisi in articulo mortis, absolvere,ut ex lib.2. Epist.7.Cypriani ostendunt.

In hoc seculo subsisto.Nam in ceteris eandem de sacramento hoc sententiam confirmari,apud eosdem Centuriatores Lector,cum voluerit,reperiet.

§ IV. Patrum antiquorum de reliquis Sacramentis è scriptura judicium.

IN Sacramentis reliquis facilis erit concordia. Unus breviter Augustinus ex S.literis nos instruet,ne hæc omninò intacta relinquamus.

De *Sacramento Confirmationis* sic habet.lib.15. de *S Trinit.c.26.* Unxit eum Deus spiritu S. *Act.*10 *non utique oleo visibili,sed dono gratia,quod visibili significatur unguento,quo baptizatos ungit Ecclesia.* Et contra lit. Petil.l 2.c.104.*Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est,sicut ipse Baptismus.*&c.

De *Sacramento Ordinis* contra Epist. Parm.l.2.11. Sicut mi-

sit me vivens pater, & ego mitto vos: *& cum hoc dixisset, insufflavit & dixit*: accipite spiritum S. si cui dimiseritis peccata dimittentur ei &c. Et ib. c. 13. *utrumque Sacramentum est* (Baptismus & Ordo) *& quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoq; in Ecclesia utrumque non licet iterare. Quia* (ut ait lib. 1. de Bapt. contra Donat. c. 1.) *character indelebilis est.*

Distinctos verò gradus ordinatorum alibi Augustinus expressit, ut cum ad Quodvultdeum hæres. 53. dicit: *Aerius cum esset pressyter, doluisse fertur, quod Episcopus non posset ordinari: & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidit nonnulla, dicens: presbyterum ab Episcopo nulla debere differentia discerni.* Quem errorem Epiphanius quoque inter hæreses censet hæres. 75. *Decepit*, inquit, *Aerium æmulatio. Profert autem ad errorem suum, quod Apostolus scribit Presbyteris & Diaconis, & non scribit Episcopis. Et ad Episcopum dicit*: ne neglexeris donum, quod in te est, quod accepisti per manus presbyterii 1. Tim. 4. *Et rursus alio loco Episcopis & Diaconis scribit. Est ergo (inquit Aerius) idem Episcopus, qui & Presbyter.*

Quem deinde errorem sic refutat. *Quod* inquit *idem non possit esse cum Episcopo Presbyter, divinus Apostoli sermo declarat. 1. ad Timotheum Episcopum c. 5. v. 1.* Presbyterum ne objurges; sed hortare velut patrem *Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret? Quare deinceps admonet. v. 19.* adversus Presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi sub duobus tribusve testibus *Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret.*

De extrema unctione August. ait lib. 3. de visit. infir. cap. 4. *Nec prætermittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum c. 5.* Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum ungentes eum &c *Ergo sic roges de te & pro te fieri sicut dixit Apostolus Iacobus, imò per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet olei sacri delibutio intelligitur Spiritus S. typicalis unctio.*

De Matrimonio, inquit, *de adult conjug. l. 1. c. 21.* Mulier alligata est, quamdiu vir eius vivit 1 *Cor. 7. Vnde*: si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur, & qui dimissam à viro duxerit mœchatur. Marc. 10 Luc. 16. *Ideoque ex eodem præcepto Domini & vir uxorem non dimittat*, quoniam qui dimiserit uxorem suam, præter causam fornicationis, facit

eam mœchari *Matth. 5. Si propter hanc causam dimiserit, ipse sic maneat. Omnis enim qui dimittit uxorem suam & ducit alteram, mœchatur.* Ibidem lib. 2. cap. 5. inquit. *Sicut manente in se sacramento regenerationis, excommunicatur cujusquam criminis reus, nec illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo, ita manente in se vinculo federis conjugalis*, uxor dimittatur ob causam fornicationis (Matth. 5. v. 32.) *nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro*, carebit autem si mortuus fuerit vir eius &c. Quod si enim mortuus fuerit vir eius, cui vult nubat. 1. Corinth. 7. *Quoniam si per conjugis adulterium conjugale solvitur vinculum, sequitur illa perversitas, quam cavendam esse monstravi: ut & mulier per impudicitiam solvatur hoc vinculo, quæ si solvitur, libera erit à lege viri. Et ideo, quod insipientissimè dicitur, non erit adultera, cum altero viro si fuerit; quia per adulterium liberata est à priori viro. Quod si ita est à veritate devium, ut nullus id, non dico Christianus, sed humanus sensus admittat, profectò* mulier alligata est, quamdiu vivit vir eius. 1. *Cor.* 7.

Quocirca paucis idem August. de Genesi contra Manich. lib 2. cap. 24. sic habet. *Dicit Apostolus* sacramentum magnum esse *Ephes.* 5. *quod dictum est Genes.* 2. propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. *Idemque* de gen ad lit. lib. 9. cap. 7. *Hoc* (inquit de bono conjugii) *tripertitum est. Fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est quasi regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.*

Refellit hic paucis miram quarundam hominum in scripturis evertendis audaciam, qui illam Christi sententiam Mat. 5. v. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : & qui dimissam duxerit, adulterat*: ita interpretantur, ut hæc verba, *excepta fornicationis causa*, quæ ad priorem tantum sententiæ partem, hoc est illum *qui dimiserit*, spectant; etiam ad posteriorem, hoc est illum, *qui duxerit dimissam*, spectari velint, quasi tali casu non adulteret. Sensus enim hic erit; *qui dimissam*

dimissam duxerit, non adulterabit, exceptâ causâ fornicationis. Unde consequetur, ut quandocunque vir, aut mulier solvi conjugio voluerit, id repentè fornicatione admissa possit obtinere, ac deinde alteri, sine flagitio, novo conjugio, sociari. Quem sensum Augustinus non solum, non esse Christianum; sed ne humanum quidem, meritò profitetur. Et quid? quod Christus alibi disertissimè veritatem hanc expresserit: *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Luc. 16. v. 18. Proborum igitur hominum non potest esse tam improbum ex scriptura commentum.

§. V. Confessio Protestantium de Sacramentis reliquis, atque inprimis Ordinatorum discrimine, ex veteri Ecclesia desumpta.

MAtrimonium Lutherus quoque *in sermone de Matrim.* ex sacris literis jure agnoscit dici & esse Sacramentum. Matrimonium, inquit, Sacramentum dicitur. Est namque typus rei nobilissimæ & sanctissimæ, hoc est unionis divinæ & humanæ naturæ in Christo. Hinc inquit Paulus Eph. 5. *Quemadmodum vir & mulier duo quadam unum sunt, in carne una; ita Deus & homo unus Christus: ita Christus & Ecclesia unum corpus, quod profectò magnum est Sacramentum.* Omninò itaque res sancta, & sacra est matrimonium, si ritè fuerit observatum.

Idem in *libro de Potestate Papæ.* Omnium, inquit, Ecclesiasticorum idem est Baptismus, eadem Confirmatio, idem Verbum Dei, idem Sacramentum, eadem Pœnitentiæ, Unctionis, Matrimonii, & omnia Sacramenta. Hæc Lutherus, qui quamvis de Capt. Babyl. aliter loquatur: tamen cum neque Scripturam S. neque antiquitatem, quibus hic nixus est, neque seipsum dignis argumentis refellat, cum utrobique sapere non potuerit, apparet quo loco delirarit.

Beza *in Epist.* 8. ait. Chrisma & exorcismus sunt vetusta.

Justellus indice *in Codicem Canonum Africanorum.* In præteritis Conciliis statutum meminimus, ut Chrisma à presby-

teris non fiat,&c ab universis Episcopis dictum est, *Chrisma confectio non fiat à Presbyteris.*

Rittershusius *in Salvianum pag.88.* Solebat autem Chrisma servari in ampullis, ut colligere est in Optato Milevitano,&c. Baptismo adjungebatur unctio, quam etiam Sacramenti nomine Patres appellant.

Casaubonus *Exerc.16.§.30.* In veteri Ecclesia tempore Dionysii Areopagitæ, qui scriptor antiquissimus, Baptismum & sequebatur Eucharistia. Nicolaus Cabasila scripsit de divinissimo Chrismate,& numerat inter Sacramenta, quæ illi sunt (ut Ambrosio,Cyrillo Hierosoly, & plerisque veterum) Baptismus,& Confirmatio. Hæc ex illis. Quoniam verò ordinatorum distinctionem plerique Protestantium non agnoscunt,ita ut existiment jure divino Episcopum, ordinis ac jurisdictionis potestate, majorem esse presbyteris (ut supra ex S. literis breviter offendimus) imò multi eorum pro presbyteris laicos hodie, & temporarios surrogent homines, quos pari in Ecclesiæ administratione, cum institutis Apostolorum successoribus Episcopis,potestate præesse volunt; Operæ pretium erit hac de re ipsorum etiam adversariorum suffragia collegisse.

Justellus in Can.38.Cod.Can. Eccles. Universal. Presbyterium,inquit,accipitur pro consessu Presbyterorum,cui præerat Episcopus 1. Tim.4. v.14. Ignatius *in Epist. ad Antioch.* salutat τὸ ἅγιον πρεσβυτέριον. *Et in Epist.ad Trall.* Presbyterium indicat his verbis. *Quid verò est Presbyterium, nisi cœtus sacer,consiliarii,& concessores Episcopi?* Cornelius UrbisRom. Episcopus ad Cyprianum *lib.3. Ep.11.* *omni actu ad me perlato placuit contrahi sacrum Presbyterium.* Idem *lib.3. Apolog. contra Bezam.* Quis *inquit,* ex Patribus, nostros Presbyteros annuos agnosceret esse veros, esse & legitimos? Saravia *libro de diversis Ministrorum gradibus.* Sunt,*inquit,* in quibus sine ullo Verbo Dei Ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt. Primùm est Episcoporum abolitio : alterum est Presbyterorum temporariorum inventio; tertium Diaconorum annuorum & laicorum.

Conradus Rittershusius part.1.cap.7.Comment. in Novellas. Notetur,*inquit,* quod ait Optatus Milevit.lib.2. advers. Parm. *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos,ministros,& turbam fidelium,* Idem lib,1. p.16. ordinem

nem hierarchiæ Ecclesiasticæ sic recenset. Primo Episcopos ponit, tanquam apices, ut vocat, *& principes omnium*. Secundò Presbyteros, quos dicit, *in secundo sacerdotio constitui*. Tertiò Diaconos in tertio. Quartò ponit *ministros plurimos*, id est, *Hypodiaconos, Cantores, sive Psalmistas, Lectores, Acolythas*. Ignatius Epist. ad Smyrn. *omnia à vobis ordine perficiantur in Christo, laici Diaconis subordinentur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo.*

Centuriatores *Magdeb. Cent.* 3.*c.*7. *de grad. pers.* Fuit usitatissimum juxta Ecclesiæ necessitatem, quemadmodum & seculo superiori, officia Ecclesiastica distribuere in Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Hos enim gradus Tertullianus recenset, iisdemque nominibus Origenes, &c. Cyprianus Acoluthi meminit, & Hypodiaconi, & Lectoris, & Exorcistarum. *Et infra* scribit Tertullianus *lib. de jejunio* Episcoporum fuisse incumbente aliqua necessitate Ecclesiastica, publica *universæ plebi jejunia indicere*. Et Origenes *lib.* 9. *in Epist. ad Rom. Qui Ecclesiis præsunt talem incipiant solicitudinem, qualem Apostolus dicit* 2. *Cor* 11. concursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum, &c. *illam vero, aliam secularem habere non debet.*

Ita *Centur.* 4. cap. 7. scribunt Ambrosius *lib. de Sacerdot. dign. Aliud*, inquit, *quod ab Episcopo requirit Deus, aliud quod à Presbytero, aliud quod à Diacono*. Addere poterant ex eodem in verba Apostoli ad *Ephes.* 4. Ipse quidem quosdam dedit Apostolos, alios Pastores, &c. Ubi post diversos Ecclesiasticos ordines enumeratos, subjicit. *In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est Princeps Sacerdotum*. Sed maluerunt hoc loco dissimulato, illa addere, quæ de *dignit. Sacerd.* asserit: *Episcopi & presbyteri una ordinatio est: uterque enim Sacerdos est: sed Episcopus primus est*. Et Hieronym. ad Nepotian. *Eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros, eo tantùm discrimine, quod illud dignitatis, hoc ætatis fuerit nomen*. At silentib. quoque dictum ab eodem: *Quod Aaron & filii ejus sunt, hoc Episcopum & Presbyteros esse, noverimus*. Quorum ille utique dignitate, quæ potestatem simul majorem includeret, fuit superior. Silent etiam, quod apud Evagrium (ubi utrosque rursum Hieronymus æquat) ordinandi tamen potestatem excipiat. *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Una itaque est ordinatio, quâ tam Episcopus, quam

Presby-

Presbyter Sacerdotium, hoc est, præcipui in Ecclesia ministerii est officium consecurus; ita ut omnis Episcopus rectè Presbyter dicatur, ideoque & hoc eos nomine Apostolus quandoque accipiat. Verùm tamen in ordinatione conferenda, seu consecratione aliorum, divino jure adeò strictè differunt, ut licet in ceteris, Episcopus, uti in danda confirmatione, & potestate jurisdictionis usurpanda, vices suas aliis demandare, necessitate urgente, queat; ordines tamen per alium nunquam contulisse auditus sit. Et hac de causa, sola ordinatione Episcopos à Presbyteris differre, quandoque Patres asserunt; quod hæc sola potestas ordinandi incommunicabilis semper habita sit. Ut proinde in Protestantium Ecclesia nullus ritè ordinatus habeatur, cùm Episcopi in prima discessione illis defuerint.

Porrò jurisdictionis potestas Episcopis hoc ipso confertur, quòd ceteris præficiantur, etiam Presbyteris, *regere Ecclesiam Dei*, reliqui verò jubeantur *obedire præpositis*. Heb. 13. v. 17. ita ut illi leges & mandata dare, hi exequi teneantur, illi præsidere judicio, hi subesse cogantur. 1. Tim. 5. Quam potestatem ab Apostolis tum primùm collatam Hieronymus existimat, quando Ecclesiæ schismata timebantur. Sic enim habet in Epist. ad Tit. cap. 1. *Idem est Presbyter qui Episcopus, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis*: ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ; *communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur*. Existimat igitur Hieronymus per Apostolicæ Ecclesiæ decretum hanc potestatis jurisdictionem Episcopis collatam, non à Christo ante institutam, vi cujus tamen Presbyteros Episcoporum regimini & judicio subjicit. Quia addit: *Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine* (ex Apostolico decreto) *quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores*.

Quibus sanè verbis (ut Protestantes opinantur) non evincit Hieronymus, Episcopos jure divino non esse Presbyteris majores; cum potestatem ordinis non tangat; jurisdictionis

per

per Apostolicam institutionem (si tamen soli Hieronymo, hac in re credendum sit) non evertat. Et sanè, cum in Epistola ad Marcellin. dicat, Episcopos succedere *Apostolis, Presbyteros* 70. *discipulis*: manifestè utrosque jure divino à se invicem separat. Cum Christus tam successoribus Apostolorum & Discipulorum, quam ipsis Apostolis & discipulis jus suum in Ecclesia contulerit.

Licet enim Ecclesia ab ipsis primordiis, dum sub Apostolorum præsertim disciplina, velut in cunis, versaretur, formam illam regendi ministrandique, quam deinde tenuit, secuta repentè non sit; quòd solido nondum, capacique tam illustris regiminis constaret corpore; tamen cum primùm illam ministrorum & varietatem, & subordinationem instituit, non existimanda est, à concepta per Christum forma deflexisse: quòd possibile non fuerit principio in modico corpore omnium membrorum dignitatem repræsentare. Ut non inanis modo, sed omnino puerilis sit istorum hominum ratio, qui regiminis disciplinæque Ecclesiasticæ formam ad prima Ecclesiæ tempora exactam volunt, nec majorem in Pontifice summo, qui toti præsideat orbi, Regibus modò præsit, atque Imperatoribus illius dignitatem propalam reverentibus, majestatem agnoscere, quàm olim in cryptis latentes, paucorum & obscurorum capitum Pastores obtinerent: non alios in Ecclesia amplissima ministros, quàm olim in tantis angustiis, & despecti vulgo officii utilitate, reperti sunt, tolerare: quodque nec rusticus in familia abs se amplificata patiatur, hoc Ecclesiæ insolenter præscribere. Apage tam importunis censoribus.

Postremò non aliquorum tantùm, ex Protestantium Ecclesia, Doctorum autoritate; sed totius penè Ecclesiæ Anglicanæ (quæ quidem nomen aliquod meretur) suffragatione nitimur, quæ sententiam hanc & S. Scripturæ & Patrum antiquorum esse universim profitetur; idque Regum etiam suorum non tantùm calamo, verùm & sanguine contestatur. Quibus cum plerique Protestantium sese, absque veræ religionis jactura, assentiri posse fateantur: aut si negent, vana omnino sit illa Confessionum, quam vulgo jactant, harmonia: hoc se titulo à Romano Catholica religione separare non poterunt. Strata igitur hac in re, juxta propriam quoque Confessionem, est concordia.

Alia)

Alia, quam hic nonnulli obmovent, de ordinandorum electione ac præsentatione, difficultas, cum hanc plebis esse contendunt, facilè discutitur, quod Catholici non negent, plebem aliquando suis ad hanc suffragiis concurrisse (nunquam tamen excluso Presbyterio, ceterisque Ecclesiæ proceribus) quia multorum indoles sæpè plebi magis est explorata, ut Act. 6. Diaconi à plebe, non ex jure à Deo tradito, sed Apostolis exigentibus delecti sunt, qui & *multitudinem convocarunt, & jusserunt considerare viros idoneos,* quibus ipsi deinde *manus imposuerunt.* Quare licet hoc factum, ut loquitur Cyprianus, *à divina autoritate* descendat; de plebe tamen adhibenda, non præceptum, sed consilium adferr, plebemque, ut testem, non judicem, & dignitatis potestatisque collatricem admittendam, ex arbitrio Prælatorum, ostendit.

Quod cum olim per Apostolos eorumque successores, Presbyteris Episcopisque passim, ab extera etiam gente Christiano populo submissis factum sit, atque hodiedum per ipsos Protestantium Ecclesiæ principes electis submissisque ex ipsorum, non populi voluntate & judicio, ministris præstetur, non existimo, quòd hos juris divini violatores, hac in parte, habituri sint. Nihil itaque hic reperio, quod aut S. Literis, aut meditatæ Concordiæ videatur adversari.

ARTICULUS XXXIX.

Credimus *a* Deum velle mundum legibus & politia gubernari, ut aliqua sint frena, quibus immoderatæ mundi cupiditates coerceantur, ideoque constituisse regna, respub. & reliquas principatuum species, sive hereditario jure obveniant, sive minus, neque id duntaxat; sed etiam quidquid spectat ad statum justitiæ, quam vocant, cujus author agnosci postulat. Ideò etiam gladium in magistratuum manus tradidit, reprimendis nimirum delictis, non modò contra secundam tabulam; sed etiam contra primam commissis. Oportet *b* ergo propter illum hujus ordinis authorem, non tantum pati, ut ii dominentur, quos ille nobis præfecit, sed etiam honore, & omni reverentia eos prosequi, tanquam ejus legatos ac ministros, ad legitimum & sanctum munus obeundum ab ipso designatos.

ARTI-

a *Exod.* 18. *v.* 20. *Matth.* 17. *v.* 24. *Rom.* 13. *v.* 1. b 1. *Pet.* 2. *v.* 13. & 1. *Tim.* 2. *v.* 2.

ARTICULUS XL.

Affirmamus ergo *c* parendum esse legibus & statutis, solvenda tributa & reliqua onera perferenda, subjectionis denique jugum voluntariè tolerandum, etiamsi infideles *d* fuerint Magistratus: dummodo Dei summum imperium integrum & illibatum maneat. Itaque detestamur omnes eos, qui dominationes repudiant communitatem & confusionem bonorum invehunt, omnem denique juris rationem evertere moliuntur.

c *Matth.* 17. *v.* 24. d *Act.* 4. 17. *&c.* & 5. *v.* 29.

Observatio.

Nihil hic est, quod jure reprehendas, modo Ecclesiasticum regimen judiciumque non tradant, occulto sensu, potestati seculari. Quod si faciant, jam illos part. 2. Concord. art. 8. & ult. Confessionis Augustanæ ex S. literis reformavi. Si tamen præterea Veteris Ecclesiæ Orthodoxæ sensum, propria etiam Confessione firmatum, audire libeat, in sequenti Appendice plura illius rei argumenta se offerent, ideoque hic sigillatim, brevitatis studio, placet abstinere.

Ceterùm, qui alium desiderat, quàm obvium S. Scripturarum sensum, quo in hac Reformatione tantùm usi sumus, non ingenio solum nostro verum Ecclesiæ Veteris Sanctorumque Patrum, is *R. P. Viti Erbermanni* Bellarminum recens vindicatum à cavillis *Amesii & Gerardi*, ubi omnem vafrè intorquendi scripturas S. artem, & propositam inveniet, & explosam. Nobis in tam vastum mare cymbam inferre non licuit, quando aliis legibus circumscribimur: nec libuit, quando nullus ab hac evagandi licentia exitus est: ubi Adversarii cum Scripturam jactant, suis tantùm interpretatiunculis & consequentiis, pro ingenii privati libidine, circumferuntur. Ut amentia nunquam in orbe major reperta sit, quàm reperiri homines ratione præditos, & cetera eruditos, atque ut apparet sapientes, qui hanc suam aberrationem væcordiamque, idque in salutis æternæ discrimine, pro certa veritate ac

sapientia

ſapientia venditent. Quorum error pertinaciaque, ſi nobis in hac Concordia obtinenda moram injiciat, ſubveniet D. Auguſtinus, à *Reverendiſſimis DD. Wallenburgicis* per *Methodum*, claram ſimul & expeditam, *ad fidem orthodoxam ex ſolo Verbo Dei defendendi* propoſitus. Quibus, ut ſpero, machinis, vel ſigillatim, vel univerſè admotis, Deo Superiſque adſpirantibus, expugnari multorum in errore contumacia, aut ignorantia poterit; ut flectatur quod durum, illuſtretur quod obſcurum eſt.



APPEN-

APPENDIX

Ad Reformatam Confessionem Reformatorum DE ECCLESIÆ ORTHODOXAE CONCILIIS,

A Protestantibus juxta & Catholicis receptis, in quibus veræ Ecclesiæ lineamenta manifestè exhibentur.



Ui compendiò totam Religionis controversiam expedire volet, is ex conciliis veteris Orthodoxæ Ecclesiæ nullo penè negotio intelliget, quænam partium hac ætate sibi adversantium veram in corruptamque fidem amplectatur. Quamcunquè enim cum articulis horum Conciliorum maximè consentire repererit, hanc necesse est orthodoxæ religioni esse propiorem. Hæc igitur nos obiter concilia, idque solum in controversiis hodie capitibus, lustrare operæ pretium duxerim, ut pluribus denique machinis admotæ veritatis, nemo nisi à Deo & veritate alienus, queat resistere.

Concilorum alia diœce sana sunt, quæ ab Episcopis cōvocantur: alia provincialia, quæ ab Archiepiscopis: alia nationalia, quæ à Patriachis seu Primatibus: alia generalia, quæ ab Ecclesia universa, summo Pontificis consensu & voluntate instituuntur. His ultimis summa jure tribuitur autoritas, prioribus eadem accedit, cum ab universa Ecclesia, summique Pontificis approbatione fuerint acceptata. Unde evenit, ut in quibusdam, & particularibus inprimis Cōciliis alii sæpe canones probari, alii spurii, & rejectitii sint; quòd illos Ecclesia vel expressò, vel tacito Pontificis consensu receperit: hos opposità Patrum aliarumque synodorum doctrina repudiaverit. Ex his igitur conciliis quæ recepta olim, vel ex integro, vel ex parte fuêre tantò firmius, quãtò

ex Patribus argumentum ducitur, quantò majus habere pondus debent publicæ, quàm privatæ Doctorum voces, & tot in unum sensum conspirantes sententiæ, quàm solitaria nonnullorum suffragia, certior denique S. spiritus, & Christi Ducis Capitisque supremi præsentia, illic ubi *duo vel ter centum in ipsius nomine congregati sunt*, quàm ubi privatus sæpe spiritus intervenit, & proprii capitis interpretamentum. Quæ causa cur nec Patribus, ut Tertulliano, Origeni, Cypriano, alisque fides ubique sit, sed illic solum ubi Ecclesia Orthodoxa non contradixit. Ab hac enim Ecclesia supra petram fundata, & perpetua divini Spiritus ope firmata, totum religionis nostræ, assensusque in fide infallibilis robur dependet.

Canones Apostolicos, licet à Clemente Romano, Zephyrino Pontif. Onuphrio, Genebrardo, aliisque scriptoribus probatos, quæ præsentem Romanæ nobis Ecclesiæ imaginem non paucis lineamentis contra Novatores exhibent, volens prætereò, tantùm illa, quæ nobiscum admittunt, Concilia nonnullis suis partibus repræsento, ut intelligant Protestantes, nisi nobiscum in gratiam redeant, cum veteri illos Ecclesia sentire nequaquam posse.

§.I. Synodus Apostolica Hierosolymis, Synodorum orthodoxarum prototypon.

Apostolis licet Spiritu Dei plenis, & scripturarum divinarum certa intelligentia fretis solenne tamen fuit, in rebus fidei morumque non ex sola scriptura S. definire facienda, sed collectis Ecclesiæ proceribus audire aut reddere sententiam, ac postremò scienda ac facienda concludere. Sic (prætetquam quod Act. 1. in electione Matthiæ, & Act. 6, in septem Diaconorum institutione collecti sunt) Act. 15. formam nobis generalis cujusdam in Ecclesia concilii exhibuere, anno, ut videtur à morte Christi 17. Claudii Cæsaris 9. ut Baron. signavit. Causam Cerinthus hæresiarcha cum suis dedit, qui præter legem Evangelii ceremonialem quoque Moysis legem velut necessariam obtrudebat. In qua controversia finienda, non ad Evangelium Christi (licet hoc Apostolis faveret) sed communem Ecclesiæ sententiam confugiendum esse statuerunt; cum Evangelii pro se interpretari sensum Cerinthus posset, sed Apostolorum vivam, definitamque sententiam non posset infringere.
Iterum,

Iterum primo hic Petri suffragio pronuntiatum est : nemi- nem Christianorum lege circumcisionis, aut alia ceremoniali Judæorum teneri. Deinde non permissum est populo, hujus Concilii senten. iam ad Evangelium Christi expendere, & si judicarent congruere, assentiri ; sed quid tenendum sit, præscibitur, tanquam ab Ecclesia simul & Spiritu S. profectum. Postremò licet præscrip a fuerit abstinentia ciborum temporalis ad præsentem Ecclesiæ conditionem requisita, tamen ex conscientia ad illam obligantur, ut hanc Ecclesiæ potestatem esse Ap. st li suo nos exemplo docerent. *Visum*, inquiunt, *est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, nisi ut vos abstineatis ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato. Vide*, ait, ad hæc Chrysostomus hom. 33. in Mat. *brevem Epistolam neque epicheremata, atque syllogismos habentem ; sed imperium. Erat enim legislatio Spiritus.* Nunc Protestantibus considerandum relinquo, ut expendant: quænam Ecclesia huic concilio maximè conformes hodie synodos eligat, & præcepta magis similia tradat?

§.II. Synodi generales, & inprimis Nicena, veram Ecclesiam repræsentant.

Nunc quatuor universales synodos à Protestantibus quoque probatas admissasque juxta 6. art. supradictæ Confessionis : quòd illas non tantum cum verbo Dei sed & secum convenire existimarent, in quibusdam canonibus ab iisdem tolleratis audiamus.

Agite igitur, à Nicena synodo auspicemur, quæ contra Arium potissimum, ad tuendam Christi divinitatem, & Quartadecimanos, ad paschatis solennitatem in dominica die firmandam à Patribus 318. sub Constantino Imper. & Sylvestro Pont. anno, ut probabilius, Christi 325. est instituta. Definita verò non tantum ex scripturis S. sed antiquis etiam Patribus adversus Arium & Eusebium Cæsariensem Episcopum in hoc concilio sententia est, ut Athanasius, Theodoretus atque ipse etia Eusebius testes luculentissimè sunt. Sic enim habet in hist. Eccl. Theodor. l. 1. c 8 Ex Athanasio ad Afric. *Quod autem obmurmurare solent in scriptura has voces (ὁμοούσιον) non reperiri, stolida est refutatio. Qui enim ex alienis à scriptura verbis struxere impietatem*

(ut quod ajebant *de nihilo esse* filium, & *fuisse* aliquando *cum non esset) quaruntur, sed de iis, qua in scriptura non reperiantur esse damnatos. Episcopi verò non sibi illas voces finxere; sed testimonio usi Patrum, ita perscripserunt. Fuere enim Episcopi abhinc annos circiter trecentos triginta, unus Magna Roma, & alter vestra urbis;* (Cathaginis) *qui redarguerunt asserentes, creaturam esse filium, & non coessentialem cum Patre. Neque hoc latebat Episcopum Casarea Eusebium, qui affirmavit, reperiri quosdam priscos doctos & spectatos Episcopos scriptores, usos coessentialitatis voce, de patre & filii divinitate.* Quin & ipse Eusebius in Epistol. de fide Nicex, apud Theodor. lib. c. 12. propterea se victum assensumque fatetur. *Filii*, inquit, *non est alia ulla substantia essentiave, nisi paterna, cui & ipsi, accedere, cum tali interpretatione, rectum esse censuimus. Nam priscos quosdam Doctores, & celebres Episcopos scriptoresque scimus in disputatione Deitatis, Patris, & filii, inter alia etiam hanc dictionem coessentialis usurpasse.* Sed ad ipsos veniamus Canones, quorum ex multis 20. communi sensu admittuntur.

Primus canon *excludit à Clero qui seipsos castraverunt.* Evidenti argumento quod jam olim in Ecclesia receptum fuerit, ut Clerici à mulieribus se continerent. Non illos quibus usus mulierum concessus sit, nemo hoc facinus dixerit meditari. Idem Canon inter Apostolos 21. statuit, ut hunc inde desumptum esse pateat.

II. *Negat recens ex gentilismo conversos baptizatosque Episcopatui aut Presbyterio admovendos esse.* In Ambrosio & Nectario tamen istis de causis Ecclesia dispensavit.

III. Sic loquitur. *Interdixit omnimodo sancta synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli clericorum omninò licere habere secum subintroductam mulierem, nisi fortè Matrem, aut Sororem, aut Aviam, aut Amitam, aut Materteram, vel eas tantum personas, qua omnem fugiunt suspicionem.*

Quo Canone cum uxor non excipiatur, clarum est Paphnutii intercessionem pro uxoribus Clero indulgendis vel commentum hæreticorum esse, quales Socrates & Sozomenus Novatiani fuêre (quorum ille l. 1. c. 8. hic, eâdem aberrans chordâ l. 1. c. 22. hanc recenset) vel non admissam fuisse. Certumque illud nobis redditur, tum ex Arelatensi synodo haut multò post celebrata, tum ex Basilio Magno ejusdem ætatis disertissimo teste. Nam Synodus quidem Can. 3. hunc Canonem Nicenum repetit, exclusa uxore etiam, in prius conjugatis. Quod expressius Can.

2. qui

2. qui præcedit, declaratur. Ubi sic habet. *Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio.* Ita Magdeb. Cent. 4. c. 9 Verùm apertissimè D. Basilius Epist. 17. ad Pareg. in Addit. loquitur, ad senem septuagenarium de muliere cohabitante. *Ejice*, inquit, *illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium. Sit illa cum virginibus, tu inter viros ministra. Lege canonem à Sanctis Patribus nostris in Nicena Synodo constitutum, qui manifestè interdixit, ne quis mulierem subintroductam habeat.* Quæ D. Hieronymus confirmat Epist. 50. Apostoli, inquit vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium æternum pudici.

IV. *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia Episcopis ordinari. Si autem hæc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodo ad hoc ipsum convenientibus, & his, qui absentes sunt, scripto consentientibus, ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, à cujusque Provinciæ Metropolitano est tribuenda.*

Ex quo Canone intelligitur, quantum inter Presbyteri, & Episcopi ordinationem discrimen sit, quantumque hæc dignitate superet. Porrò diligenter hic Protestantibus videndum: quanam in Ecclesia hodiedum illa observentur.

V. Canon. *de excommunicatis in alieno quoque Episcopatu vitandis, & Concilio ab Episcopis bis in anno cogendo* differit.

VI. *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo par consuetudo est. Similiter autem & apud Antiochiam ceterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem universè clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, non debere esse Episcopum.*

Ruffinus l. 1. c. 5. sic corruptus proponit. *Apud Alexandriam & in urbe* Roma *vetusta consuetudo servetur, ut, vel ille Ægypti, vel* hic (Episcopus) *suburbicarum Ecclesiarum curam gerat.* Ubi tamen illud *vel* & quæ *sub urbe* sint *Ecclesia*, magis ambiguum, & indefinitum sensum relinquunt.

Verùm Canonem hunc apparet, omissis quibusdam ab Arianis unà cum pluribus aliis corruptum esse. Quare restituendus est ex Concilio universali Chalcedonensi, ubi Actione 16. sic à Paschasio Episcopo citatur.

Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo &c. Quem sensum sententiamq; e collecti hujus Concilii Patres agnovere, cum respondent, *Perpendimus omnem primatum ; & honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari* &c. Per quæ incertus superioris canonis de Romanæ Ecclesiæ potestate sensus abundè definitur, atque intelligitur Romani Episcopi consuetudinem esse, etiam in orientis Ecclesias supremam potestatem exercere, omnesque Christi Ecclesias unius sub urbis Ecclesia censêre. Sed de his consule supra art. 30.

VII. Canon ait de honore Hierosomytano Episcopo tribuendo, cum subjectione ad Metropolitanum. Verùm hos & reliquos canones, cum nihil hac ætate controversum adferunt, prætereo. Solùm Protestantes expendere cupiam, cujusnam Ecclesiæ imaginem hi canones proprius repræsentent.

Hoc verò Concilium autoritate sedis Romanæ administratum esse constat. Nam Legatus Rom. Pontificis Osius Episcopus ex Hispania Cordubensis ad hanc hæresim opprimendam Roma missus, literis Imperatoris instructus Alexandriam profectus est, ut inter Alexandrinum ejus loci Episcopum, & Arium presbyterum ortam controversiam sopiret, ac deinde concilio, cum Vito & Vincentio Pontificis Rom. nomine interfuit, ubi hi sub Imperatoris præsentis tutela, non judicio & imperio, sententiam cum ceteris Episcopis adversus Arium protulerunt, ac subscripserunt primi. Quorum pleraque tam manifesta sunt ut nec ipsi Magdeburgenses Cent. 4. c. 9. possint inficiari. Constantinus, inquit Ruffin. l. 1. c. 1. *ex Sacerdotum sententia apud Vrbem Niceam Episcopale concilium convocat.* Et c. 2. cum accusatorii libelli adversus Episcopos quosdam dilati in synodo essent. His à se ad ignem rejectis, inquit, *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideo à vobis rectè judicamur.* A quo Patris instituto, cùm filius Constãtius, Arianæ fautor hæreseos, desisceret, atque in synodo primas ambiret, judiciisque partes occcuparet, Athanasius, Osiusque qui Synodo Nicenæ interfuerant, graviter hoc factum perstrinxere. Sic enim habet Athanas. Epist. ad solitar. *Si judicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperator?* Deinde & verba Osii ad Constantium refert. *Nec nobis in hoc genere præcipe ; sed ea potius à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit,*

misit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit &c. Quis enim videns eum in decernendo principem se facere Episcoporum, & præsidere judiciis Ecclesiasticis, non meritò dicat. Illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est. Idem factum Constancio Leontius, non sine acrimonia dicti *apud Theodoret. in indicat. hæreseum, de Eunomio* exprobravit. Hæc subjeci meditanda illis, qui similem Principibus secularibus in Ecclesia faciunt potestatem, chorum à foro, pedum à sceptro non distinguunt.

§. III. Altera synodus Constantinopolitana in exemplum proposita.

Constantinopolitana synodus universalis, adversus eosdem Arianos & adhærentes his Macedonianos, qui Spiritum S. creaturam esse docebant, aliosque in SS. Trinitatem injurios hæreticos, sub Theodosio Imper. & Damaso Pontifice, circa an. Dom. 381. centum quinquaginta Epicopis præsentibus est instituta. Sed cui neque Imperator neque Romani legati interfuêre, licet ope, & consilio utriusque partis, ut Ariani conciliari possent, sit coacta. Quare & Macedoniani Episcopi, quorum sex & triginta prædictis accessêre, moniti sunt, ut memores Legationis ad Liberium Romanum Pont. destinatæ, quâ se ei in fide consentire professi fuerant, Concilii Niceni decretis acquiescant. Verùm illi refractarii, urbe & concilio abire, quàm Homousion confiteri Dei filium maluerunt. Ut ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto habent Magdeburg. cent. 4. c. 9. de syn. Const. Ubi addunt ex Theodor. lib. 5. c 9. Epistolam hujus synodi prolixam ad Damasum Pont. extare. In qua præter cetera Patres excusant sese, quod Romam tamquam membra ejusdem Ecclesiæ vocati ad concilium illic generale celebrandum, obsequi propter Ecclesiarum in Oriente deferendarum periculum nequeant, tres tamen Episcopos ad contestandam unitatem destinant. Ac præter Arii, Ætii, Eunomii aliorumque hæresim etiam Apollinaris (qui animæ mentisque expertem Christum divinitate animatum asserebat) se damnasse asserunt. Quibus Damasus his verbis respondit. *Quod debitam reverentiam sedi Apostolicæ, vestra habeat charitas, vobis filii*

charissimi præstatis ipsi plurimum. Etsi enim in Sancta maximè Ecclesia, ut Sanctus Apostolus sedens docuit, nobis clavi, quem tenendum accepimus, officium incumbat, tamen inferiores tanto nos honore confitemur. Scitote igitur, profanum illum Timotheum discipulum Appollinaris hæretici, unà cum impio dogmate, jam dudum à nobis exautoratum, &c. *Vos istam pestilentiam refugite, memores fidei Apostolicæ, illius potissimum, quæ Niceæ à Patribus scripto exposita est, &c. Iam enim semel formam protulimus, ut qui se Christianum profiteatur, servet ea quæ ab Apostolis tradita sunt,* &c.

Ex quibus facilè apparet ab his Synodi Patribus primum sedis Romanæ honorem potestatemq; in Ecclesia agnitam fuisse. Sed hoc ipsũ Canon. V. hujus Synodi apertè declarat, qui sic habet: *Constantinopolitanus Episcopus præcipuum obtineto honorem ac dignitatem secundùm Episcopum Romanum; ideò quod Constantinopolis nova Roma sit* Ita ex Magd. loc. cit. Quem Canonem licet Romana Ecclesia, ob Alexandrinæ à S Marco & Antiochenæ Ecclesiæ à D. Petro administratæ eminentiam, quodque hæc dignitas Ecclesiæ ex sede imperiali non penderet, quoad illam partem, quæ proximum Constantinopolitano honorem decerneret, admittere & probare noluerit, ut constat ex Gregorii Ep. 123, libri 6. (ideóque & Anatolio ejus loci Episcopo in Chalcedonensi concilio hunc locum prensanti Leo Pontifex restiterit, donec Imperatoris illic residentis gratia tempore Justiniani Imp. obtentum est, Innocentio III. declarante c. Antiq. de privil.) tamen manifesta hinc redditur sedis Romanæ dignitas, ab ipsa Orientali Synodo primis illic sedibus prælata.

Eadem in Synodo postquam egissent de accusatione Cleri coram Episcopis ordinariis, aut Concilio instituenda, sic concludunt Can. 8. vel ut Magdeb habent 6. *Quod si quis spretis iis, quæ de prædictis concilium censuit, ausus fuerit, vel aures Imperatoris obtundere, vel secularium Magistratuum tribunalia, vel generale Concilium conturbare, ignominia affectus omnibus Diœcesios Episcopis, eum censuit Concilium prorsus ad accusandum non esse admittendum.* Ubi rursum causæ Ecclesiasticæ à seculari judice submoventur. Habent itaque & hic novam veteris Synodi & Ecclesiæ idæam, ad quam hinc Romanam, inde propriam Ecclesiam componere liceat, & sic de veritate arbitrari.

§. IV.

§.IV. Ephesina synodus œcumenica, sive generalis.

EPhesina synodus generalis ob hæresin Nestorii Episcopi Constantinopolitani, qui duas Christo personas, divinam humanamque tribuens. D. Virginem negabat esse Θεοτόκον sive Deiparam, sed Christiparam appellandam, sub Cœlestino I. Pontif. & Theodosio Jun. Imp. unà cum Valentiniano Ephesi coacta est an. D. 431. Cyrillo Episcopo Alexandrino, vice Cœlestini Pontif. præsidente. Sic enim habet Evagrius, Socrate in hac synodo describenda accuratior, l. 1. c. 4. *Episcopi qui Ephesi convenerant* (numero circiter 200.) *Cyrillo locum Cœlestini, Episcopatum antiqua Roma (ut supra docui) gerentis, obtinente, accersunt Nestorium, hortanturque ut criminibus ipsi objectis respondeat,* &c. Deinde examinatâ illius doctrinâ sententiam damnationis his verbis proferunt. *Cum eum impiè, & sensisse, & prædicasse deprehenderimus; tum Ecclesiæ Canonibus, tum epistolâ sanctissimi Patris nostri & collegæ Cœlestini Episcopi Rom. Ecclesiæ necessariò compulsi, idque non sine crebris lacrymis, ad hanc severam sententiam contra eum pronuntiandam venimus.* Quæ & apud Magdeb. Cent. 5. c. 9. prioribus tamen dissimulatis reperies; Cyrillus quoque in literis ad Juvenalem Acacium & Joannem Episcopos. *Sacra,* inquit, *Romana Synodus disertam statim in Nestorium tulit sententiam. Cujus decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius occidentis communione excidere noluerint.*

Fuit tamen hæc Synodus principio confusa propter turbas & molimina Nestorii, qui & gratiâ Imper. Theodosii, & Candidiani ac Irenæi Comitum (qui loco Imper. Synodo ad defensionem intererant) utebatur; prætereaque Joannis Antiocheni Præsulis cum suis adhuc Episcopis absentis, ideóque cum advenisset, acta Concilii sub Cyrillo habiti damnantis, interpositione gaudebat. Romani idem Pontif. gratiam captaverat, sed ab hoc incoacto Episcoporum concilio damnatus, missique legati Ephesum, qui concilio adessent exortasque turbas componerent, Imperator etiam per Episcopos à Concilio submissos de erroribus & pervicacia Nestorii instructus, omnia probavit, refractariumque proscripsit, & Antiochenum Præsulem in eandem cum Cyrillo reduxit sententiam. Ut autoritas deinde summa atque uni

universalis huic Concilio fuerit, quo & Nicena synodus confirmata, & una tantum divina Christi hypostasis, ac Virgo Deipara est declarata. Cujus Canones apud Magdeb. lib. cap. & in libro Concil. recitantur. Habent igitur & in hac synodo Protestantes imaginem veteris Ecclesiæ Romanam autoritatem venerantis.

§. V. Chalcedonensis synodus generalis.

CHalcedonensis synodus 630. Patrum sub Marciano Imper. & Leone Pontifice circa annum Christi 451 (nonnulli 53. vel 54. vel 55. ponunt) contra Dioscorum Episcop. Alexand. Eutychis jam defuncti Monachi hæresin, de una Christi post incarnationem natura amplexum, Leonis Pontif. autoritate, & Martiani Imperatoris studio imperioq; subserviente est instituta, qui & eadem lege, qua Constantinus olim Nicenæ, quandoque interfuit. Legatis intera Pontificis Paschasiano, Lucentio, Bonifacio, & Basilio omnia in synodo, quantùm ad causam sententiamque, moderantibus. Quanquam his absentibus Anatolius innovationem Can. V. Constantinopolitani, ut hæc sedes proxima à Romana esset, vafrè impetravit, sed cui deinde Romani Legati contradixere. Sic recitant hanc Magdeburg. historiam Cent. 5. cap. 9. *In postremo consessu Legati Romani Episcopi impugnant Constitutionem se absentibus factam, de altero primatu post Romanam sedem Episcopi Constantinopolitani, & contendunt primatum unum semper penes Ecclesiam fuisse Romanam, damnant subscriptiones in eum canonem, easque coactas esse dicunt. Quod verò singuli eorum qui subscripserant, negant, ac se ultro, non coactos subscripsisse affirmant. Decernunt igitur Synodi Iudices, Primatum quidem & honorem præcipuum, relinquendum esse Episcopo Romano; attamen & Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatus nonnihil deferendum, quia & fascibus imperii ornata, & nova Roma dicta sit, ut potestatem habeat ordinandi Metropolitanos in Asiana, Pontica, & Thracia Diœcesibus, &c. Legati autem Romani à synodo petunt, suspendi id, aut circumduci, ad Episcopi Romani usque judicium, cui petitioni Synodus non repugnat.* Hac confessione Adversariorum de Romanæ Ecclesiæ primatu, quid potest esse

esse disertius? sed & in confessu I. hujus Synodi sic habent. *Vocatur Dioscorus per Synodi epistolam: sed venire recusat. Ad quam contumaciam deponitur promulgantibus Synodi concordi consensu, Leonis Vicariis sententiam eum in modum. Manifesta facta sunt Dioscori, &c. Unde sanctissimus & beatissimus Leo magna ac veteris Roma Episcopus per nos ac praesentem Synodum, unà cum beatissimo & gloriosissimo Apostolo Petro (qui petra & basis est Catholica Ecclesia & fundamentum orthodoxa fidei) Episcopali eum dignitate privavit, & ab omni sacerdotali energia alienum constituit Itaque sancta ista & magna Synodus eadem contra dictum Dioscorum pronuntiat, qua à canonibus sunt decreta.* Eadem leges apud Evagrium Eccl. hist. l. 2. c. 4.. Hanc eandem Pontificis Rom dignitatem præter tot centenos Patrum hac in Synodo collectorum agnovit & veneratus est Imperator ipse Marcianus in prævia ad Synodum Epistola, quam Leoni secundam misit, ubi sic inquit, *superest, ut si placuerit tua Beatitudini in has partes venire, & Synodum celebrare hoc facere religionis affectu digneur, &c. Si verò & hoc onerosum, hoc ipsum propriis literis tua Sanctitas manifestet; quatenus & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum nostra litera dirigantur. ut ad quendam destinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire., & qua Christiana religioni & Catholica fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.* Extat & inter Synodales hasce Epistolas una Episcoporum Mœsiæ ad Imperat. Leonem, quæ sic habet: *In Chalcedonensium civitate multi sancti Episcopi convenerunt, per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* His licet plura ad Romanum primatum stabiliendum addi queant, nihil tamen censeo adjiciendum. Quod hos tanto numero (quanto nunquam antea) collectos ex toto Oriente Episcopos planè væcordes, suæque existimationis & communis in Ecclesia boni negligentes fuisse oporteat, si exteræ nationis, tantisq; intervallis remoto abs se Episcopo supremã post Deum in suas Ecclesias autoritatem concesserint, quam neque in divinis literis, neque in majorum usu doctrinaque fundatam agnoscerent. Quod qui de tot tantisque sibi viris persuaserit, hic nescio, an vel sibi vel illis inter homines ratione, prudentia, ac fide, præditos locum relinquat. Quod verò ante Concilium hæc de primatu Rom.

Rom. Ecclesiæ omnium fuerit persuasio, satis vel eo manifestum est, quod utrimque partes adversæ, hoc est, tam Dioscorus Episcop. Alex. quàm Maximinus Antiochenus, Anatolius Constant. & Juvenalis Jerosolymitanus, atque ipse etiam Imperator Legatos & literas hac in Ecclesiæ causa ad Leonem Rom. Pont. destinaverint. Sed nos de Canonibus hujus Synodi pauca inspiciamus, ut lineamenta quædam hodiernæ in eis Ecclesiæ contemplemur.

In primo consensu Synodi narrant Magdeburgenses, *damnatos Eutychen & Nestorium, atque his transactis,* aiunt, *Synodi senatus jubet singulos Episcopos fidem suam separatim exponere, secundùm expositionem trecentorum octodecim Patrum Nicææ & quindecim Constantinopoli, denique secundum traditiones sanctorum Patrum Gregorii, Basilii, Hilarii, Athanasii, Ambrosii, ac juxta duas Epistolas Cyrilli in Ephesina 1. Synodo vulgatas.* Hæc usitata conciliorum regula, ad quam controversas è S. literis sententias exigere solebant.

In Consessu 4. Barsumas Archimandrita in Syria fautor Dioscori mille Monachos concitasse adversus Synodi Patres dicitur, quorum plures exhibitis pro Dioscoro libellis Patribus contradixerunt, sed confutatis in synodo Eutychis dogmatibus, cum Dorotheo plures Nicenam fidem confessi sunt. *Ita ibidem Magdeb.* ut appareat Monachismum non esse rem novitiam, cum illa ætate tantâ frequentiâ celebretur.

Consessu 15. cautione præmissa, ut rati haberentur veterum Synodum Constitutiones, hos canones sanxerunt, quos illo, quo Magdeburgenses habent, compendio subjicio.

1. Ne propter præmia, aut pecunias, seu Episcopus, seu Clericus quisquam ordinetur.
2. Ne Episcopi, Clerici, & Monachi, rebus politicis se implicent, aut prædia aliena conducant.
3. Ne absque Episcopi voluntate monasterium quis, aut oratorium construat. Et ut Monachi Episcopi se imperio subjiciant, nec seu politicis negotiis, seu Ecclesiasticis sese immisceant.

4. Ne

4. Ne Clerici de civitatibus ad civitates transmigrent.
5. Ne presbyteri, aut diaconi absolutè, sed in publicis locis ordinentur.
6. Ne qui semel se Clero, aut Monachatui dediderunt, ad alias dignitates promoveantur.
7. Ut Clerici, & Monachi, sub potestate se contineant Episcopi,
8. Ut Clericus cum alio Clerico contendens, causam suam agat apud Episcopum.
9. Ne in duarum civitatum Ecclesiis Clericus quisquam ministret.
10. Ut omnibus pauperibus, Ecclesiasticis beneficiis opus habentibus, testimonii detur epistola : honestioribus autem literæ commendatitiæ.
11. Ne provincia una in duos Metropolitanos dividatur.
12. Ne peregrini Clerici in alia civitate ministrent, *sine literis proprii Episcopi.*
13. Ne quis (*expsalmistis & lectoribus Ecclesiæ*) cum hæreticis, aut judæis matrimonium contrahat, *nisi spondeat conversionem.*
14. Ne Diaconissa ante annum 40. ordinetur, pro anathemate verò habeatur, si nuptias expetierit.
15. Ut nec Monachus, nec Deo consecrata Virgo conjuges fiant.
16. Ut per singulas Ecclesias parochiæ & possessiones Episcopis possidentibus maneant immobiles, maximè iis, qui per annos 30. bene præfuerunt Ecclesiæ.
17. Ut Monachi & Clerici conspirantes contra Episcopum de gradu suo præcipitentur.
18. Ut bis per annum Synodus fiat *Provincialis ab Episcopis.*
19. Ut qui Clericum alterum, *alter Episcopus* suscipit, à communione, *sicut & ille,* suspendatur.
20. Ne Clericorum, aut Laicorum in Episcopum accusatio suscipiatur, nisi famæ probatæ testimonium habeat.
21. Ne Clericis liceat bona Episcopi deripere.
22. Ut constantinopolim confugientes, vel excommunicati, vel sine jussu Episcopi, Clerici inde ad suas Ecclesias repellantur.
23. Ne Deo consecrata monasteria, secularia fiant habitacula.

Ut

24. Vt intra menses tres Episcoporum fiant ordinationes,
25. Vt Episcopi dispensatores *seu œconomos, ex suo clero* habeant.
26. Vt rapientes uxores clerici gradum suam amittant, laici verò fiant anathema.

Præter hos canones, tres alii legatis Romanis absentibus per Anatolium Constant. Episcopum impetrati & subscripti à consilio fuerunt, qui à Theod. Balsamone & Jo. Zonara Græcorum Canonum collectoribus expositi sunt, à ceteris Romanis negliguntur.

I. Enim decretum, ut quia Constantinopolis quasi altera Roma, imperii sedes esset, hæc quoque secundam ab illa dignitatem in primatu concessu obtineret, & jus Metropolitanos ordinandi haberet. Ut jam olim in Constant. synodo erat decretum, sed à Romanis obnitentibus hactenus impeditum, quod viderent, ita primatum Orientis absolutè sensim occupari. Quod minimè dissimulatum est; quando *æqualibus cum antiqua Roma privilegiis frui* volebant. Huic igitur constanter decreto Romani contradixerant, quòd hanc dignitatem non ex prærogativa imperii, aut humanis legibus, sed divina voluntate & ordinatione, quâ soli Romanæ sedi, absoluta super omnes Ecclesias potestas competeret, profectam sciebant. Quare S. Leo in Epist. ad Marcianum, hanc illorum postulationem refellit. & S. Gelasius in Epist. ad Episcopos Dardan. hac in ceteris ratione usus est. *Mediolanum*, inquit, *Ravenna, Sirmium, Treviri, & Nicomedia multis temporibus sedes imperii fuerunt. Quibus cum nihil plus juris, dignitatis, & prærogativa Ecclesiæ ea de causa concessum fuerit, non immeritò mendacii arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Rom. urbem ad fastigium Apostolici muneris evectam esse.* Quod Niceni Concilii præfatio in principio confirmat. *Ecclesia*, inquit, *Romana nullis synodicis decretis prælata est ceteris Ecclesiis; sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primatum obtinuit.* Et Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imper. *Animadvertendum est, quia non Nicena, non denique ulla synodus quicquam contulit Rom. Ecclesiæ privilegii, quæ in B. Petro noverat eam totius jura potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ovium regimen accepisse, sicut B. Præsul Bonifacius attestatur universis Episcopis per Thessaliam, &c.*

II. Canon. Episcopum in Presbyteri gradum deducere Sacrilegium est. Si qua autem justa causa illos ab actione removet, nec

nec Presbyteri debent locum obtinere. Ita Anatolius.

III. Quoniam Episcopi Ægypti, non ut Catholicæ fidei adversantes, sanctissimi Archiepiscopi Leonis Epistolæ subscribere distulerunt, dum Alexandrinus Episcopus esset constiturus, remissio illis ad hoc tempus concessa est.

Hi Canones, quod à Rom. Pontificis Legatis probati non essent, nec recepti fuêre, ideóque & Magdeburg. hos prætereunt. Verùm non honore sedis Romanæ; sed quia in his Rom. Pontificis supremam dignitatem, tunc à Græcis quoque agnitam observant, deinde ordinis Episcopalis, & presbyterii manifestum discrimen, quòd sacrilegium ducerent utrumque confundere. Verùm dum scyllam hanc vitant, in charybdim incidunt, fatenturque hoc silentio, illos canones legitimos non censeri, quos Romana sedes, quamvis integro concilio definitos, non approbavit, quod est supremam huic Ecclesiæ capitis autoritatem deferre.

Ceterùm reliquos supra positos Canones Adversarii suopte ingenio expendere poterunt, ac videre cujusnam in orthodoxa hac Synodo Ecclesiæ lineamenta propius expressa reperiant? ubi cum hoc discrimine clerus hodie, Monachi, Episcopi? ubi his & Virginibus Deo consecratis conjugio interdictum sit? ubi illæ Episcoporum ordinationes? ubi nefas tradere secularibus monasteria? Hæc aliaq; cum repererint, pronior erit ad concordiam via. Concludo cum Leone Pontif. Ep. 78. ad Leonem Imp. *Non sunt*, inquit, *omnino inter Catholicos computandi, qui definitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel sancti Chalcedonensis Concilii regulas non sequuntur.*

§. VI. Particularia Concilia ante Nicenum universale celebrata, antiquissimam Ecclesiæ orthodoxæ ideam proponunt.

QUod si ad alia veteris orthodoxæ Ecclesiæ Concilia particularia, aut nationum, aut provinciarum transeamus, plurima sunt, quæ Romanæ nobis Ecclesiæ autoritatem atque imaginem repræsentant, & Neopistarum lineamenta obliterant. Nonnulla perstringam, quæ tamen sufficere æquo judici ad sententiam ferendam possint.

Primi

Primis Conciliis primo ab Apostolis seculo occasionem dedit. (ut Euseb. lib. 5. c. 23. & c. Ruffinus. c. 23. & c. Nicephorus c. 36. & c. lib. 4. Vincentius lib. 10. c. 124. Nauclerus gener. 7. Platina in vitis Pontif, & ex illis Magdeb. Cent. 2. c. 7. & 8. controversia de tempore Paschatis celebrandi, quod in oriente 14 Luna cum Judæis, in occidente Dominica insequente in honorem Christi resurgentis celebrabant. Itaque Victor Roman. Pontifex circa ann. Christi 198. (quanquam alii 191, ponant) sub Severo Imper. Synodum celebravit Rom. ad quam ex oriente etiam Theophilus Cæsariensis Episcopus vocatus venit, decrevitque uniformi observatione pascha Dominico esse die celebrandum. Quod cum in universa Ecclesia vellet teneri. Theophilus in Palæstina cum Narcisso Hierosolymorum Episcopo, Palmas Episcopus in Ponto alii Osrænæ, alii apud Corinthios, Irenæus quoque Episcopus in Gallia Synodum convocavit, decretumque Victoris omnium consensione est stabilitum, solus Polycrates Ephesinus in Asia Episcopus cum collecto illic concilio obstitit, asserens à Joanne Apostolo ad se per Apostolicam traditionem manasse, ut cum Judæis 14. luna pascha celebrarent. Deo igitur magis obtemperandum esse, quam hominibus. Verùm ob hanc pertinaciam à Victore Pontifice, cum suis est excommunicatus. Quanquam hunc Pontificis rigorem Irenæ[9] datis ad Victorem literis improbavit. Sed pervicit Victor. Nam ut Niceph. l. 4. c. 39. *Vix tandem Asia cessit, & ubique terrarum in orbe decretum est, ut non cum Iudæis; sed ipso Dominico die Pascha peragatur. Quamvis adhuc in Asia reliquiæ quædam maneant, consuetudinem eam in paucis prorsus inviolatam retinentes, unde etiam Quartodecimani cognominati sunt.*

Facilius exortum apud Corinthios schisma Romanus Pont. Clemens compressit. Nam ut Magdeb. cent. 2. c. 7. Ex Eusebii l. 5. c. 6. referunt. *Sub hoc Clemente seditione non modicè fratribus Corinthiacis obortâ validissimas literas Rom. Ecclesia ad Corinthios scripsit, concilians eos ad pacem, & fidem eorum ad traditionem, recens ab Apostolis acceptam renovans.*

Ex quibus manifestum est, tum quæ primo hoc seculo fuerit Romanæ Ecclesiæ in omnes autoritas, quam nullus illa ætate pro arrogantia habuisse compertus est; tum quemadmodum ritus illos neutra partium adversatum, inter libera sive adiaphora censuit. Sed quælibet sese ad hæc, quæ majores suo exemplo induxerant, & conformem ubique usum credidit obligatam. Ut Ecclesia denique inter Schismaticos habuerit, & com-

communione sua indignos, quotquot in solo hoc ritu ab eadem discesserunt.

Altera post Apostolos ætate conciliis quibusdam occasionem præbuere Novariani, autore Novato, qui lapsos in persecutionibus ad Ecclesiam recipiendos negabant, contra quos deinde & alia hæresis Felicissimi nata, omnes promiscuè citra pœnitentiam admittendos asserebat; sed concilia iccirco tum in Africa & Asia, tum Romæ celebrata, mediam tenuêre viam, statueruntque lapsos pœnitentiâ præviâ certis legibus recipiendos. In hac re definienda ceteræ synodus, vel cum Rom. Pontifice Cornelio contulere, ut patet ex Epist. 2. l. 1. Cypriani, vel ad Romanam synodum circa An. Christi 254. sub eodem Pontifice celebratam ex aliis orbis partibus confluxere: ut Eusebius l. 6. c. 43. & ex eo Magdeb. referunt, diversis etiam Cypr. Epist. testatur. Meminit & Eusebius Epist. Cornelii ad Fabianum Antiochenum, & transcripti decreti, quo Novatus quoque & consentientes excommunicantur. Post eam condemnationem ajunt Magdeb. cent. 3. c. 9. Cornelius scripsit plerosque à Novato, quos antea fraudulentis & mendacibus persuasionibus adjunxerat, defecisse, & ad Ecclesiam rediisse.

Alia hoc seculo controversia de hæreticis rebaptizandis nata, ancipiti divisoq; Ecclesiarum sensu agitata est. Nam cum in Africa coacto primum Agrippinus carhaginensium Episcopus circa An. D. 217. concilio, ac deinde Cypr. sub Stephano Papa I. circa An. 258. eodem semel iterumque magnâ frequentiâ repetito, statuisset hæreticos, ut nunquam rectè baptizatos, cum baptismate recipiendos esse, Rom. Pontifex, cum sua Ecclesia, hæc concilia irritavit, statuitque validum esse hæreticorum baptismum; ad cujus sententiam Africanæ sensim Ecclesiæ accessere. Cyprianum quoque mutasse animum, satis ex August. l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 4. item Epist. 48. & Hieronymo contra Lucif. tum etiam ipsius scriptis colligitur. Nam l. 2. c. 3. & serm. 5. de ablut. pedum ait, *Baptismum repeti Ecclesiastica prohibent regula.* idemque postea statuit Concilium Carthagin. 3. sub Siricio Papa can 38. Anno Christi 397.

Aliæ hæreses, ut Sabellii, qui SS. Triadem unam personam naturamq; esse diversis tantum nominibus acceptam asserebat, & Pauli Samosateni Episcopi Antiocheni, qui Christum purum esse hominem tradebat, aliis hoc tempore conciliis causam dedere. Nam cum Sabellio se opponere Dionysius Alexand Episc. hic ut hypostases, ita & naturas in SS. Trinit. dividere quibusdã

visus, *Roma* apud Dionysium Papam à Pentapolitanis accusatur, ideóque coacto Romæ concilio ejus causa judicata est, in quò, cùm per libellum oblatum se abundè purgasset, absolutus est. Sed est in Synodo *Antiochena* per Episcopos Orientis, semel iterumq; coacta, Paulus de hæresi convictus damnatusque, atque ea super re ad Dionys. Rom. Episc. literæ datæ sunt. Cum verò Aurelian Imper. interpellatus esset, ut eum jam damnatum domo Episcopali submoveret, Imperator *ille domum Ecclesiæ adjudicari præcepit, quibus Episc. Italiæ & Romæ in dogmate concordes scriberent.* Ita Magdeb. l. c. ex Euseb. l. 7. c. 24. Quæ quisquis expenderit, intelliget controversiarum definitionem nunquam ratam sine Eccl. Rom. approbatione fuisse.

Tertia ab Apostolis ætate, ut crescente Ecclesiâ hæreses quoque creverunt, ita pluribus quoque Conciliis opus fuit.

De Marcellini Pontificis Rom. lapsu sub Diocletiano, concilioq; *Sinuessæ*, circa hujus seculi initium, ad eum judicandum celebrato, scriptores memorant, quamvis nonnulli negēt. Aug. certè de Baptis. contra Petil. c. 16. sat ambiguè loquitur. Concludit tamen contra Donatistas, ejus lapsum objicientes. *Quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus atq; alii, quibus objiciunt, pro sua defensione, quod volunt nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentiâ coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.* Marcellinus si fidem negavit, ut privatus fecit; & negasse per errorem mente conceptum, nemo dixerit; cum agnoscant in Concilio (siquod fuit) squalidum, dolentemque cum Petro veniam fragilitatis rogasse, neque quenquam etiam crimen fatentem condemnare ausum, quod dicerent *primam sedem à nemine judicari: Tu ergo inquiunt teipsum judica.* Qui & judicavit seipsum deponendum, & anathema illi dixit, qui corpus suum sepulturæ mandaret, adiitque Diocletianum, lapsumque retractans, capitis condemnatus, Martyr. obiit. ut ex Sabel. n. 7. l. 9. Magdeburg. Cent. 4. c. 9. Qui tamen rem ambiguam relinquunt, quod plus autoritatis sedi Rom. quàm detrimenti ex hac causa accedere intelligant.

Eliberinum seu Eliberitanū in Hispania concilium, sub Marcello I. & Constantio Galerioq; Imper. circa An. 305. probabilius habitum videtur. quod quamvis, quoad articulos quosdā, præsertim circa lapsos, in quibusdam canonibus Novatiano & can. 34. Vigilantio, can. 36. Iconomachis favere visū sit, ideóq; receptum ab Eccl. Rom. his partibus non fuerit. tamen in quibusdam ab Innoc. I. excusationem habet Ep. 3. c. 2. De lapsis, inquit,

inquit, *observatio prior durior; posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebra persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum negaretur. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis.* Hoc concilium Magdeburg. cent.4.c.9. non repudiant. Admittent igitur, quod dicitur.

Can.9. *Fidelis femina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat: Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de seculo exierit: nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.*

Can.13. *Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, placuit nec in fine dandam communionem, nisi pœnituerint, & à coitu abstinuerint &c.*

Can.23. *Jejunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari &c.*

Can.26. *Errorem placuit corrigi. ut omni sabbati die jejuniorum impositionem celebremus.*

Nam ut in orientali Ecclesia 4. & 6. feria, ita in occidentali 6. & 7. jejunabant.

Can.27. *Episcopus, vel quilibet Clericus alius, aut sororem, aut filiam Virginem dicatam Deo tantùm secum habeat, extraneam verò nequaquam.*

Can. 33. *Placuit in totum prohibere Episcopis, Diaconis, & subdiaconis, positis in ministerio abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*

Arelatense concilium in Gallia celebratum sub Constantino Imper. adhuc, ut videtur, catechumeno, circa An.Dn.314. Causam dederunt Donatistæ recèns in Africa exorti, ob æmulationẽ contra Cæcilianum Episc. Carthag. susceptam, quem ut illegitimè à Felice Aptungitano Epis. ordinatũ, potẽtiori numero ejecère. re judicioq; ad Imp. Const. in Gallia morantẽ delato. Verùm ille (ut Mag cent 4.c.8. Ex Optato & Eusebio) indignans rescripsit: *Petitis à me in seculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium exspectem*: neque ausus se causis Episcoporum interponere, discutiendas eas judiciis Ecclesiasticis delegavit, & ad Melchiadem Episcopum Rom. Episcopos ex Gallia convenire jubet, ut causam Africanorum dijudicent. Quo judicio cum

Donatus cum suis damnatus; Cæcilianus cum Felice, quem Traditoris nomine unà cum Cæciliano sugillabant, absolutus esset; ille verò non acquiscens moram necteret, & per se suosque ad Imper. provocaret, hic primùm misit duos in Africam Episcopos causæ cognitores; cumque nec his freti multitudine obsequerentur: Concilium ducentorum Episcoporum in Galliam convocari curat. Ubi Silvestri Pont. legatis præsentibus, juxta Rom. Concilii decretum iterum ac tertiò condemnati sunt, Cæciliano in locum restituto. Cujus causa (licet facti potius, quàm juris esset, cùm ipse & Felix de traditione sacratum rerum ethnicis in persecutione facta, & ob hanc ordinationis acceptæ datæque incapaces, traducerentur) Imperator tamen ad Ecclesiæ tribunal rejecit. In hoc concilio canones 25. statuti leguntur, in quibus primus *de paschatis solennitate eodem ubique die celebranda constituit.*

VIII. *Vt heretici, qui in nomine SS. Trinit. baptizati fuerint, vero donentur baptismate: alii sic baptizati recipiantur.* Cum Novatiani & Donatistæ omnes rursum baptizarent.

Can. X. *Negat vivente alio conjuge adultero, novum tentandum conjugium.*

Can. XIV. *Falsi accusatores fratrum à communione S. arceantur, Testes addicuntur etiam pœna.*

Can. XIX. *Presbyteris facultas negatur, quicquam, non conscio Episcopo, agendi.*

Can. XXI. *Episcopus, vel per 7. alios Episcopos, vel tres minimum, ordinandus decernitur.*

Ancyranum concilium eodem Anno 314. vel ut alii 218. auctore Vitale Antiocheno Episcopo ob lapsos potissimum tempore persecutionis sub Maximino recipiendos est convocatum, constitutumque ab Episcopis 18. (qui & post Nicenæ synodo interfuere) ut prævia pænitentia admitterentur.

Hujus Concilii canon. X. sic habet: *Diaconi, si in ipsa ordinatione protestentur velle se uxores ducere, si ad nuptias venerint, maneant in ministerio: si tacuerunt, professi continentiam, cum ad nuptias venerint, à ministerio arceantur.* Sed huic canoni, quoad priorem partē, per alios seq. conciliorum canones est derogatū.

Can. XVIII *Quotquot*, inquit, *virginitatem pollicitam prævaricati sunt, inter bigamos censeantur. Virgines autem, quæ tanquam sorores cū nonnullis habitare volunt, à consortio prohibemus.*

Neocæsariensæ Concilium eodem adhuc anno, ab iisdem penè Episcopis; sed tantùm 13. ob quædam alia definienda fuit institutum. In quo inter cætera hæc decreta sunt.

Can.

Can. I. *Presbyterum, si uxorem duxerit, ab ordine illum suo deponendum: fornicatorem sive adulterum, ab Ecclesia, ad pœnitentiam inter Laicos, rejiciendum.*

Can. XI. *Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vita.*

Laodicenum, quod Baronius & Longus An. D. 320. celebratum in Phrygia censent sub Sylvestro Pont. ante Nicenum; quanquam alii ad Liberii Pontificis tempora ad Annum 364. referant. Hic 59. canones per Episcopos 32. sanciti sunt, pluresque eorum postea à Niceno stabiliti. Aliquos commemoro.

Can. 13. *Non est permittendum populo electionem facere, qui altaris ministerio sunt applicandi.*

Can. 15. *Non licet præter Canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.*

Can. 18. *Semper idem precum officium, & ad Nonam, & ad Vesperam oportet celebrari.*

Can. 19. *Postquam Presbyteri Episcopo pacem dederint, tunc etiam Laicis tribuent, & tunc offeratur oblatio. Solis autem Ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.*

Can. 24. *Non oportet Clericos servientes à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes, usque ad Ministros, aut Lectores, aut Psalmistas, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut ex numero Continentium, & Monachorum ingredi tabernas.*

Can. 50. *Non oportet in quadragesima quinta feria ultima hebdomada jejunium dissolvi & totam quadragesimam inhonorari; sed per totos hos dies jejunare & escis abstinere convenientibus, id est aridioribus uti.*

Can. 52. *Non oportet in quadragesima nuptias, aut qualibet natalitia celebrare.*

Can. 54. *Non oportet Ministros altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut scenis exhibentur interesse, sed antequam Thymelici ingrediantur surgere de convivio & abire debent.*

Hos aliosque Canones apud Magdeburg. etiam reperies, ex quibus usitatam hodie in Ecclesia Rom. distinctionem graduum inter Ecclesiasticos, consuetam ordinationem, oblationem in sacrificio ad aram, quadragesimale jejunium, jam olim primis hisce seculis usitatum intelliges.

Romana præterea *Synodus* sub Silvestro ante Nicenam Anno 323. cum recens Constantinus baptizatus esset, celebrata fuit

ad crescentem jam mirificè Ecclesiam rectius, institutis etiam Cardinalibus, administrandam. Hanc sibi suisque rebus adversitatem Magdeburg. ex can. 6. Nicenæ syn. sperant se posse suspectam reddere, cùm nihil hic juris Rom. Episcopo præ reliquis concedatur. At nos contrarium supra ostendimus, ideoque nunc merito censemus, ex hoc etiam canone stabiliri. Nunc ex Rom. aliquot canones audiamus.

Sessione 1. Can. 5. *Constituit clara voce Silvester Episcopus urbis Romæ, ut nemo Presbyterorum Chrisma conficeret.*

Can. 6. *Ut Diaconi non essent, per Parochiarum examen, nisi duo, & Cardinales urbis Romæ septem, ita tamen ut dalmaticis uterentur, & palla linostema, læva eorum tegeretur.*

Can. 7. *Omnes subditi sint, à subdiacono usque ad lectorem, Diacono Cardinali urbis Romæ, Pontifici vero Presbyter Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono. Acoluthus &c.*

Can. 8. *Nullus Subdiaconorum ad nuptias transire aliqua prævaricatione præsumpserit.*

Can. 9. *Nullus lector, vel ostiarius vasa sacra audeat contingere. Nullus Acoluthorum rem sacratam à Presbytero alii porrigere &c.*

Sessione 2. Can. 6. *Siquis Clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam.*

Can. 11. *Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari. Neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur.*

Huic sententiæ subscripserunt 284. Episcopi, ipse etiam Imp. Constantinus & mater Helena. Ultimum hunc Canonem citat etiam Nicolaus Rom. Pontif. adversus Michaelem Imper. *Consonat*, inquit, *huic necessaria sententia S. Silvester & Magni Constantini baptizator: dicens, neque ab omni Clero, neque à populo Judex judicabitur*, haud dubium quin Ecclesiasticus.

En primævam orthodoxæ Ecclesiæ faciem, qualis ante Nicenum etiam concilium ex scriptorum istius ætatis monumentis depingitur. cujus utique lineamenta omnia, ex tanta librorum paucitate hauriri non possunt. Verum ex ungue, quod ajunt, Leonem agnoscere licebit. Protestantes verò vel nullam debent fateri in orbe post Apostolos orthodoxam Eccl. relictam esse: vel hanc nobiscum venerari, atque ubi illius etiamnum præcipua lineamenta reperiunt, illic certò statuere Eccl. illam reperiri, quæ supra Petram fundata, everti nunquam potuit. Quod si odiis simultatibusque positis ex animo fecerint, optatam diu concordiam, cum vera fide ac salute amplectentur.

§. VII.

§. VII. Particularia Concilia post Nicenum celebrata, in veteri primorum quinque seculorum Ecclesia, illius veram nobis imaginem exhibent.

QUamvis singulis ordine particularibus Conciliis post Nicenum in orthodoxa veteri Ecclesia celebratis insistere longius sit, quàm nostrum ferat institutum, tamen præcipua tangere operæ pretium fuerit.

Romanam synodum Silvester An. Dom. 325. instituit, postquam Niceni Patres synodicam ad Pontificem dedere Epistolam, quæ in Actis Pisani lib. 4. extat, quâ Concilium Nicenum à sede Apostolica probari rogabant. Ille igitur ex diversis Provinciis 275. Episcopis congregatis, Nicenam synodum ratam esse jussit. Idem confirmat Felix III. Epist. 4. *Tu es Petrus*, inquit, *& super petram ædificabo Eccl. meam. Eam vocem sequentes 318. Patres apud Niceam congregati, confirmationem rerum, atque autoritatem S. Rom. Ecclesiæ detulerunt.* Quod ex usu perpetuo Ecclesiæ factum tradit Socrates lib. 2. cap. 15. *Canon*, ait, *Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiæ sanciantur.* Inter alia hujus Synodi & hoc decretum.

Silvester Episcopus dixit. Nulli omnino Clerico licere causam quamlibet in publico examinare; nec ullum Clericum ante judicem laicum stare. Et dixerunt Episcopi placet.

Gangrense Concilium, ob Episcopum Osium inter præsentes illic nominatum, hoc loco à Baronio, Binio, aliisque sub Constantino & Silvestro habitum, circa tempus Niceni Concilii collocatur. Ceterùm Socrates lib. 2. cap. 33. & cum illo Sozomenus illud sub Constantio ponunt, adversus Eustachium, Sebastæ in Armenia Episcopum, celebratum. Qui cum nuptias damnaret, communionem Presbyteri, qui uxorem Laicus duxisset, vetabat, Dominicis diebus ciborum præscribebat abstinentiam, ab Ecclesia orantes ad privatas domos avocabat &c. ideoquè varii contra hunc canones decreti, quibus nonnulli Protestantium imperitè adversus Catholicos utuntur. cum Gratianus quosdam ex Græco malè versos citet, quo hic libenter utuntur.

I. Sic habet. *Siquis vituperat nuptias, & dormientem cum viro*

suo fidelem ac religiosam (εὐσεβῆ piam) *detestatur, aut culpabilem æstimat, velut qua in regnum Dei introire non possit, anathema sit.*

IV. *Siquis discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante* λειτȣργήσαντος ἀυτȣ̃ sacrificante illo) *de oblatione percipere, anathema sit.*

Qui Canon tantùm abest, ut Rom. Ecclesiæ adversetur, ut illius etiam sacerdotium stabiliat.

Concilia subinde varia, in oriente potissimum, ab Arianis adversus Athanasium celebrata sunt. Arius per illos simulata resipiscentia rursus in Ecclesiam mandato Constanti Junior. restitutus esset, nisi Alexander Constant. Episcopus versis ad Deum precibus, cum Eusebiani magno numero Concilium pro eo restituendo cogerent, impetrasset, ut effusis ille in secessu visceribus exspirasset. Cum verò idem Imper. Athanasium calumniis Arianorum malè appetitum, denique Alexandrinæ sedi restituisset, non cessarunt iidem Constantio jam ad imperium promoto eundem insectari, etiam causa ad Julium Rom. Pontif. delata: donec, sub umbra Constantii, in Antiocheno Conciliabulo iniquè submovissent. Verùm Athanasius unà cum Paulo Constantin. Episcopo simul deturbato, *Romam ad Iulium* se conferunt, *qui* (ut Magdeb. ex Socrate lib. 2. c. 11. & Sozomeno lib. 3. c. 7. memorant. Cent. 4. c. 9. p. 409. edit. ult.) *dat eis literas ad orientales Ecclesias, in quibus Arianorum temeritatem duriter reprehendit, ac Athanasium Alexandrinam, Paulum Constant. Ecclesiam recipere jubet. Ac simul paucos aliquot ex omnibus ad certum diem adesse jussit, qui probarent; quòd justè adversus eos pronuntiassent. Denique imposterum se non laturum minatus est, nisi à studio novandi desisterent.*

Tanta fuit harum literarum & Pontificis autoritas; ut in suum uterque Episcopatum receptus sit. Ariani tamen ad Julium contra scribunt, & concilium abs se habitum sperni indignantur, communionem suam offerunt, si abrogationem probet; avulsionem, si resistat. Sed nihil obtinent.

Quanquam, inquit Sozomenus loc. cit. (quod Magdeburg. improbè dissimulant, cum sit hostium Romanorum Ecclesiæ, & ab hac damnatorum confessio) *literis suis fatebantur Ecclesiam Rom. primas apud omnes ferre, utpote qua Apostolorum schola & pietatis metropolis (licet autores religionis Christianæ primum ex Oriente ad illos venissent) jam ab initio fuisset: tamen indignati sunt se posteriores ideo ferre, quod magnitudine Ecclesiæ superaren-*

verentur. Verùm ubi à Constantio Arianismi defensore sua rursum sede exutus, ad Julium denuò confugisset, hic indicta Romæ Synodo, per Elpidium & Philoxenum Presbyteros suos, in orientem missos certum illis Synodi diem denuntiat; sed illi cum Athanasium adesse intelligerent, venire detrectarunt. Quare collectis aliis, tam ex oriente quàm occidente 316. Episcopis (ut habent Magdeburgens.) confirmavit Synodi Nicenæ acta, & absolvit Athanasium, quem illi in Antiochena nuper Synodo damnaverant. Interea cum Orientales Athanasij hostes omni arte prensarent Rom. Ecclesiæ favorem, Legatos suos Eudoxium, Martyrium, Macedonium, & Demophilum cum nova fidei confessione in Antiochena Synodo concepta ad Julium destinarunt. quâ se Arianismo obnuntiare simulabant. At Pontifex coacto Mediolanum Concilio, hanc, ob omissam *consubstantialitatis* vocem, damnavit, fraudemque discussit. Ut verò generali aliquo conventu tot contentionibus finem imponeret, Synodo Sardicam indictâ Constantis Imper. qui in occidente imperabat, litteris, ad fratrem Constantium datis, impetravit; ut hic orientales Episcopos ad conveniendum eò loci induceret.

Synodus itaque *Generalis* Sardicæ circa an. D. 347. (Magdeb. 351. ponunt) in Illyriæ civitate collecta est. Quo cum & Ariani numero 77. venissent, ceteris perperam causantibus, quod Julius Pontif. angustum nimis tempus præscripsisset. (ut ex Sozom. l. 3, c. 12. Magdeb. Ubi tamen Athanasium præter spem adesse comperissent, & Comites quibus nitebantur cum militari apparatu absfuturos à judicio cernerent, subduxerunt sese, & Philippopoli Thraciæ urbe collecti, oppositum conciliabulum habuêre, quod sub nomine Sardicensis concilii venditatum, quibusdam, & in his D. Augustino, hæsitandi & improbandi præbuit occasionem. Verùm illi, cum Photino (qui Christum purum hominem, ex Maria primò ortum asserebat) & Arianis, in hac Synodo damnati sunt, authoritate Rom. Pontificis, tanquam supremi Judicis disertè stabilita.

Ita, ut huius concilii canones sint tantum declaratio quædam Canonum Niceæ, ideoque nonnunquam confundantur, nec concilium hoc inter generalia seorsim accenseatur. Nos quosdam annumerabimus.

Can. 4. Osius Episcopus dixit *Quod si aliquis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam habere causam,*

 ut

ut iterum iudicium renovetur, si vobis placet.S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur Romano Episcopo, Et si iudicaverit renovandum esse iudicium renovetur, & det iudices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non renoventur, quæ acta sunt. Quæ decrevit Rom. Episcopus confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: *omnibus placet.*

Can.5. Gaudentius Episcopus dixit: *Addendum est, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit, agendum sibi negotium in urbe Roma; alter Episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius, qui videtur esse depositus) omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata.*

Can. 7. *Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & iudicaverint congregati Episcopi regiones ipsius, & de gradu eum deiecerint, si appellaverit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Rom. Ecclesiæ, &c. erit in potestate illius Episcopi, quid velit, & quid æstimet; & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius autoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos comprovinciales sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.*

Hæc ipsi quoque recitant, sine recusatione, Magdeburgenses. Et certè antiquissima Ecclesiæ consuetudo fuit, quam ipsi Ariani negare ausi non sunt, quamvis tentarint convellere. Et S. Leo Pontifex in Epist. 89 ad Episcopos Galliæ confirmat. Constat enim tam orthodoxos, quàm hæreticos ex usu huc in disceptatione recurrisse. Ita ad Pium I. se vertit Marcion; ad Cornelium Pont. Fortunatus & Felix in Africa, ad Stephanum Basilides in Hispania; ut mirum sit reperiri, qui tot testimoniis firmatæ antiquitati, leviculis solum, hominum secularium, & rebellium Ecclesiasticorum ausibus freti, obnitantur.

Post synodum Sardicensem Athanasius literis Julij Rom. Pontif. ac deinde, (cum in oriente se opponerent Ariani) etiam Imperatoris Constantii Alexandriam rediit. In via autem Hierosolymis Synodum Episcoporum instituit, in qua Nicænæ Synod Canones confirmavit. Ut ex Socrate l. 2. c. 18 & 19. & Athan. Apol. 2. Magdeburgenses.

Ursacius etiam & Valens Athanasij hostes professi suas in virum innocentem calumnias, in concilio Mediolanensi, Romæ ad pedes Julij Pontif. hæresin eiurarunt, & ab Athanasio in gratiam recepti sunt. Con-

Concilium Carthaginense I. sub Julio circa an. D. 348. Gratus Carth. Episcopus, ut Donati & adhærentium vi repressa Synodum illic cogere posset, impetravit à Constante Imp. Occid. legatos & auxilia, quibus Donatus cum suis urbe pulsus in exilium abiit, & instituta subinde Synodo, varia in bonum Ecclesiæ decreta sunt. Ut can. 1. *Ne qui rebaptizentur.* Can. 2. *Ne inter Martyres honorentur, qui se ipsos præcipitio necarent.* (ut volebant Donatistæ) Can. 3. *Ne Clerici vel sanctimoniales, cum extraneis viris vel feminis habitarent.*

Can. 6. *Ne clerici actus, aut procurationes secularium suscipiant.* Can. 13. *Vt clericis non liceat fœnerari* &c. Hoc concilium à Pontif. Rom. probatum est, & postea à Leone IV. dist. 20. c. de libellis, ut legitimum usurpatur.

Concilium Vasense Vasione, seu Vasatis in Gallia tertiò celebratum. I. Sub Constantio imper. ut tradit Ado Vien. in chronico II. circa an. D. 443. sub Theodosio III circa an. C. 463.

Canon primi concilii statuit, ut contra Arianos in omnibus psalmis subiiceretur *Gloria patri & filio*, &c, *Sicut erat in princip.*

Alius canon statuit. *Vt in omnibus Missis, sive matutinis, sive in illis, quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine, quoad Missas publicas dici debeat* &c.

In II. concilii can. 4. decernitur. *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere morantur, ut infideles sunt ab Ecclesia reiiciendi* &c. Hunc canonem citat concil. Arelatense II. can. 28. his verbis. *Secundum constitutionem concili Vasensis : Qui oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia, cui fraudem fecit, excludatur.* Baron. an. 314, n. 50. & 325. n. 17.

Sub hæc Athanasius rursum ab Arianis apud Constantium variis oneratus calumniis in exilium eiicitur, & Imperator extrema occidenti Ecclesiæ minatur, nisi concilio indicto de hac causa cognoscant. Quare Mediolani illud à Liberio Pont, indictũ facilè 300. Episcopos censuit, in quibus Valens & Ursacius Ariani non ita pridẽ simulatè conversi : Orthodoxos verò nolẽtes Athanasij damnationi subscribere Constantius vel coegit, vel multavit exilio, quod & ipsis Apostolicis legatis, ut Eusebio Vercellensi Episcopo, aliisq; factum. Liberium deinde Pontificem accersitum, cum minis promissisque non posset inflectere, deportari exulem in Thraciam fecit, Diacono Felice schismatico per Arianos in sede subrogato. Verùm post bienniũ an. 362. Sirmiensis Synodus generalis congregata est, in quo

in quo Semiariani qui filiū Homoeusion non Homousion id est similis, non eiusdem cum Patre substantiæ, non minorem sed æqualem agnoscebant, talem fidei formulam proposuere, cui Hilarius nihil, nisi vocem hanc unam defuisse fatetur, huic revocatus ab Imperatore Liberius vi minisque coactus subscripsit, Athanasioque damnato in sedem suam unà cum Felice (quem populus Rom. audire detrectabat) est restitutus. Verum Felice brevi mortuo, solus præfuit, detestatus jam liber ante mortem omnia, quæ coactus, ore & calamo, non mente patraverat, ut ipse Athanasius ad Solitar. de eo testatur. Sed & improba vis cum plagis seni Osio Episcopo Cordubensi toto orbe celeberrimo adhibita, ut alteri ibidem exhibitæ formulæ, à qua ex ὁμοουσιον ab Arianis submotum erat, cum Athanasij damnationi subscriberet, atque ad tempus, ut Athanasius Apol. 2. de Osio ait, cederet. Verùm contra hanc Synodum Arianam in Oriente aliam Hilarius de Synod. conscriptam fuisse asserit, quæ eandem contrariis decretis damnaret. Quare cum ob diversas formulas nec ipsi inter se consentirent Ariani, (quando & tertiam deinde formulam, quæ diceret Filium *per omnia* Patri similem, Constantius probavit) Arimini & Seleuciæ, illic Occidentis, hic Orientis Episcopos convenire toto orbe voluit, ratus hac ratione divisos Catholicos facilius in sententiam Arianorum deducendos.

Ariminensis itaque *Synodus* œcumenica Episcoporum 400. circa an. D. 358 collecta præter exspectationem Constantii Sirmiensem synodum damnat, & Nicænam, Arianis eorumq; sectariis damnatis, confirmat. Cuius apud Hilarium Canones extant. Qua re indignatus Imper. Niceæ Thraciæ collectos Arianos jubet novam fidei formulam, quam Nicenam dici, voce consubstantialis tantùm amota, volebat, cudere, cumq; illis ab expeditione Ariminum reversus, novo illis conciliabulo indicto, omnes penè vi metuq; ad subscribendum compulit. Cum verò Seleuciæ Ariani à Semiarianis dissensissent, & hi etiam Acacianos, quod filium dissimilis esse substantiæ traderent, condemnassent, Imperator Constantinopolim omnes evocavit; ubi Semiariani à ceteris damnati sunt: adeòq; nova fidei formula à qua non tantù vox ὁμοούσιος sed & ὁμοιούσιος submota erat per orientem (ut Imperator, nec ipse sibi constans, voluit) recepta est. Inter hæc deliria Julianus in Galliis victor proclamatur Imperator, & Constantius, adversus hunc progressus, in via metu & desperatione rerum prostratus, expiravit. Julianus, quamvis

quamvis à Christo aversus, exulibus tamen orthodoxis sedem pristinam restitui jussit: quanquam id postea de Athanasio ita interpretatus sit, cum gentilissimo illum reducendo animadverteret obsistere, ut solum ab exilio revocasse diceret, non in sedem reposuisse.

Alexandrinum mox *concilium*, Eusebio Vercellensi (Legato Liberij Pont. ab exilio Thebano reduce) dirigente, Athanasius instituit. Nam ut Sozom l. 5. c. 11. ait. *Eusebius, quo res Ecclesiæ communi consensu corrigerentur, concessit Alexandriam, ut concilium una cum Athanasio ad decreta concilii Niceni stabilienda cogeret.* Quod & factum anno Juliani 2. Christi 362. statutumque 1. ut per vim, aut ignorantiam lapsi, ad pristinas sedes pœnitentiâ præviâ admitterentur. 2. Tam Macedoniani, qui spiritus S. divinitatem negarent, quam Ariani & Semiariani, ac postremò emergens hæresis, quæ carnē Christi, sine anima, divinitate sola animatam asserebat (postea Apollinari tributa) damnatur 3. quod Latini horrerent nomen ὑποςάσεως velut idem cum ὀσία substantia seu essentia, significans. Græcè verò nomen personæ, tanquam munus & officium tantùm diversum in patre & filio designans; convenit utrimq;, ut pro eodem hypostasis & personæ acciperetur, licet in verbo Dei hæc res definita non esset. Quæ acceptio deinde sensim totâ Ecclesia invaluit.

Nec multò post Athanasius furori Imperatoris coactus cedere, illo divinitus sublato, per Jovinianum Imper. revocatus, habita Episcoporum orient. synodo orthodoxæ fidei formulam Imperatori pergratam obtulit. Biennio verò post Valentiniano jam regnante cum Semiariani Imperatorem pro Synodo indicenda sollicitarent, respondit; *sibi, qui unus è Laicorum esset numero, non licere eiusmodi se negotiis interponere; id sacerdotum & Episcoporum munus esse*, ut Sozom, l. 6. c. 7. Habito igitur concilio Lampsaci, ut beneficio Rom. Pont. Liberij sedes suas recuperare possent, fidei Nicenæ confessionem (ut Socrates l. 4. c. 11.) per Legatos Eustathium, Sebastenum, Theophilum, & Silvanum offerunt, litterasque communicatorias à Pontifice aliisque Episcopis accipiunt, atque illarum autoritate, licet fide postea violata, restituuntur.

Romana aliquot *Concilia* subinde à Damaso Pont. celebrata: quibus diversi hæretici damnati sunt. 1. Ursacius & Valens Ariani. 2. postulante Athanasio Auxentius Mediolan. Episc. occultè Arianismum fovens. 3. S. Basilio ad Damasum legato urgente, Apollinistarum hæresis, Christi humanitatem animâ

sublata

sublata destruens, circa an. D. 373. proscribitur. Præter hæc *Valentiæ* in Gallia, circa an. D. 374. concilium est celebratum, in quo de *digamis non consecrandis* (ut in can. 17. Apostolico habetur) est constitutum, *negatumq́; puellas, qui à voto Deo facto ad terrenas nuptias transiissent ad pœnitentiam alia lege recipiendas, quàm ut Deo satisfaciant.* Aquilensi item Synodo Palladius & Secundianus Arianismi convicti & damnati sunt, in *Cæsaraugustana* circa an. D. 380. Priscillianus Hispanus cum suis, postquam Romæ à Damaso, ne ad conspectum quidem admissus fuisset, erroris (quo, præter cetera, Christum veram carnem assumpsisse negabat) convictus damnatusq́; est. Ubi can. 2. statuitur. *Ne quis diebus Dominicis jejunet.* Et can. 3. *Eucharistiæ gratiam, si quis probatur, acceptam in Ecclesia, non sumpsisse, anathema sit.* Priscilianistæ enim & Dominica jejunabant & acceptam Eucharistiam (utiq, sub sola panis specie) domum solebant deferre. Hæc duo ultima sub Damaso post Constantinop. concilium generale celebrata, hanc periodum claudent. Ex quibus opinor illius ætatis Ecclesia facilè ostendet, cuinam hoc ævo nostro, in legibus & regimine sit conformior.

§. VIII. Synodi particulares à Constantinopolitana generali habitæ, cum hodierna Rom. Ecclesia faciunt.

POst Synodum Constantinop. generalem, particulares aliæ habitæ sunt, in quibus imprimis eminent, quæ Carthagine in Africa sub Siricio aliisque Pontif. sunt celebratæ.

Consilium Arelatense 2. sub Siricio Pont. an. 389. in Gallia, celebratur, in quo & Photini hæresis, & Bonosi, qui Deiparam post partum virginem negabat, perstringitur.

Canon. 2. in hac synodo talis est. *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo coniugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio.* 3. *Ne clericus extraneã secum habeat,* 5. *Vt Episcopus per tres alios ordinetur.* 7. *A cleri statu prohibetur, qui seipsum abscidit.*

Concilio Mediolani coacto circa can. 390. Siricius Pont. datis literis ad Episcopos Galliæ vicinarumq; provinciarum Jovinianum examinari & condemnari fecit. Qui ut D. Hieron. l. 2. contra Jov. docebat *Virgines viduas & maritatas, quæ semel in Christo lota sunt, si non discrepent ceteris operibus eiusdem esse meriti. Et, eos qui plena fide in baptismate renati sunt, à Diabolo non posse subverti. Inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione sumptionem eorum, nullam esse distantiam. Esse omnium, qui suum baptisma servaverunt, unam in regno cælorum remunerationem.*

Tauri-

Taurinatense an. D. 397. sub Siricio celebratum statuit.

Can. 3. *Vt Laici, qui clericis crimen intentant, puniantur.*

Can. 7. *Vt qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio genuerunt filios, ad maiores ordinum gradus ascendere non permittantur.*

Hipponense concilium in Africa pro firmanda contra Donatistas Ecclesiæ disciplina est institutum sub Siricio an. D. 393. In quo Augustinus adhuc presbyter, de fide & symbolo disputans, summa laude comparuit, ut habet Possidius in vita c. 7. Huius canones in Concilio Carthag. anni 397. continentur.

Concilium Carthaginense II. sub anno Christi 227. censetur quod tamen ordine temporis post sequentia, ad Cælestini Pontificatum rejiciendum Baronius existimat, quod à Genedio Episcopo unà cum Aurelio, ubi Augustinus cum Valerio sederet, celebratum illic fuerit. Est autem inter celebriora eius ævi concilia, ob Ecclesiasticam disciplinam, quæ inter hæreses labefactata erat, instauratam, suamque à Rom. Pontificibus approbationem habet; ut *Leo IV. de libellis d.* 20.

Canon 2. (vel ut alij 3.) *Vt Episcopi, presbyteri, Diaconi, Levita, & qui sacramenta administrant, continentes sint, adeò ut ab uxoribus etiam propriis abstineant.* Ita Magdeburgenses nunc & sequentes recitant.

Can. 3. *Vt Presbyteri nec Chrisma conficiant, nec puellas consecrent, nec pœnitentes reconcilient.* Tam Græcus, quam latinus canon addit (quod Magdeburgenses omittunt) *Reconciliare quenquam in publica Missa, Presbytero non licere.*

Can. 4. *Vt liceat Presbytero, Episcopo absente, pœnitentem in periculo constitutum, potestate sibi ab Episcopo facta reconciliare.* Omittunt rursus *si reconciliari divinis altaribus petierit*, ut intelligas de reconciliatione sub sacrificio per publicam communionem hæc statui.

Can. 8. (in Græcis 11.) *Si excommunicatus presbyter superbia inflatus ab Episcopo suo secesserit, & cum aliis rem divinam fecerit* ἁγίασμα τῷ Θεῷ προσενέγκῃ (sacrificium Deo obtulerit) *anathema sit, & locum amittat.*

Can. 11. *In casu necessitatis, tres Episcopi in quocunque sint loco, cum Primatis consensu, ordinent*, videlicet Episcoporum.

Concilium Carthaginense 3. circa an. 397. adhuc sub Siricio ita est celebratũ; ut ante hac statuti canones, vel recolerentur, vel novis etiam pro Ecclesiæ disciplina augerentur. In hoc canon.

non 12. & 14. qui agit de Clericorum liberis benè formandis, & cum hæreticis matrimonio non jungendis, de illis loquatur, qui ante Sacerdotium nati sunt, ut satis ex Can. 17. patet, ubi, *præter consanguineas, aut aliorum, qui de familia sunt, uxores, vetantur feminas admittere.* & Can. 25. Ubi *Clerici, sive continentes, ad viduas, & virgines, sine teste & socio vetantur accedere.* Quæ cautela utiq; uxoratos & non continentes minimè spectat. Canon præterea 26. qui dicit *ut primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum* non officit Romanæ sedi, cum tantùm de Africanæ Ecclesiæ primatibus agat; imò favet potius, cum hunc solùm honorem uni tantùm Ecclesiæ Apostolicæ Rom. debitum usurpare detrectent. Quem aliæ tamen Ecclesiæ Romanæ sedis observantes nonnunquam admiserunt, cum & inter principes sacerdotes dari possit subordinario, qualis in seculi principibus reperitur. Sed alios quosdam indubios canones audiamus ex Magdeburg.

Can. 9. *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Clerici accusati, ad iudicia civilia non appellent* &c. Addit canon. *sive in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, sive civilis causa fuerit commota.* &c. *etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat.* &c.

Can. 15. *Ne Clerici ulli turpi aliquo negotio victum sibi quærant, aut vel conductorũ, vel Procuratorũ officio implicentur, quia scriptũ est.* Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus 2. Ti. 2

Can. 16. *Ne Clerici ullam usuræ speciem usurpent.*

Can. 17. *Cum Clericis extranea femina non cohabitent; præter Matres* &c.

Can. 22. *Ut sine examine Episcoporum & populi testimonio nemo Clericus ordinetur.*

Can. 24. *Ut in Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius iuxta mandatum Domini offeratur, præter panem & vinum aqua mixtum. Ac ne quid aliud in sacrificiis quam de uvis & frumentis offeratur,*

Can. 27. *Ne tabernas Clerici ingrediantur. nisi in peregrinatione necessitate compulsi.*

Can. 28. *Sacramentum altaris à ieiunis tantùm celebretur, excepto die cœna Domini. Quod si preces pro defunctis, seu pro Episcopis, seu ceteris facienda sint, fiat id absque Missa, si quorum facere interest, iam pransi sunt.*

Can. 33. *Virgines sacratæ parentibus orbatæ, Episcopi vel Presbyteri consilio Monasteriis Virginum; vel custodia graviorum feminarum tradantur.*

Can.

Can. 36. *Ne Presbyter sine Episcopi permissu, aut Chrisma conficiat, aut Virgines consecret.*

Can. 39. *Vt Episcopus non à paucioribus, quam tribus Episcopis, antiqua consuetudine, ordinetur.*

Can. 47. *Placuit, ut, prater scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem Canonica scriptura Genesis &c. libri Tobia, Iudith, Esther, Esdra libri duo, Machabaorum libri duo &c. Pauli Epistola 13. eiusdem ad Hebraos una, Iuda Apostoli una, & Iacobi una, &c.*

Hunc Can. apud Magdeb. mutilum ex fonte proposui.

Can. 48. *Vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Clerici quicunque, qui ad Ecclesia administrationem pauperes accesserunt, ac postea in officio agros vel pradia sibi compararunt, Ecclesia restituant, nec quid proprii retineant, nisi quod, seu aliorum liberalitate & largitionibus, seu hareditatis iure sibi obvenerit.*

Hic Aurelius Episc. Carthag. & D. Augustinus Hipponensis Episc. aliique subscripsere.

Concilium Carthag. IV. anno D. 398. sub Anastasio Papa, per Episcopos 214 celebratum à Leone III. Pontif. inter probata Ecclesiæ Concilia numeratum. Cui & Aurelius Carthag. Episcopus & Augustinus Hipp. quoque subscripserunt.

In hoc Concilio varii ordinandorum ritus, præter cetera præcipiuntur observandi.

Nos ex omnibus quosdam distinctiorem illius Ecclesiæ imaginem præ se ferentes recitabimus, ex Conciliorum lib. quia Magdeburg, sæpius textum corrumpunt.

Can. 2. *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi teneant, & ponant Evangeliorum codicem super caput & cervicem, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.*

Can. 3. *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui prasentes sunt, iuxta manum Episcopi super caput eius manũ teneant.* Has duas ordinationes, tanquam unam dolosè Magdeb. confundunt.

Can. 4. *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium* (quod Magdeb. silent) *sed ad ministerium consecratur.*

Alii Canones de Acoluthis, Exorcistis &c. ordinandis hic extant.

Can. 11. *Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo Episcop*

copo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni & sanctimonia aptis.

Can. 20. *Vt Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut orationi, lectioni, & verbi pradicationi tantummodo vacet.*

Can. 36. *Presbyteri qui per diœceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis: nec per iuniorem clerum; sed aut per se ipsos, aut per illum qui Sacrarium tenet, ante Pascha solennitatem Chrisma* (Magdeburg. supponunt charisma) *petant.*

Can. 64 *Qui dominico die studiosè ieiunat, nō credatur Catholicus.*

Can 73. *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive clericus, sive laicus, excommunicetur.*

Can. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticū Eucharistia acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si super vixerint.* Ubi supponitur, quod in can. 76. dictum, sacerdotem in infirmitate obmutescentes, qui ante signa pœnitentiæ dederant manibus impositis absolvisse.

Can. 79. *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentia exequuntur, si, casu in itinere vel in terra, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subvenire non possit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Can. *Vt Episcopus nullum prohibeat Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hareticum, sive Iudaum usque ad Missam Catechumenorum,*

Can. 97. *Qui religiosis feminis praponendus est, ab Episcopo loci probetur.*

Can. 104. *Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori observantia & praceptione custodiendum est. Vt si qua vidua, quantūlibet adhuc in minoribus annis posita, & matura ætate, à viro relicta, se devoverint Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi, & Ecclesia religioso habitu comparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierint, secundum Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis irritam facere ausi sunt.* &c,

Hæc etiam Magdeburgenses, iis, quæ correxi, exceptis.

Concilium Carthag. V. titulo, sed revera 3. circa tempora Anastasii quoque ante superius eodem fertè anno ab Episcopis 70. Ex hoc Magdeburg. tantum recensent capita seu titulos canonum.

Can. 3. sic habet. *Cum de quorundā Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur. Placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundū statuta* propria (priora alii legunt,) *etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removean-*

moveantur officio Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesia consuetudinem observari debere.

Hoc canone uxorum usum sacris prohiberi hominibus liquidò constat ex Augustino, qui huic Concilio interfuit, lib. 2. de adulter. conjug.

Can. 14. *Placuit, ut altaria, qua passim per agros, aut vias, tanquam memoria Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquia Martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui ijsdem locis prasunt (si fieri potest) evertantur, &c. Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur: nisi aut ibi corpus, aut aliqua reliquia sint, aut ubi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.*

Concilium deinde Toletanũ 1. sub Anastasio Pont. circa an. Chr. 400. celebratur, ubi præter cetera, eadem de continentia Clericorum, etiam conjugatorũ, statuuntur, & alia iam supra memorata, ut repetere operæ pretiũ non sit. *Vide Magd. Cent.* 5. c. 9.

Concilium quoque Mileveranum 1. sub Innocentio anno Chr. 402. habitũ ubi causæ aliquot Episcoporum examinatæ. Posteà an. 416. sub eod. Pontif. contra Pelagium eiusq; sectatores varij canones de necessitate gratiæ potissimũ editi, quos Protestantes nobiscum recipiunt, licet in sensu modoq; gratiæ nunquam discrepemus.

Concilium deinde Telense in Africa an. Christi 418. Pontifice Zosimo, in quo decretalis epistola Siricij Pont. prælecta, ut juxta illius Constitutiones Ecclesiæ disciplinam formarent. Ex qua Magdeb. cent. 5. c. 9. p. 478. edit. post. has recitant.

1. *Ut, extra conscientiam sedis Apostolica, nemo audeat ordinare.* intellige Episcopos.
2. Ut nec unus Episcopus præsumat (sine alijs) ordinare Episcopum.
5. Ut qui Laicus viduam duxerit, ad Clerum non admittatur.
6. Postquam negasset Sacerdoti, aut Levitæ, consortium uxoris quondam ductæ, sibi obiicit.

Fortè non creditur, quia scriptum est 1. *Tim.* 3. unius uxoris virum. ℟. *Non permanenti in concupiscentia generandi dixit; sed propter continentiam futuram. Neque enim nisi integros non admisit, qui ait* 1. *Cor.* 7. Vellem autem omnes homines esse, sicut & ego. *Et apertius declarat dicens Rom.* 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. &c.

Concilium Carthaginense VI. anno Christi 419. sub Zosimo Pontif. cœptum, per sexennium interpolatis vicibus sub Boni-

facio & Cælestino Pontif. continuatum est. Propter Africanum Presbyterum Apiarium, quem à Romana sede suprema potestate absolutum nolebant recipere, quod negarent suos in hoc judicio testes auditos esse, ac te deinde cum Asianis Episcopis communicata, negarent in synodo Nicena hanc supremam potestatem, prout ex can. 7. Sardicensis Romani illam adstruebant, contineri. Quam dolosè à Græcis in Niceni Concilij vulgatis in oriente canonibus, suppressam supra tradidimus. Modus tamen Romani judicij qui in hominis scelerati, nec satis cogniti restitutione iniquior Africanis visus est, illos magis Romanæ sedi, quam potestas usurpata repugnare fecit; cum manifestum ex Augustini, huius etiam Concilio præsentis, literis ad Innocentium, Bonifacium, Optatum, aliosq; maneat, in Rom. Ecclesia supremam potestatem Africanos Episcopos reveritos esse. Et patuit in causa Pelagij ad arbitrium Rom. sedis ab ijsdem Africanis Episcopis delata, de quo August. ad Innocentium Pont, Ep. 95. *Pelagius à Tua Veneratione acciendus est Romam, & diligenter interrogandus quam dicat gratiam* &c. Et Possidonius in vita D. Aug de Innocentio & Zosimo Pont. ait: Illi *tantæ sedis Antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atq; à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas orientis & occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt*. Sic D. Augustinus postulat à Cælestino Ep 261. ut Antonium Episcopum à Fassalensibus ejectum in Africa, non tamen per militarem violentiam (quam obnixè deprecatur) restituat. Sic ab eodem Pont Nestorij judicium & damnationē Cyrillus Alexandr. flagitat, potestatemq; Romā accipit adversus Nestorium Conc. Ephesinum cogendi. Quid dicemus de tot literis summorum Pont. ad Africanos & Asianos Episcopos submissis, quibus supremam in Ecclesia potestatē, nullo contradicente, vendicarunt, quales in tom. 2. Auplures, quę sunt Innoc. Pont. reperies. Ut & illos extremè arrogātes, & illos ignavissimos suæ libertatis vindices fuisse sentire necesse sit, nisi hanc à Christo & Apostolis dignitatem noverint nisse. Et si vel rebelles pauci nonnunquam reclamarint, si interdum integræ etiam nationes, aut restiterint, aut desciverint, an illud magis destruere hierarchiam potest Rom. Pont. quàm Monarchiam Rom. Imperatoris, si qui illius Maiestatem rebelles spreverint? hoc jure miremur, quod nullū in orbe, sacro illo imperio ut majus dignitate, sic minus sit opibus; ut imbellius viribus, sic duratione firmius: nunquam non oppugnatum ab hostibus,

hostibus semper tamen invictum. Quæ causa? *Deus fundavit illud super petram, & portæ inferi non prævalebunt.*

§. IX. Synodi particulares ab Ephesina generali celebrata, sensum Apostolicæ Ecclesiæ in multis exhibent.

EX Conciliis Ephesinam Synodum usque ad Chalcedonensem sequutis quandam etiam cognitionem hausisse juverit. Antiochiæ Synodum coëgit Johannes ejus loci Episcopus in qua Sixto Rom. Pontif. probante, Nestorium damnavit, & sic cum Cyrillo & Imp. Theodosio in gratiam rediit. In alia Armeniæ Synodo Nestoriani libri ad flammas damnantur. Sed hæc aliaque levis momenti transeo.

Romana Synodus sub Sixto Pont. *ut habent Magdeb.* congregatur, ut Polychronii Episcopi Hierosolymitani causam cognosceret, quem Euphemius Primatum in oriente affectasse accusabat, Presbyteris & Diaconis, pretio accepto, ordinatis. Decretum igitur est, ut tres Episcopi ad causam cognoscendam in orientem mitterentur, Castus, Felix, & Abundius. Hi congregatis Hierosolymis 76. Episcopis cum consedissent, Euphemium primò damnarunt, quòd probare delata omnia non posset: deinde & Polychronium, quòd Victorem Diaconum ordinasset, & pro decem librarum pretio consecrasset Ecclesias, subscripsit utriusque damnationi tota Synodus, & Valentinianus Augustus & Sixtus Ep. *Ita Magd. Cent. 5. c. 9.*

Arausicanum Concil. I celebrius sub Leone Papa & Theodosio Jun. circa An. 441. habitum est.

Canon I. habet. *Ne quis Minister baptizandi munere accepto, sine chrismate proficiscatur.*

Can 4. *Confugientibus ad Ecclesiam loci S. reverentiâ tutis esse liceat.*

Subjiciunt his Magdeburgenses plures post can. 15. quos alii tamen ad Concilium. II. Arausicanum referunt. licet Caranza hoc loco cum illis reponat. unde. & nos accensebimus. Habet itaque.

Can. 22. *Ne ordinentur Diaconi conjugati, nisi prius conversionis proposito, confessi fuerint castitatem.*

Can. 23. *Si quis post acceptam benedictionem leviticam in continenter cum uxore vivat, ab officio removeatur.*

Can. 28. *Desertores professæ castitatis, pro prævaricatoribus habeantur.*

Arausicanum II. Sub eodem Leone Magdeb. collocant. Aliquos ex iis canones recitamus.

Can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

Can. 11. *Nemo quicquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur.* Quæ de manu tua accepimus, damus tibi. 1. Par. 29. v. 14.

Can. 12. *Tales nos amat Deus, quales sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.*

Can. 13. *Arbitrium voluntatis per primum hominem infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.* Joh. 8. v. 36.

Can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

Constantinopolitana 1. *synodus* particul. sub Leone Pont. celebrata An. 448. quæ contra Eutychem Archimandritam, Eusebio Dorylei Episcopo urgente, est instituta. de qua sic in sess. 6. Magdeb. p. 516. edit ult. *Cum negasset Eutyches posse duas se in Christo naturas dicere, ideo quod in scriptura ejusmodi loquēdi forma non sit definita, opposuit Mamas & Theophilus: neq; Homousii usitatam vocem expressam esse in scripturis; sed à sanctis Patribus ita expositam. Eandem igitur legem &* rationem esse formulæ de duabus naturis in sess. 7. *Eutyches respondet confiteri se duabus naturis fuisse Dominum ante incarnationem, post eam verò unam duntaxat in eo confiteri naturam. Quod dogma damnare à Synodo jussus, Neque in S. scripturis, ait, inveniri, neque Patres omnes sic dixisse. Non igitur se posse sanctis Patribus anathema impingere.* Ab universa igitur synodo acclamatur anathema Eutychi &c. Summam denique damnationis Flavianus (synodi præses) ad Leonem Pontificem Romam misit. ubi in ceteris hæc verba leguntur. *Laborandum pro fide & expositionibus dogmatibusque SS. Patrum: quatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inviolata salventur, & custodiantur &c. Commotus itaque, sanctissime Pater &c. decernere damnationem, adversus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare &c. causa enim solummodo vestro solatio atq; defensione, quâ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit; & turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur.* Eutyches damnatus depositusq;, opera & favore deinde usus Dioscori Alexandrum, per hunc in Ephesina 2. Synodo

(quam

(quam prædatoriam & profanam dixêre) absolutus est, Flaviano & Eusebio damnato. Sed Leo Pontifex, quòd & ipsius Legati exclusi essent, & iniqua hujus Synodi essent decreta, Romana in Synodo hanc Ephesinam damnavit, cui Patres Chalcedonensis Concilii generalis accesserunt.

Agathensis in Gallia Narbonensi subinde Synodus à *Magdeburg.* signatur, tempore Regis Alarici Regis Gothorum: Ex qua canones nonnullos annotamus.

Can. I. *Bigami Cleric: non ministrent.*

Can. 2. *Clericus qui ad seculares judices confugerit, cum iisdem excommunicetur.*

Can. 9. *Presbyteri & Diaconi, qui ad conjugalem coitum revertuntur, sunt submovendi.*

Can. 10. *Nullus clericorum cum extraneis fœminis habitet.*

Can. 14. *Altare & benedicatur, & ungatur.*

Can. 28. *Monasteria Puellarũ procul à Monachis constituantur.*

Can. 47. *Ante Missam expletam, populus egredi non præsumat.*

Can. 57. *Unus Abbas duobus cœnobiis non præponatur.*

Hæc aliaque Magdeburgenses adferunt, quæ hujus temporis controversias tangunt, & sat manifesta sententia expediunt. In quibus toties Rom. Ecclesiæ autoritas eminet, toties ad SS. Patrum suffragia recurritur, Monastica vita adstruitur, cœlibatus Clericorum præcipitur, seculare judicium in Ecclesiasticos prohibetur, altaria & sacrificia defenduntur: ut nesciam quemadmodũ vetus hæc Ecclesia à Protestantibus inter orthodoxas haberi possit, & quæ hujus est temporis ipsorum Ecclesia cum illa in necessariis fidei articulis comparari, Romano Catholica verò, ut eidem dissimilis, queat reprobari. Unum certè est, in quo penè summa rerum consistit, perpetua Synodorum omnium etiam Orientalium observantia, Romanæ semper Ecclesiæ præstita. Ut quâ probante Concilia pleraq; & eorũ canones rati fuère, & reprobante irriti. Quod siqui ad tempus Episc. restiterunt; hi tamen, aut eorum posteri, haud multò post, in Rom. Eccl. concessêre sententiam. Jam & illa reverentia ubiq; elucet, quam post S. scripturam sanctis Patribus eorumque interpretationi, in rebus Synodorum controversis, detulerunt; ut sententiæ ex consensu, placitisque eorum, ad sacras literas adhibitis, definitæ sæpius legantur. Quæ duo (ut reliqua taceam) si Protestantes cum Veteri Ecclesia, adeóque & nobiscum amplectantur, jam erit concordia, & in una hic militante Ecclesia jungemur in terris, ut olim in triumphante sociemur in cœlis.

F I N I S.

APPROBATIO MAGNIFICI RECTORIS Antiquissimæ Universitatis Coloniensis.

Tertiam partem Meditatæ Concordiæ Protestantium cum Catholicis, in una religione ex Fidei Confessione è S. literis earumque Orthodoxa interpretatione desumpta, opera studioq; R. P. JACOBI MASENII S. J. *nihil veræ fidei bonisque moribus contrarium exhibentem, Rector pro tempore Universitatis Coloniensis, approbat, & dignam quæ tam exoptatum effectum sortiatur, existimat.*

Signatum Coloniæ 14. Augusti 1661.

WILHELMUS MOLITOR S. Theol. Licentiatus S. Andreæ, & B. M. V. in Capitolio Canonicus, S. Martini Min. Pastor.

PArs Tertia Meditatæ Concordiæ in una Religione, quam R. P. JACOBUS MASENIUS Societatis JESU, ex Scriptura Sacra, ac Ecclesiæ Orthodoxæ interpretatione, doctè, solidè & sincerè proposuit, meritò prælo committitur, ut eam omnes amplecti possint.

Ita censeo. Coloniæ 16. Augusti Anno 1661.

Ferdinand. Strobelius S. Theol. Doctor Metropolit. Ecclesiæ Canonicus, librorum Censor Ordinarius.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis JESU *per inferioris Rheni tractum præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab A. R. P.* JOANNE PAULO OLIVA *Societatis nostra Vicario Generali, permitto, ut pars* III. *Medit. Concordiæ, quæ absolutam Protestantium, & nominatim eorum quoq;, qui se Reformatos vocant, saniorem Reformationem in una Orthodoxa fidei ex S. Literis Confessione complectitur,* JACOBO MASENIO *ejusdem Societatis autore proposita, lecta, probataque, juris publici fiat. In cujus rei fidem hasce manu mea subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas dedi Coloniæ Anno D. DC. LXII. 23. Julii.*

GODOFRIDUS OTTERSTEDT.